SANCTI AUGUSTINI

PHILOSOPHIA.

Tolosæ. — Typis Bonnal et Gibrac, via Saint-Rome, 44.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

PHILOSOPHIA

ANDREA MARTIN

CONGREGATIONIS ORATORII D. N. JESU CHRISTI PRESBYTERO, COLLECTORE.

NOVAM HANC EDITIONEM RECOGNOVIT ATQUE IN PLURIBUS EMENDAVIT

JULIUS FABRE

OLIM IN MINORI MONTALBANENSI SEMINARIO
NECNON IN COLLEGIO AD SANCTÆ MARIÆ TOLOSANO
PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

PARISIIS

APUD AUG. DURAND

VIA DES GRÈS-SORBONNE, 7.

LOVANII
APUD PEETERS.

ATÆ TAURINORUM
APUD BOCCA FRATRES.

1863.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

8866

NOV 14 1936

PRÆLOQUIUM.

LECTORI SAPIENTIÆ STUDIOSO

JULIUS FABRE

FELICITATEM.

Non ab re est, Sapientiæ Cultor amantissime, quòd Spiritus sanctus, per os Pauli, venustissimâ simul et appositissimâ usus similitudine, evanidam hanc et caducam Christiani vitam militiæ nomine depinxit [1]; quo dubio procul innuere voluit, quantis Ecclesia Dei, dum in his terris militat, exposita esset certaminibus et calamitatibus. Sicut enim qui durissimo militiæ et armorum studio occupati, multiplices easque plenissimas omnis generis molestiarum curas, sollicitudines, vigilias, excubias, certamina et pericula, dies et noctes, domi et foris, subire necesse habent: ita Christiani quique, ductu et auspicio Christi, gravissimam, dum in mortali hoc corpore vivunt, militiam sustinent, et cum Satana ejusque mancipiis, invicto fidei et spei robore indesinenter decertant.

Sic igitur placuit Deo, et ad id constituti et vocati sumus, ut continuis belli difficultatibus distenti, perpetuis in hac vita certaminibus subeamus. Non erit ergo mirum quòd et nunc quoque Ecclesiæ Doctores adversus validissima antiqui draconis munimenta, adversus homines qui Deo minimè subjiciuntur, adversus scriptores qui se extollunt contra hujus summi Entis cognitionem, continuas sustineant pugnas.

Invenies porrò hodieque, Lector amice, viros doctrinâ et ingenio præstantissimos, qui pro asserendâ et vindicandâ Dei veritate, simul et cognitione quâ illum attingimus, adversus Materialistas, Pan-

[1] II Cor., 10, 4.

theistas, Rationalistas, Scepticosque omnes, bellum gerunt, excubias agunt, sub pellibus sunt, in rupturâ stant, ad omnem benè rem gerendi occasionem intenti sunt, ignita hostium tela fortiter excipiunt, et se ab eisdem tutos præstant. Quinimò eos quoque in eo genere videbis non solum certantes cum exteris, sed etiam quandoque cum domesticis, qui inconsultis oppugnationibus, bella civilia Ecclesiæ in sinu concitant. Cùm enim vis parum succederet, Dei et hominum hostis vulpinari perrexit et ad optatum finem assequendum, homines infeliciter subtiles protrusit, qui periculosas non solum de dogmatibus philosophicis lites sererent, sed et theologiam sollicitarent, verba vexarent, nodos necterent, ut gliscentibus dubiis gliscerent perturbationes, debilitarentur Ecclesiæ defensores et cresceret impietas.

Hoc nonnullorum Neoperipateticorum, Pseudotraditionalium, aliorumque id genus portentorum, institutum fuit, hic scopus. Quamvis enim, utpote parum in spiritibus internoscendis exercitati, periculum fraudis non senserint et quò conatus suos vergebant non viderint; attamen, etsi specie recti, a scientia Dei et pietate deducere Ecclesiam, et in ipsam, non sine gravi omnium scandalo, haud paucas materialistarum reliquias invehere tentarunt.

Cùm enim non intellexerint animam humanam, non solum cum mundo corporeo commercium habere, sed etiam cum Deo vivere et per ipsum mundo intelligibili conjungi, censores illi Aristotelei, et Menesiani quos in inquirendo negligentia et festinatio, præcipites atque iniquos fecerunt ad condemnationem omnium quæ eorum phantasiâ non intercluduntur, actus intellectûs circa objecta, quæ regula sunt judicii impossibiles reddiderunt, mentemque ipsam *Chimæram bombiliantem in vacuo*, seu aliquid impossibile finxerunt.

Est et aliud quod propè refugio efferre probrum hujus doctrinæ, sed tamen dicendum est. Hâc enim, in ea tempora incidimus, quibus Theologi inveniuntur damnantes innatam Dei cognitionem, qua sola ad reflexam et scientificam possumus devenire; quibus etiam non desunt philosophi se christianos existimantes, et ita naturæ repugnantes, ut sibi exsculpi patiantur ex animo quam Deus consignavit mentibus nostris suî ipsius perceptionem.

Non sive gravi tamen causa communiter sancti Patres affirmârunt, esse hominibus *naturaliter insitam notionem Dei*. Peroptimam enim Doctores illi sapientissimi instituerant mentis humanæ analysim, et abditam penitus essentiam mentis effoderant. Unde et quidem rectè, præter alios, Scholasticorum primipilus, Joannes

Damascenus dicere potuit : Πᾶσι ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι Θεόν ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται (cunctis cognitio quod Deus sit, ab ipso naturaliter inest) [1]. Nam si tantisper rem volumus perpendere, facilè videbimus hanc cognitionem Dei congeneam, esse nobis omnino necessariam, ut ratiocinatione naturali ac mentis discursu, reflexè et scientificè Deum cognoscere possimus. Hæc porro notio Dei hominem propriè constituit et à belluis discernit. Præsentiâ illâ objectivâ Entis summi, et quidem solâ, fieri potuit inspiratio quâ Adam factus est in animam intellectualiter viventem. Et ideo *ad hunc locum* S. Joannis apostoli : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* perpulchrè sanctus Paulinus : *Omnem hominem dictum puto,* inquit, *quia nemo homo nisi agnoscens Deum* [2]. Hanc thesim philosophia paulò solidior et absolutior quàm illa jejuna et superficialis, quæ passim docetur in scholis, demonstrat, et simul apertè declarat omnem intellectum institui visione ipsâ lucis divinæ. Quare S. Paulinus præclarè subjunxit : *Hanc lucem etiam noctes scire, id est, etiam principes et operarii tenebrarum* [3]. Unde et hanc conclusionem, quam tenent omnes cordati philosophi, inferre potuit : *Deum tantùm in promptu est videre, quòd Deus est* [4].

Hinc facilè sequitur Atheismi se fautorem facere scriptorem, qui notitiam illam de Deo connatam ridet et negat. Hinc etiam patet ex hujus limoso Neotericorum fonte fluere absurdam periculosamque indifferentiam in rebus a dreligionem spectantibus. Atque adeò homines illi qui nobis nolunt intelligentiam Entis infiniti concedere, mentibus in terrenam hanc felicitatem pronissimis, et ad corporis voluptates suâpte sponte currentibus, quin et ruentibus impetu corruptæ naturæ, addunt stimulos et calcaria.

Quare, qui hanc vim et amplitudinem animi nostri quibus ferimur ultrà fines et limites rerum creatarum, qui sublimem illum intellectum quo divina et æterna contemplamur, qui hanc nobis Dei perceptionem eripere conantur, hos ubique humanæ naturæ inimicos habebit quisquis erit sanæ mentis. Nam si hæc rerum finitarum unica esset cognitio cujus est capax anima nostra et quasi totum rei humanæ, periret mens atque omnis sapientia; verum a falso dispescere non possemus; æternas et immutabiles boni et mali rationes, turpis et honesti, justi et injusti discrimina nunquam cognosceremus; rectà ad Materialismum duceremur.

Ideoque non poteris satis mirari, benevole Lector, quomodo

[1] Lib. 1, Fidei orth., cap. 1. — [2] Epist. 40, ad S. Amandum. — [3] Epist. 2, ad Sever. — [4] Ibid.

BQ
5684

Neoperipatetici et Pseudotraditionales in hoc luto hæreant ; et difficilè perspicies quâ de causâ, homines Christiani voluerint animam humanam coercere et quasi suffocare in corpore. Attamen cùm scripta nonnullorum perlegeris qui, hâc nostrâ ætate, rem philosophicam pertractarunt, aliquos offendes qui selectiora jam memorata Philosophiæ dogmata aversantur et fugiunt, aut etiam damnant. Et quidem non sine acerbo doloris sensu videbis imprimis homines, præclaro Aristotelis, aut sancti Thomæ nomine gloriantes et cæteroquin Religioni catholicæ addictos, opinioni nihilominus adhærere istorum , qui intellectionem Dei menti nostræ recusant, systemati nunc vulgò in scholis catholicis sub nomine Ontologismi noto bellum indicunt, atque hujus doctrinæ theses dissimulare et comprimere conantur. Nihil divini sapiunt, nihil humani sapere non minus videntur, et apprimè in eos cadit illud S. Scripturæ : *Oculos suos statuerunt declinare in terram*[1] ; aut etiam, si consecutiones suæ doctrinæ praxi committerent , illud Propertii :

O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes !

Neoterici ergo isti notionem sibi fingunt mentis humanæ ipsius dignitati haud consentaneam. Intelligentiæ jura detrectando, eique detrahendo veritatem, quæ est ejus pabulum essentiale, eam deprimunt infra locum et gradum ipsi proprium. In crimen vocant quòd teneamus istam sancti Bonaventuræ sententiam : *Nulla substantia creata potentiam habet illuminandi, et perficiendi animam propriè intelligendo, imò secundùm mentem immediatè habet a Deo illuminari, sicut in multis locis Augustinus ostendit* [2] ; sustinere non possunt quòd, cum eodem seraphico Doctore dicamus : *Conjunctus est intellectus noster ipsi æternæ veritati* [3].

Verùm illam unionem mentis cum Ente divino recusantes ipsius mentis αὐτοματισμὸν tollunt et pecudibus sese jungunt. Cum enim constantissimum sit apud omnes genuinos philosophos, veritates æternas quæ sunt intellectûs objectum, in Dei mente consistere, si non admittant lucem illam Dei, rerum omnium rationibus ideisque plenam, in mentis nostræ penetralibus fulgere, non erit possibile ad intelligibilium ascendere contemplationem ; atque ideò , si mentem in nobis agnoscunt, necesse est ut etiam agnoscant ipsam non posse intelligere, seu sese movere intellectualiter, nisi per consortium quoddam ordinis naturalis cum ratione objectivâ æternâ, cum ipsâmet Dei essentiâ, id est, æternâ et incom-

[1] Psalm. XVI, 2. — [2] In II Sentent. D. 24, part. I, art. 2, q. 4. — [3] Itiner., cap. 3.

mutabili luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Excitavit ergo Deus etiam ævo nostro, viros strenuos, qui varias istorum mentis nostræ, divinæque ipsius illuminationis, adversariorum technas solidè eliserunt, et Philosophiæ incorruptam dignitatem masculè sunt tutati. In quo genere, hodiernis Doctoribus Sorbonicis, sancti Sulpitii Sodalibus, Theologis lovaniensibus et aliis id genus summis viris, non vulgaris laus debetur. Ipsi enim impetum sustinuerunt Neoperipateticorum et Pseudotraditionalium, qui veritatis Philosophicæ lumen, obstinatâ cæcitate, intueri renuunt. Irritos et vanos esse eorum conatus ostenderunt et tela in Ontologismum ab istis æmulis obtrectatoribus intorta, invictæ veritatis clypeo propulsârunt.

Horum omnium exemplo, et ego, quamvis id noluissem, huic pugnæ me commisi. Pro ingenii mei tenuitate, quantâ brevitate et claritate potui, principium intellectionis idearum in Deo, alio in loco declaravi[1]; theologorum qui magnas confusiones in scholis conantur excitare, turbis causam dant et pacem inclamant, ad examen opiniones revocavi. Argutationes illorum protritas esse et evanidas ostendi; sicut et ipsorum ignorantiam incredibilem et impudentiam minimè ferendam, in propatulo collocavi. Falsò inscriptas Ontologismo sententias, aut malevolas interpretationes explosi et ostendi Neoperipateticorum istorum vanos esse ictus, qui non Ontologistas, sed aerem, et quod sibi in caligine suâ fingunt spectrum feriunt. Quisque videre potuit eorum argumentationem petere principio; cùm supponat Ontologistas sibi polliceri, aut concedere visionem Dei beatificam in hoc mundo ante mortem; et confundat præterea distinguenda, visionem Dei nimirùm naturalem aut philosophicam et φανέρωσιν ejus clariorem quæ Sanctis promittitur.

Docui deindè sententiam Ontologistarum esse solidissimam, et præfatam de Dei visione sententiam demonstravi non patrocinari nec favere pantheismo; longe abire ab Hegelii errore; longo intervallo dissitam esse a Kantii sophismatibus, a quibus non sibi cavent adversarii; et tandem multo remotiùs a Rationalistarum typho disjungi. Quin et absurdi nihil indè, ex Ontologismo nimirùm, sequi, evidentiâ rei coacti, fateri debuerunt doctrinæ ontologicæ osores illi, qui inofficiosas voluerant procudi censuras, in quibus sua sensa, velut Fidei dogmata, arroganti supercilio obtruderent, atque ita possent in Ontologistas odium et invidiam auriti

[1] Défense de l'Ontologisme, etc.

populi conflare, sententiam de visione Dei abstractâ, naturali menti humanæ, et de visione idearum in ipsâ summâ essentiâ, calumniis proscindere, eamque Vaticanis protritam fulminibus jactitare.

Jam itaque persuasum habeo novellos illos doctores nihil obtendere amplius posse, per quod suam in posterum opinionem defendant. Sed quia his quoque temporibus multi sunt, qui sanam doctrinam non sustinent, et qui ambulantes etiam in astutiâ ut circumveniant nos, docent quæ non oportet : homines sibi molesti et aliis cum quibus diù disputare insulsum esset et supervacaneum, ut eis omnis dicendi et scribendi contra Ontologismum occasio præcidatur, consilium meum fuit comprobare, rationibus et auctoritate sancti Augustini, philosophiam quam aperto marte oppugnare non metuerunt. Errorem enim quo nititur Neoperipateticorum systema diruit Augustinus, et eâdem operâ ostendit eos qui perceptionem Dei è mente humanâ eradicare conantur, frustrà satagere. Hâc enim in re, inter omnes et veritate doctrinæ, et sententiarum delectu, et rationum pondere, primas tenet inconcussa Doctoris Hipponensis philosophia. Ipse optimè et felicissimè omnia hæc complexus, quibus constat Ontologistarum theoria, fulgentissimam facem et nunquam exstinguendam orbi philosophico prætulit. Ipse digito velut monstrat ad Philosophiæ fastigia perveniendi viam ; ipse copiosam sophismatum et cavillationum segetem, quæ nostris temporibus in scholas eruperunt, veritatis falce armatus rescindit.

Cùm igitur pleno calamo rem ontologicam S. Augustinus tractaverit, et cùm efficacissimum erroris remedium sit placida et perspicua refutatio, uti volui, ad Ontologismi expositionem et comprobationem, S. Doctoris monumentis. Palàm enim et in aperto, sanctus ille vir hanc visionem Dei omnibus ostentat. Sol nihil monstrat evidentiùs in medio die, quàm nobis visionem idearum in Deo sanctus Augustinus. Ad pleniorem itaque argumenti quod, cum bono Deo, tractandum susceperunt Ontologistæ, elucidationem, ex ejus doctrinæ messe et antiqua illâ aurifodinâ, multa veritati firmandæ et vindicandæ, semper existimavi fore ut possent colligi et erui, ex quibus horrea et thesauri Ecclesiæ, id est, Philosophiæ et Theologiæ scholæ replerentur.

Hæc quidem attentiùs apud me reputans, jamdiù animum induxeram varios textus sancti Augustini ad Philosophiam spectantes, in unum volumen colligere et compingere, ut seorsim editi prostarent et, hâc ratione, ea faciliùs divinæ sapientiæ mystæ meditari possent. Consilium illud itaque ante aliquot annos inieram, et sancti Doctoris argumenta in locos communes congerere, ac in

certos titulos redigere cœperam ; cum opportunè inciderunt in manus meas duo volumina egregii operis P. Andreæ Martin, cui titulus *Philosophia Christiana* præfixus est, et in quo sancti Doctoris testimonia Ontologismum comprobantia, in unum veluti corpus collecta reperiuntur. Alia tria volumina collectionis hujus augustinianæ, cùm per decem annos frustrà exquisiveram et ea nancisci non contigerat, hisce diebus, vacationibus nempè autumnalibus, ex Bibliothecæ parisiensis codice exscripsi. Et confestim, ob exemplariorum hujus compendii raritatem, ad illud rursus publicandum me accinxi. Vix enim credo ullum reperiri aliud quod majori perspicuitate sit conscriptum ; quod philosophicarum rerum notitiam pleniorem subministrans, ad summum Philosophiæ fastigium, lectores suos evehat promptiùs ; quod denique discussis sciolorum vaniloquiis, ceu nebulis, theoremata philosophica explicet melius [1].

[1] Hoc opus semel et iterum (Andegavi 1667 et Parisiis 1671) typis excusum fuit. Collector luci etiam publicæ mandavit præterea volumen aliud sextum, *de Animâ bestiarum* ; quod, quia de illa animâ satis jam sit dictum in tractatu generali de *Animâ*, prelo denuò committendum non duxi. Septimum volumen de quo loquuntur nonnulli, non vidi. De hujus autem spicilegii dotibus et utilitate, judicium nostrum fusiori oratione, ut interponatur nihil necesse est. Sufficiat hìc approbationem iterare, quam Doctores theologi sacræ Facultatis parisiensis hisce R. P. Andreæ Martin quinque voluminibus appenderunt : « In quibus, inquiunt, cum non nisi sancti Augustini placita ex diversis ejusdem libris passim dispersa fideliter et accuratè excerpta et collecta deprehenderimus, non modò nihil seu fidei Catholicæ, seu bonis moribus adversum reperimus, verum etiam non potuimus non laudare collectoris et laborem et solertiam : opusque illud utilissimum judicavimus, quo utique brevis et ad manum haberetur universæ propemodùm tanti Ecclesiæ Magistri doctrinæ elucidatio. Datum Parisiis, An. R. S. H. 1667, die ultimâ Aug. » — L. Marais. J. Lambert.

Alius ejusdem Facultatis doctor hæc adnectit elogia : « Si ex sacro eloquio sapientiæ placuit ædificare sibi domum, quidni Augustinianam ipsam Philosophiam, quasi Augustam sapientiæ basilicam suspiciamus? cui porrò sua sunt hypetra in terminorum notione prima, quæ tum suis tabulatis accrescit ; dum in ea enunciationum et argumentationum atque opinionum tensa circumducitur. Opere in tanto nullum non movit lapidem congestor iste, cui suæ Architectonicæ ideam unicè designarit suus Augustinus. Ita quippe juravit in verba magistri, ita minutiosè adhæsit, ut totius structuræ hujus Augustalis materiam simul et formam ab ipsomet deprompserit, et non nisi mutum exhibuerit ministerium. Propter quod universum opus fidei Catholicæ apprimè consonum nobis visum est. Ita scripsi ego Doctor *Theologus* facultatis Parisiensis, et Curatus sancti Jacobi à macello, die 16 Septembris 1667. » — Chapelas.

De hoc etiam compendio philosophico Dreux-Duradier (*Bibliothèque poitevine*)

Hanc itaque summam ex collectis et ordinatis sententiis philosophicis Hipponensis Episcopi typis mandavi, immutatâ tamen subscriptione, et *Philosophiam* duntaxat nuncupavi, ne pro theologico tractatu acciperetur. Quinque hujus operis volumina in

hæc inter alia scripsit, in quibus unà operis descriptionem et ejus merita depingit : « L'auteur, dans la préface qui se trouve à la tête du premier volume, commence par définir la philosophie avec saint Augustin, un objet important qui mérite toute notre affection : *Rem magnam totoque animo appetendam.* Il en fait valoir la dignité et la sublimité..... Pour ne pas se méprendre, il forme un plan solide, et déclare qu'il n'entend se servir, pour élever son édifice, que des matériaux que lui fourniront les auteurs ecclésiastiques et les plus éclairés d'entre les profanes. Tout ce qu'il y trouvera de grand, de sublime, de digne de la vraie philosophie lui appartient, il le revendiquera. Il n'ajoutera du sien que des liaisons, encore le trouvera-t-on imprimé en caractères différents pour le distinguer.

» Or, comme quiconque a lu saint Augustin convient que ce Père est, en même temps, le plus grand théologien des philosophes et le plus grand philosophe des théologiens, l'auteur déclare que c'est par les recueils et les extraits qu'il a faits de ses écrits qu'il commencera son ouvrage. Il en résultera, dit-il, une preuve bien claire, que personne n'a pénétré si avant dans tout ce qui concerne la nature de Dieu ou de l'âme, et même celle du corps, et ne l'a expliqué si nettement et avec tant de sagacité.

» Pour suivre un ordre méthodique et convenable à la matière, le P. Martin dit qu'il était nécessaire de ranger ses recueils de manière qu'ils formassent d'abord un traité de philosophie, considéré en général, et ensuite, eu égard à chacune de ses parties, c'est-à-dire, à ce qu'on appelle la Logique, la Physique et la Morale. La difficulté de faire imprimer le cours complet, et les vœux de ses amis, l'ont engagé à donner d'abord les traités sur la philosophie en général, sur l'existence de Dieu, sur Dieu, sur l'âme et sur la philosophie morale, divisés en cinq petits volumes, qui font une espèce de cours complet de philosophie, dont les deux objets, comme le dit saint Augustin, qu'il cite, sont l'âme et Dieu..... Il finit en condamnant, dans son livre, tout ce que l'Eglise y pourrait désapprouver. »

Hæc de re ipsa seu de Collectione; jam ad ipsum Collectorem veniamus. Hujus enim memoriæ hoc debere existimavi, non tantùm me in lucem scriptum ejus delitescens protracturum, sed etiam quisnam fuerit, lectores docturum esse.

Andreas Martin in oppido diœceseos Malleacensis apud Pictavos, Bercorii (Bressuire), vitam auspicatus est. Congregationem Oratorii D. N. J. C. ingressus die 22 augusti anni 1641, in illâ, cum præstantissimo theologo Thomassin et posteà cum Nicolao Malebranche, amorem erga sanctum Augustinum suxit, quem cardinalis de Berulle hujus societatis, nec non et Carmelitarum, in Francià institutor, discipulorum suorum mentibus inseminaverat. Incredibili erat R. P. Martin et intelligendi quæcumque legeret et memoriâ complectendi facultate præditus. Humaniorum litterarum callentissimus, unam vitæ suæ partem studiis, alteram juventuti erudiendæ, consultationibus, confessionibusque audiendis

unum compegi et editionem Patris Martin cum recentioribus et melioribus editionibus operum S. Augustini contuli. Harum ope haud pauca restitui ; innumera dilucidiori interpunctione juvi ; et textum sancti Doctoris ac lectionis integritatem ad optimorum codicum fidem exhibui. Allegationum quoque notas, quæ admodum frequentes in hoc libro occurrunt, minus accuratè quibusdam tractatibus adscriptæ, genuinis reddidi.

Ut autem facilè erat aliis textibus, siquidem etiam multa à Collectore prætermissa sunt, librum augere, sicut et frequentioribus observationibus inspergere ; ita hoc nolui, ne volumen

impendit. Philosophiæ peritiâ clarus, eam cum non mediocri famâ, Massiliæ demonstravit. Deindè Salmurii theologiam publicè docuit, ubi et præclaræ eruditionis existimatione innotuit. Eo in loco adstabat frequenter concertationibus et Thesibus Pseudoreformatorum vulgò Protestantium et, mira in argumentatione, edendo multiplicis eruditionis specimina, eorum falsitatem seu hæresim revincebat. Moribus cæteroquin suavissimis erat excultus ; ita etiam candidus et apertus, ut omnium amorem sibi conciliaverit. Tantâ verò ad eum multitudine scholares calviniani convolabant, ut professores hugonoti salmurienses vetare debuerint ne ipsi P. Andream inviserent*. Tam altas vero in eum radices egerat Veritas et in mores ejus ita erat transfusa, ut nullâ tentationum vi potuerit divelli. Fratrem suum homicidii causâ capite damnatum, cum levi mendacio a morte eripere potuisset, renuit. Et cum rex Ludovicus XIV ab ipso testimonium, circa malefactum postulasset : « Amicum mihi esse fratrem meum dixit, sed magis adhuc amicam veritatem. » Totus autem erat doctus ille vir in cœlestis beatitudinis meditatione, cùm deficiente corpore, Pictavii, die 26 septembris an. 1695, reddidit Deo animam quam per tot annos ei dicaverat.

Hujus Theologi opera hæc sunt :

1° Philosophia moralis christiana seu de rectitudine et pravitate actuum humanorum, de libero arbitrio et consensu divino, juxta principia sanctorum Augustini et Thomæ, Andegavi, 1652, in-16 et in-12.

2° Theses ex universa Theologia Pat. Martin Oratorii D. J. sac., Salmurii, 1653, in-4°. Hæ theses Indici librorum prohibitorum fuerunt inscriptæ, quod nimio amore salutem Hugonotorum prosecutus, ipsis concessiones nimias irrogare visus est.

3° Andreæ Martini Quæstio theologica de Gratia, Salmurii, 1670, in-4°.

4° Theses theologicæ de Gratia, Salmurii, 1674, in-4°.

5° De Mysterio Trinitatis, Salmurii, 1673, in-4°.

6° Philosophia Christiana, 5 vel 7 vol., in-12.

* Hanc rem sic narrat Adry : Ce père était si persuasif et si séduisant, que les professeurs protestants de Saumur défendaient à leurs écoliers de l'aller voir, parce qu'il les ramenait à l'Eglise catholique par ses discours et ses manières (*MSS. tom. IV. Archiv. Parisiensis*). — Il allait disputer à Saumur aux thèses des protestants, et ceux-ci venaient aussi disputer à celles de l'Oratoire. *Idem, ibid.*

jam satis spissum, in molem nimiam, aut in plures tomos excresceret. Aliquos textus tamen extensiùs proposui ut melius mens sancti Doctoris aperiretur; quosdam vero contraxi et nonnullos, qui longiori indiguissent explicatione, aut ad philosophiam minus spectabant consultò omisi. Nonnunquam etiam breves textuum interpretationes, significationes et acceptiones adjeci. Aliquas denique thesium enunciationes seu capitulorum titulos emendare et retractare debui.

Collector enim illectus erroribus Baii, minus rectè interpretatus est textus augustinianos de visione Dei et idearum in divinâ et summâ essentiâ. Quapropter ordinem naturalem ita cum supernaturali miscuit, ut ipsi visum fuerit ordinem supernaturalem esse homini necessarium et essentialem. Unde sequeretur puram naturam esse impossibilem. Cujus propositionis falsitatem et Ecclesiæ auctoritas et ratio ipsa manifestè demonstrant. Theses ergo, quæ leguntur, verbi gratia, pag. 202 et 211, in quibus P. Andreas Martin scripserat : « Nullam veritatem immutabilem, *solis naturæ viribus* posse intelligi; » aut : « Auxilium illud divinum ac *supernaturale*, quo nostra mens ad immutabilem aliquam veritatem intelligendam indiget, esse lucem veritatis ipsius increatam; » et alia istius modi, variis in locis, emendavi; cùm propositiones illæ mentem sancti Augustini non referant. Neque necesse est multum laborare, ut ostendamus sententiarum Hipponensis Præsulis, quæ his thesibus subjacent, germanum sensum, non arctari ad lumen gratiæ, nec intelligi debere de supernaturali et de gloriosissimâ Dei visione. Simplex lectio textuum ostendit, Augustini dicta facilè ab omni Baianismi vel Jansenismi gravamine liberari.

Cæterùm qui voluerit augustinianæ philosophiæ οἰκονομίαν et artem subtiliùs expendere, prænonendus est multiplicem Dei cognitionem posse, secundùm Hipponensem Doctorem, creaturæ rationali competere : cognitionem scilicet *naturalem directam*, quæ decursu temporis fit *reflexa* aut etiam *scientifica;* cognitionem præterea *supernaturalem per fidem*, quæ præparat ad cognitionem *mysticam* Sanctorum in hâc vitâ, et ad *visionem intuitivam* Beatorum in ipsâmet fruitione summi Boni.

Cognitionem directam nomine memoriæ sæpe signat S. Augustinus. Hâc cognitione, Deus naturaliter ab omnibus hominibus cernitur, quin plerique ad illud objectum mentis suæ attendant; hâc etiam cognitione ipsi summo et primo Enti, in quo omnis veritas æterna sedem habet, anima rationalis connectitur; et sic potestatem seu facultatem obtinet, quâ ad cognitionem reflexam et

scientificam attributorum Dei et idearum, quæ in ipso sunt, pervenit. Homines qui perfectiori hoc gradu Deum attingunt vocantur Philosophi, Amatores sapientiæ, Sapientes ; quo nomine insigniri non possunt, nisi Deum intellectualiter videant, ut observat sanctus Doctor, dicens : *Cum sapiens sit Deo conjunctus, ut nihil interponatur quod separet ; Deus enim est Veritas; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat* [1].

Ad hunc ergo modum Ens ἁπλῶς, seu Ens simpliciter, Deus, est *lumen naturale* mentium ; ipse est veritas quam *mens, intellectus*, non *sensus*, cognoscit. Ipse est *Sapientia, quæ mente intellecta conspicitur, et in cujus luce de his omnibus* (rebus finitis) *veraciter judicamus* [2]. In illâ incorporeâ veritate *non solum rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes ; verum etiam motionum in temporibus transeuntium sine temporali transitu stant etiam ipsæ utique intelligibiles, non sensibiles* [3]. Cognitione harum proprietatum generalium seu idearum *in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium* [4] subvehitur humana mens. Quapropter omni intelligenti dicitur : *Ut multùm oculus es ; lumen non es. Quid prodest patens et sanus oculus, si lumen desit? Ergo dic, a te tibi lumen non esse ; et clama quod scriptum est* : TU ILLUMINABIS LUCERNAM MEAM, *Domine* : *lumine tuo*, DOMINE, ILLUMINABIS TENEBRAS MEAS. *Meæ enim nihil nisi tenebræ* : *tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me* : *non a me mihi lumen existens ; sed lumen non participans nisi in te* [5]. *Ipsa lux tua et veritas tua* : *hæc nomina duo, res una. Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei* [6]. *Veritas* autem *est Deus* [7].

Lumen illud naturale cæteroquin doctissimus et sanctissimus Hipponensis Antistes, disertè distinguit a supernaturali, cùm super illud Joannis : *Vita erat lux hominum*, agnoscat *aliud esse lumen ad credendum et aliud ad intelligendum*. Quibus verbis satis ostendit, ex suâ sententiâ, lucem increatam duplici lumine hominem illuminare. Intellectionem prætereà naturalem apprimè separat et discernit ab intuitivâ et beatificâ Dei visione de quâ dicit : *Cujus* (Dei) *plena visio est summa felicitas* [8], aut quam indigitat his verbis : *Illâ cognitione, illâ visione, illâ contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium* [9].

Eâ de causâ sanctus Doctor varias etiam *sapientiæ* acceptiones

[1] Lib. de Util. credendi, cap. 13. — [2] Epist. 85. — [3] Lib. 12, de Trinit., cap. 14. — [4] Lib. 12, de Genes. ad litt., cap. 26. — [5] Serm. 8, de Verb. Dom. — [6] In Psalm. 42. — [7] In Psalm. 30. — [8] Enchirid. ad Laur., cap. 5. — [9] Lib. de Spirit. et litt., cap. 33.

admittit. Nunc loquitur de sapientiâ naturali, de cognitione Dei scientificâ, seu scientiâ idearum ; nunc de sapientiâ supernaturali, quæ est fides, seu religio christiana ; nunc etiam de complexu utriusque istius sapientiæ. Collector textus ad varias istas cognitiones attinentes passim commiscuit ; varios sensus vocis sapientiæ distinguere neglexit, et ea quæ ad sapientiam naturalem seu philosophiam spectant, ab iis quæ sapientiæ Christianorum, seu sapientiæ ex fide sunt propria, non scitè secrevit. Nolui in omnibus hæc emendare, cùm possis, Lector benevole, hæc omnia facilè dijudicare atque discernere ; sufficiat tibi interpretandi Augustinum me tradidisse modum.

Notandum est etiam quod si Deus, quatenus est lumen mentium, omnibus hominibus aliquâ ratione pateat, inæqualiter tamen ab ipsis apprehenditur. Quamvis enim internæ illustrationis radios divinus ille sol in omnes mentes effundat, pauci tamen studio et labore in illius speculationem progrediuntur. Et sic *lumen philosophicum* aliquibus tantùm illustrioribus ingeniis, impertitur ille de quo legitur in libro Sapientiæ : ***Deus sapientiæ dux est et sapientium emendator***[1].

Plerumquè homines divinum illum solem veluti deserunt, evagando in phantasmatibus suis, et ad sensibilia longius avolando. Res finitæ mentis oculum inficiunt, offuscant, impediunt ac ineptum reddunt. Corpus producit confusiones aut tenebras mentales ; et phantasmatum turba, quæ maxima causa est inadvertentiæ, nos a consortio pleniori lucis æternæ separat. Necesse est itaque, ut per abstractionem a materia, mens liberetur ab illis impedimentis, quæ intellectum circumstant eique obsistunt, ne illuminari videreque possit explicatiùs lumen divinum. Fugiendum est à terrenis ad Deum.

Porrò hic est essentialiter Philosophiæ scopus. Sapiens omne mentis studium a terrenis ad cœlestia, a mobilibus ad immobilia, a sensibilibus ad intelligibilia, pro viribus convertit. Quare Pythagoræ philosophia distinguebatur in *purgantem* et *perficientem*. Quod rectè Hierocles expressit, dicens : Φιλοσοφία ἐστὶ ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσις καὶ τελειότης (Philosophia est vitæ humanæ purgatio et perfectio)[2]. Et reverà quamdam mentis purgationem Philosophia præbet. Conversione ad Deum purgatur mentis oculus. Quod rectè animadvertit S. Augustinus cùm dixit : ***Res humanæ fallunt hominem, res divinæ purgant***[3] ; vel etiam : *Anima istis quæ per*

[1] Lib. sap. VII, 15. — [2] Comment. carm. Pythagoricorum. — [3] Tract 21, in Joann.

corpus accipit, carendo fit melior, cum sese avertit a carnalibus sensibus, et divinis sapientiæ numeris reformatur[1]. Ubi vero per numeros sanctum Doctorem ideas intellexisse omnes compertum ac exploratum habent.

Ex his ergo apertè significatur quare, etsi ideæ sint in se evidentissimæ, tamen opus est intellectu repurgato ad ea scientificè percipienda, ut rectè observat Joannes Grammaticus in Aristotelis *de Anima*, Proœmio, pag. 1, ubi sic : *Intelligentiæ operatio illis solis adest, quibus ad supremam purgationem et scientiam pervenisse contigit, et qui per purgativas virtutes sine imaginatione, et sine sensu operari sunt assuefacti. Est enim intelligentia veluti perfectissimus animæ habitus.* Profectus ergo philosophicus purum mentis oculum requirit ut possit homo contemplari divina. Non nisi qui sensus composuerit et in se habitaverit, occluseritque interioris auditûs obturbamenta, liquidis illis de Dei et divinarum rerum contemplatione voluptatibus perfundendus est. Quamobrem Socrates purgando mentis palato, et ad divina contemplanda præparando, Moralem, vitæ moderatricem præmittendam esse censebat. Eâdem de causâ S. Augustinus ait Sapientiæ, Justitiæ, Bonitati philosophicè videndæ, complectendæ, corda esse mundanda; et reverà, sub hoc respectu, Deus est tantummodo lumen mentium purgatarum, id est, philosophorum.

Quamvis igitur divinorum contemplatio sit operatio intellectui propria; attamen, quia quantò magis abstrahitur mens à rebus sensibilibus, tantò magis ad perspicienda spiritualia elevatur, necesse est ut intellectus actu quodam voluntatis, à corporeis formis ad divinarum rerum contemplationem convertatur. Pravæ enim atque distortæ voluntatis implicatio, vinculum est quo alligatur intelligentia; ita ut, quod egregiè notat Augustinus, obligata anima amore terreno, quasi viscum habeat in pennis, volare non possit. Undè intelligitur quo modo etsi juxta ipsum omnis mens consulat æternam Sapientiam; hæc tamen solùm panditur cuique, quantum capere potest propter malam vel bonam voluntatem. Hæc porro mala vel bona voluntas est attentio. Bona est illa quam Deo præstat philosophus, vir nempè intellectualis, qui non tepidè, sed è contra ferventer, sollicitè et diligenter inquirit; quod est charitate scrutari. Charitas enim excitat fervorem et sollicitudinem. Undè hic notandum est quoque S. Doctorem sæpe vocem *charitas* habere synonymam amoris sive boni, naturalis nempè aut supernaturalis, sive mali. Sic, v. g. dicit : *Charitas alia*

[1] De Musicâ, lib. VI, cap. 4.

est divina, alia humana : alia est humana licita, alia illicita[1] ; et paulò infrà : « *Sed videtis istam charitatem esse posse et impiorum, id est, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, amicos, etc?*[2]

Ex dictis intelligitur etiam quarè peccata quæ nos rebus finitis colligant, dicuntur impedire animam quin intenta sit in Domino et conspiciat æterna. Illud enim tenendum est nomine peccati, nonnunquam Augustinum defectus intellectuales intellexisse; actus videlicet hominis merè sensuales, in quibus non viget, seu exerceri non videtur, facultas illa quâ homines sumus, intellectus. Satis jam notum est plures vitii et peccati definitiones ab ipso pro occasionum opportunitate descriptas, in unam veritatem *ordinis neglecti ac perturbati* convenire. Sic lib. I. Retract. cap. 15 : *Peccatum est*, inquit, *quod fieri non debuit ;* et lib. 2. Confess. cap. 5 : *Peccatum admittitur..... cùm meliora et summa deseruntur, tu, Domine, Deus noster, et veritas tua, et lex tua* ; libro autem primo de Lib. Arb. cap. 16 : *Peccatum est, cùm quisque avertitur a divinis, vereque manentibus, et ad mutabilia atque incerta convertitur.* Et tandem, lib. 15 de Civ. Dei, cap. 22 : *Malum est ordinis perturbatio.*

Omnis igitur homo qui se avertit ab æternâ luce, et ad sensibilia declinat, *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, deserendo meliora et summa ordinem perturbat, facit quod natura sua vetat, amittit ut bonus sit ; ac proindè, cum homo præcipuè sit animus, dici potest peccare ille qui contra rationem, animaliter tantùm operatur. Istiusmodi motus sensuales, informes et imperfecti sunt; actus non sunt quales conveniunt homini ; à fine deficiunt, et cùm S. Thomas meritò dixerit *omnem defectum debiti actus habere rationem peccati*, asseverare indè possumus homines illos peccare, qui solâ phantasiâ vivunt et asininas videntur animas habere. Deficiunt enim ab objecto suo, actum humanum non perficiunt.

Proindè, cupienti sapienter vivere conandum est, ut actus suos sensitivos actibus intellectualibus informet, quibus solummodo de Intelligibili, de summo Bono, de ultimo Fine, et uno verbo, de ideis potest cogitare. Ab actibus illis merè sensitivis tanquam peccatis, ut jubet Augustinus, aspectum aciemque mentis purgare debemus, si Sapientiæ pulchritudinem cernere cupimus. Necessitatem hujus purgationis ipsa Sapientia docet ac efflagitat.

Familiare est etiam sancto Doctori dicere animum purgari per

[1] Serm. 52, de Tempore. — [2] Ibid.

fidem ; quod rectè ratio ipsa comprobat. Fide enim ad meliora amanda movemur. Amor autem Dei supernaturalis juvat per se amorem quo philosophicè ad ipsum tendimus. Sicque caligantes hominum mentes, quæ consuetudine tenebrarum, perspicuitati luminis divini aspectum idoneum intendere nequeunt, fide perducuntur ut ad æterna transire possint. Idcirco, qui non valent verum perspicere, contemplari ; qui nequeunt philosophari, imbuantur, purgentur fide ; quæ ex unâ parte, absolutè necessaria est ut perveniamus ad lucem supernaturalem ; et ex alterâ, intellectioni lucis naturalis Dei præparat hominem.

Fides verò quæ sic hominem disponit ad philosophandum, illa est quâ anima humana in Deum ipsum fertur. Exercitatio hæc mentis in fide, in spe et in charitate, cor nostrum elevat supra res sensibiles, quæ a consideratione rerum intellectualium nos avertunt, lumini divino naturali videndo oculum interiorem præparat et hoc modo multùm inservit philosophantibus.

Hæc habui, Lector humanissime, quæ tuâ causâ scriberem. Collectionem quam tibi in præsentiarum offero, quæ S. Augustini præcipua dogmata philosophica continet, talis est ut ejus usu semper ad Deum speculandum paratus esse possis. Doctrinam hanc tene ; illâ fruere, delectare. Quam utinàm intelligant Neoperipatetici et Menesiani ! Nam si attentiùs rem totam perpenderent, statim abjicerent litem corde suo ; perspicerent concordiam variarum cognitionum Dei, quæ mentibus nostris competunt ; viderent sanctum Auctorem in quo laudando omnium sæculorum perspicaciores ingenio certârunt, consequenter in iisdem omnibus loquentem ; agnoscerent apud ipsum omnia rectè esse disposita et cohærentia, nequaquàm rixantia ; cessarent posteriora prioribus opponere, doctissimorumque virorum exemplo, Augustini philosophiam exciperent, foverent et sibi contubernalem facerent.

Iis ergo videbis, Lector benevole, paratum esse medelæ vice librum hunc, quem ut attentè perlegere velint, non rogo tantùm, sed oro etiam et obtestor per illas animas quas in perpetuis, sat scio, tenebris minimè vellent detineri. Aut fallor ego valdè, aut ex hâc scintillâ, verum lucis fontem agnoscent et ereptos è tenebris animos suos illò perducent, undè lucet lumen illud verum *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Attendant, intelligant, Deum sequantur lumen suum, ne ambulent in tenebris ; et accepto adjutorio porrecto sibi desuper, *debitores sint non carni, ut secundùm carnem vivant*, sed Deo qui cibus est et potus mentium.

Erectiores et excelsiores sint in suis cogitationibus, agnoscant

Deum nobis frustrà alas dedisse si tantùm reptare super terram, nunquam humo se tollere, nunquam æthera petere liceret. Captivitatis rerum terrenarum eos aliquando jam tædeat. Nolint ultrà ferre jugum quod ipsos immaniter deprimit. Jacentes surgant, surgentes stent, stantes adsistant, adsistentes persistant. Certatim accedant ut illuminentur; inhæreant veritati, resistant falsitati; et videbunt ad quam delectationem Dominus, ministerio Ontologistarum, eos vocat. Nostris diebus premuntur quidem ii, at non coarctantur; persecutionem patiuntur, sed in eâ non deseruntur; dejiciuntur, at non pereunt. Certi siquidem sunt, iis qui diliguntDeum, tandem aliquando omnia simul conferre in bonum. Cum theologis itaque philosophisque illis ontologicæ scholæ, sursùm respiciant Neoperipatetici; ad divinorum intellectionem se erigant; clament et ipsi : *Dominus illuminatio mea* (Psalm. 26. I); nobiscum transeant in rationis etsanæ philosophiæ castra; ita ut omnes idem sapiendo, idem loquendo, cum sanctæ charitatis et mutuæ conspirationis glorioso certamine, bella Domini possimus bellare, et ab Antichristianis, ad Dei gloriam et Ecclesiæ ædificationem, victoriam reportare.

Scripsi Tolosæ, ipsis Idibus Octobris,
in festo sanctæ Teresiæ, A. R. S. MDCCCLXII.

COLLECTORIS

PRÆFATIO.

Ipsum nomen Philosophiæ si consideretur, rem magnam totoque animo appetendam significat, inquit, ut Philosophiæ dignitatem utcumque nobis insinuet, Christianorum Philosophorum facilè Princeps Augustinus. In ipsa certè divinum ac sublime quidpiam ab omnibus huc usquè populis fuisse deprehensum existimandum est, cùm nullam omnino gentem, sive sacram, qualis Hebræa fuit, sive etiam profanam reperire sit, quæ Philosophos præcipuo cultu ac singulari quadam reverentiâ non sit venerata, velut homines altioris quasi ordinis et supra communem mortalium sortem sublimes, eosque præ cæteris non elegerit, quibus ut summo numini propinquissimis rem omnium augustissimam ac divinissimam, ipsum nempe sacrificandi munus, totamque divinorum mysteriorum curam committeret: adeo ut iidem rerum causas indagarent, inquit Ficinus, et sacrificia summæ ipsius rerum causæ diligenter administrarent; atque iidem apud omnes gentes Philosophi et Sacerdotes existerent.

Tantum hunc honorem Philosophis ubique gentium semper exhibitum diligentiùs attendenti, hæc mihi statim

succurrit cogitatio, vel in tanta ista Philosophicæ professionis æstimatione populos omnes virosque etiam excellentissimos, fuisse turpiter hallucinatos, inanemque et frustrà omnino à natura inditum esse hominibus instinctum illum, quo naturaliter in Philosophiæ venerationem impelli nos omnes experimur, vel certè à verâ Philosophiâ toto cœlo dissitum esse tritum illud ac jejunum Philosophandi genus, quod apud nimiùm plures jamdudum vigere ingemiscimus : cum nihil magnum, nihil augustum, nihil sublime, divinum nihil habeat, quod tantam admirationem tantamque venerationem mereatur, nihilque fermè nisi quisquilias ac mera quædam nugamenta complectatur , quæ cùm vilia prorsus et abjecta sint, contemptum, nauseam, et fastidium discentibus, ac longè majora expectantibus potiùs ingerunt, quam admirationem et reverentiam sibi conciliant.

Aliam proindè Philosophandi rationem incundam censui, quæ rem omnium maximam ac sacratissimam attingat, hoc est, in ipsius sapientiæ seu veritatis æternæ contemplatione et amore tota versetur ; sicque naturæ suæ dignitate sublimem illam, quæ omnium mentibus naturaliter insita est, ideam Philosophiæ, quantum fieri potest, assequatur. Ipsam verò habita finis sui ratione, Christianam Philosophiam meritò dici posse facilè concesserit, quisquis verum ac proprium illius finem et scopum non esse nisi veritatis æternæ, id est, veri summique Dei amorem castum ac sincerum meminerit.

Christianam igitur hanc Philosophiam explicare mihi in hoc opere propositum est, et priùs quidem ex variis cum Ecclesiasticis, tum etiam profanis auctoribus, qui

religiosiùs et sacratiùs Philosophati sunt, quicquid de hoc argumento præclarissimum in singulis occurrit, simul ita colligere, ut et conceptis ipsorum verbis efferantur omnia (si modò quasdam duntaxat ad collectarum hinc indè sententiarum connexionem omnino necessarias, diversisque expressas caracteribus particulas exceperis) et coacervatis sæpissimè ad unam eamdemque rem explicandam testimoniis, nullus de ipsorum sensu dubitandi locus relinquatur.

Quia verò in hoc etiam genere cæteris omnibus longè præstat Augustinus, qui nempe sicut nemine reclamante in Theologicis, sic etiam, ut ex iis quæ in hoc opere proferenda sunt perspicuum erit, in Philosophicis rebus nemo planè comparandus ; exordium ab ipso sumere mihi visum est, proindeque ex cunctis ejus elucubrationibus seligere, quæ circa Philosophiam subtilissimè ac solidissimè disputavit, ut nullum unquam sive Dei, sive animæ, sive ipsius etiam corporis naturam vel subtiliùs indagâsse, vel veriùs esse assecutum, vel denique felicius explicâsse omnibus elucescat.

Et naturæ quidem ordo exigebat, ut in collectionum mearum editione primùm quæ ad Philosophiam universim spectatam, tum ea, quæ ad singulas Philosophiæ partes, id est, rationalem, naturalem et moralem Philosophiam spectant, ipse proponerem. Verùm quia non ita citò typis commendari possunt omnia, et à me plerique votis suis quasi extorquent quos de Philosophia universim, de existentia et veritate Dei, de Deo, de Anima, et de Morali Philosophia paratos jam tractatus norunt, antequam universum opus absolvi possit, quinque ista Christianæ meæ Philosophiæ volumina ut præmitterem

variis ex causis tandem adductus sum, et eò quidem faciliùs ac libentiùs, quò Philosophiæ veluti summam continent, *Cujus,* ut præclarè observavit Augustinus, *duplex quæstio est, una de Anima, altera de Deo. Prima efficit ut nosmetipsos noverimus, altera ut originem nostram. Illa nobis dulcior, ista elatior : Illa nos dignos beatâ vitâ, beatos hæc facit.*

Cæterùm incauto si quid fortassis exciderit, quod Sancta et Catholica minus probet Ecclesia hoc et à me statim improbatum velim, et ab omnibus prorsus, quibus in hæc opuscula mea incidere contigerit.

PARS PRIMA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS

DE

PHILOSOPHIA UNIVERSIM.

CAPUT I.

DE ETYMOLOGIA ET ORIGINE NOMINIS PHILOSOPHIÆ.

Hoc [1] græcum vocabulum, quod Philosophia nominatur, latinè amor sapientiæ dicitur.

A [2] Pythagora *autem* Samio ferunt ipsum Philosophiæ nomen exortum. Nam cum anteà sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur (*sic enim* [3] septem appellati sapientes) : [4] iste interrogatus quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, id est, studiosum vel amatorem sapientiæ; quoniam sapientem se profiteri arrogantissimum videbatur.

Ita [5] Pythagoras, cum ausus non fuisset sapientiam profiteri, Philosophum potiùs, id est, amatorem sapientiæ se esse respondit : à quo id nomen exortum ita deinceps posteris placuit, ut quantâlibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrinâ quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere, non nisi Philosophus vocaretur.

[1] Lib. 1, de Ord. c. ult. — [2] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 2. — [3] Ibid. lib. 18, cap. 25. — [4] Ibid. lib. 8, cap. 2. — [5] Lib. 14, de Trinit., cap. 1.

CAPUT II.

PHILOSOPHIÆ FINEM ESSE BEATAM VITAM.

Philosophia [1] ad beatam vitam tendit, [2] propter quam unam omnium Philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria. [3] Quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. Quod autem beatum facit, ipse est finis boni. Nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni. *Sicque* [4] Philosophia se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati.

Ex [5] his propter obtinendam beatam vitam tripertita, ut *infra dicetur*, à Philosophis inventa est disciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum.

Ipsum [6] *igitur* nomen Philosophiæ si consideretur, rem magnam totoque animo appetendam significat. Siquidem Philosophia est amor studiumque sapientiæ, *ut supra jam advertimus*, [7] nec ullus ita surdus est in rebus humanis, ut nesciat Philosophos, vel studium sapientiæ, vel ipsam sapientiam profiteri.

Jam verò, [8] quæso te, quid de ipsa sapientia putas existimandum? Video quippe variè videri hominibus quid fiat dicaturve sapienter. Nam et qui militant, sapienter sibi facere videntur, et qui contemptâ militiâ colendo agro curam atque operam impendunt, hoc potiùs laudant, tribuuntque sapientiæ; et qui astuti sunt ad excogitandos modos conquirendæ pecuniæ, sibi videntur sapientes; et qui hæc omnia negligunt, vel abjiciunt, et quæque sunt hujusmodi temporalia, et totum studium suum ad investigationem conferunt veritatis, ut semetipsos Deumque cog-

[1] Lib. 8. de Civit. Dei, cap. 9. — [2] Ibid. cap. 3. — [3] Ibid. lib 19, cap. 1. — [4] Ibid. lib. 18, cap 39. — [5] Ibid, l. 11, cap. 25. — [6] Lib. de Mor. Eccl., cap. 21. — [7] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9. — [8] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9.

noscant, magnum hoc esse sapientiæ munus judicant; et qui huic otio quærendi, et contemplandi veri nolunt se dare, sed potiùs laboriosissimis curis et officiis agunt, ut hominibus consulant, et in rerum humanarum justè moderandarum, et gubernandarum actione versentur, sapientes se esse arbitrantur; et qui utrumque horum agunt, et partim vivunt in contemplatione veritatis, partim in laboribus officiosis, quos humanæ societati deberi putant, sibi palmam sapientiæ tenere videntur. Omitto innumerabiles sectas, quarum nulla est, quæ non sectatores suos præponens cæteris, eos solos velit esse sapientes.

Tu verò, [1] num aliam putas esse sapientiam *objectivam*, nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum? Nam illi omnes, quos commemorasti, diversa sectantes, bonum appetunt, et malum fugiunt : sed propterea diversa sectantur, quod aliud alii videtur bonum. Quisquis ergo appetit quod appetendum non erat, tametsi id non appeteret, nisi ei videretur bonum, errat tamen. Errare autem neque ille potest qui nihil appetit, neque ille qui hoc appetit quod debet appetere. In quantum igitur omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet vitæ viam, quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur et profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Error enim est, cùm sequimur aliquid, quod non ad id ducit, quò volumus pervenire. Et quantò magis in via vitæ quis errat, tantò minus sapit. Tantò enim magis longè est à veritate, in qua cernitur et tenetur summum bonum. Summo autem bono assecuto et adepto, beatus quisque fit, quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur.

Constat itaque [2] perfectum sapientem esse debere. [3] Optimum enim in animo sapientia. Summum bonum

[1] Ibid. — [2] L. 1, contra Acad., cap. 9. — [3] Lib. 1, Solil., cap. 12.

hominis sapere. [1] Quid igitur aliud agimus, cum studemus esse sapientes, nisi ut quanta possumus alacritate ad id, quod mente contingimus, totam animam nostram quodammodo colligamus, et ponamus ibi atque stabiliter infigamus, ut jam non privato suo gaudeat, quod implicavit rebus transeuntibus, sed omnibus temporum et locorum affectionibus apprehendat id, quod unum atque idem semper est ?

CAPUT III.

EX DICTIS COLLIGITUR NIHIL IN PHILOSOPHIA SPECTARI, NISI PER ORDINEM AD SAPIENTIAM SEU BEATITUDINEM, QUAM PHILOSOPHIÆ FINEM ESSE PROBATUM EST.

Non [2] *igitur* frustrà et inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripertitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia : in quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper permanentia faciendus. *Hæc enim* [3] omnia quisquis ita dilexerit, ut jactare se inter imperitos velit, et non potiùs quærere unde sint vera quæ, tantummodo vera esse persenserit, et inde quædam non solùm vera, sed etiam incommutabilia esse non comprehenderit, ac sic à specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, cum et ipsam mutabilem invenerit, quòd nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, et mutabilia infra se cætera, ad unius Dei laudem, atque dilectionem cuncta convertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, sapiens autem esse

[1] Ibid., lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [2] Lib. de Vera relig., cap. 29. — [3] Lib. 2 de Doctr. Christ., cap. 38.

nullo modo. [1]Omnis enim sapientiæ disciplina est, quæ ad homines erudiendos pertinet, creatorem creaturamque dignoscere, et illum colere dominantem, istam subjectam fateri.

Quæ [2]cum ita sint, quando nobis Maronis ille versus placet : *Felix qui potuit rerum cognoscere causas*, non nobis videatur ad felicitatem consequendam pertinere, si sciamus causas magnarum in mundo corporalium motionum, quæ abditissimis naturæ finibus occuluntur : *Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant, obicibus ruptis, rursùsque in seipsa residant*, et cætera hujusmodi; sed bonarum et malarum rerum causas nosse debemus. Et id hactenus, quatenus eas homini in hâc vitâ erroribus ærumnisque plenissimâ, ad eosdem errores, et ærumnas evadendas nosse conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum est, ubi nullâ quatiamur ærumnâ, nullo errore fallamur. Nam si causæ corporalium motionum noscendæ nobis essent, nullas magis nosse, quàm nostræ valetudinis deberemus. Cum verò eis ignoratis, medicos quærimus, quis non videat quod de secretis cœli et terræ nos latet, quantâ sit patientiâ nesciendum?

Quamobrem [3]rectè curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est : *Cavete ne quis vos seducat per Philosophiam* : *quibus* [4]cautissimè Apostolus, ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subjecit : *Et elementa hujus mundi.* Sunt enim qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimèque perquirant; unde tanta etiam eis superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpissimè disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus; aut

[1] Lib. 83, qq. q. 81. — [2] Enchirid. ad Laurent., cap. 16. — [3] Lib de Mor. Eccl., cap. 21. — [4] Ibid.

etiam si auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, et tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quòd præcipitur cavendum esse à simulacris. Huic *autem* auctoritati novi Testamenti, quâ jubemur *nihil mundi hujus diligere*, illa maximè sententia qua dictum est : *Nolite conformari huic mundo* : simul enim demonstrandum est ei rei quemque conformari quam diligit. Huic ergo auctoritati, si de veteri *etiam* Testamento quæram quid comparem, plura quidem invenio, sed unus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissimè in summum contemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas : quæ abundantia homini in omni labore suo quem ipse laborat sub sole?* Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis qui hunc mundum fugere, et refugere in Deum desiderant.

Numquid[1], *quæso*, Domine Deus veritatis, quisquis novit ista, ipse placet tibi? Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui verò et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, *si cognoscens te, sicut Deum glorificet et gratias agat, et non evanescat in cogitationibus suis.* Sicut enim melior est, qui novit possidere arborem, et de usu ejus tibi gratias agit, quamvis nesciat vel quot cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa, quàm ille qui eam metitur, et omnes ramos eis numerat, et neque possidet eam, neque Creatorem ejus novit aut diligit. Sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, et *quasi nihil habens, omnia possidet,* inhærendo tibi cui serviunt omnia, quamvis nec saltem *Septentrionum gyros noverit,* dubitare stultum est quin utique melior sit quàm mensor cœli, et numerator siderum, et pensor elementorum, et negligens tui, *qui omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.*

Ecce, [2]figura corporis non proni, sed erecti sumus. Qua in

[1] Lib. 5, Confess., cap. 4. — [2] Lib. 12 de Trinit., cap. 1.

re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est, animo similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione distamus : non ut in ea quæ sublimia sunt in corporibus, animum projiciamus. Nam vel in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum : sed sicut corpus ad ea quæ sunt excelsa corporum, id est, ad cœlestia naturaliter erectum est ; sic animus qui substantia spiritalis est, ad ea quæ sunt in spiritalibus excelsa, erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. *Pergendum scilicet*[1] in Deum, id est in ipsam contemplationem veritatis, et illud propter quod tantùm *laborandum* est, altissimum et sacratissimum præmium. [2]In ipsâ *quippe* visione atque contemplatione veritatis, quæ [3]ultimus animæ ad *sapientiam tendentis* gradus est, neque jam gradus, sed quædam mansio, quò illis gradibus pervenitur, *quibus ad ipsam per creaturarum cognitionem ascendimus*, quæ sint gaudia, quæ perfruitio veri et summi boni, cujus serenitatis atque æternitatis afflatus quid ego dicam? *Tendendum igitur*, [4]ad summam illam causam, vel summum auctorem, vel summum principium rerum omnium, vel si quo alio modo res tantum congruentiùs appellari potest : quo intellecto verè videbimus quàm sint omnia sub sole vanitas, [5]quantum inter hæc, et ea quæ verè sunt distet, et quemadmodum omnia *quæ* Deo auctore creata sunt, in illius comparatione nulla sint, quamvis per se considerata mira atque pulchra.

Et[6] multi *tamen* multum disputant de iis rebus quas majore prudentiâ nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, et occupantes quod pejus est multùm pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet utrum cœlum sicut sphæra undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? [7]De motu etiam cœli nonnulli fratres quæstionem movent, utrum stet an moveatur? [8]Quibus respondeo,

[1] Lib. de Quant. anim., cap. 33. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 2 de Genes., ad lit., c. 9. — [7] Ibid., c. 10. — [8] Ibid.

multùm subtilibus et laboriosis rationibus ista perquiri, ut percipiatur, utrum ita, an non ita sit: quibus ineundis atque tractandis, nec mihi jam tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, et sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari. *Proinde* [1] dicant quod volunt de cœlo alieni a Patre, qui est in cœlis. Nobis autem de intervallis et magnitudine siderum subtiliùs aliquid quærere, talique inquisitioni rebus gravioribus et melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. [2] Astronomia *enim*, verbi gratia, et si quid aliud talium disciplinarum, magis ad exercenda ingenia, quàm ad illuminandas vera sapientia mentes valere solet. [3] In quibus omnibus tenendum est, ne quid nimis; et maximè in iis, quæ ad corporis sensus pertinentia volvuntur temporibus, et continentur locis.

Quamquam [4] *et* in Musica, in Geometria, in astrorum motibus, in numerorum necessitatibus ordo ita dominatur, ut si quis quasi ejus fontem atque ipsum penetrale videre desideret, aut in his inveniat, aut per hæc eò sine ullo errore ducatur. Talis enim eruditio, si quis ea moderatè utatur (nam nihil ibi quam nimium formidandum est) talem philosophiæ militem nutrit, vel etiam ducem, ut ad summum illum modum, ultra quem requirere aliquid nec possit, nec debeat, nec cupiat, qua vult evolet, atque perveniat, multosque perducat. Unde jam, dum ipsis humanis rebus teneatur, sic eas despiciat, cunctaque discernat, ut nullo modo eum moveant, *quæ* in hominum vita cogunt homines plerumque impiè credere nullo nos ordine divinæ providentiæ gubernari.

Hincque est, [5] quod satis diu atque adeo planè pueriliter per quinque *de Musica* libros in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus : quam nostram nugacitatem apud benevolos homines facilè fortassis excuset officiosus labor, quem non ob aliud suscipiendum putavimus, nisi ut adolescentes, vel cujuslibet

[1] Ibid. c. 16. — [2] Lib. 18 de Civit. Dei, cap. 39. — [3] Lib. 2 de Doct. Christ., cap. 39. — [4] Lib. 2 de Ordine, cap. 5. — [5] Lib. 6, Musicæ., cap. 1.

ætatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non præpostere, sed quibusdam gradibus, à sensibus carnis atque carnalibus litteris, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione avellerentur; atque uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nullâ interpositâ naturâ præsidet, incommutabilis veritatis amore adhærescerent. Illos igitur libros qui leget, inveniet nos cum grammaticis, et poeticis animis non habitandi electione, sed itinerandi necessitate, versatos. Ad *sextum* autem librum cum venerit, [1] intelliget non vilis possessionis esse vilem viam, per quam *primò* cum imbecillioribus, nec nos ipsi admodum fortes ambulare maluimus, quàm minùs pennatos per liberiores auras præcipitare.

Displicet [2] *tamen* mihi, quod in libris de ordine multum tribui liberalibus disciplinis; *ubi dixi*: [3] Homines esse disciplinis omnibus erudiendos: aliter quippe illa, quæ ordine providentiæ gubernantur, sic intelligi, ut luce clariora sint, nullo modo posse. [4] Si quis temere ac sine ordine disciplinarum in harum rerum cognitionem audet irruere, pro studioso illum curiosum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri: [5] quas *disciplinas* multi sancti nesciunt; quidam autem qui sciunt sancti non sunt. *Quapropter eos*, [6] qui ad ista intelligenda eruditi non sunt, si Sacramentis Christianæ veritatis imbuti in unum et verum Deum summa caritate intentos cuncta puerilia transvolaverunt, fraternè admoneo, ne ad ista descendant; et cum hìc laborare cœperint, de tarditate sua conquerantur, ignorantes itinera difficilia et molesta pedibus suis, volando se posse etiam ignorata transire. Si autem ii legunt, qui et infirmis, aut inexercitatis gressibus hæc ambulare non possunt, et nullas pietatis alas habent, quibus ista neglecta prætervolent, non se inserant inconvenienti negotio; sed præceptis saluberrimæ religionis, et nido fidei Christianæ, pennas nutriant, quibus supervecti laborem ac pulverem hujus itineris evadant, magis ipsius patriæ,

[1] Lib. 6, Musicæ, cap. 1. — [2] Lib. 1, Retract., cap. 3. — [3] Lib. de Ord., cap. 5. — [4] Ibid. — [5] Lib. 1, Retract., cap. 3. — [6] Lib. 6, Music., cap. 1.

quàm viarum flexuosarum, amore flagrantes. His enim hæc scripta sunt, qui litteris secularibus dediti magnis implicantur erroribus, et bona ingenia in nugis conterunt nescientes quid ibi delectet. Quod si animadverterent, viderent quà effugerent illa retia, et quisnam esset beatissimæ securitatis locus.

CAPUT IV.

PHILOSOPHIÆ OBJECTUM ESSE DEUM, QUATENUS RATIONE COGNOSCITUR, ET SINCERE DILIGITUR ; PROINDEQUE PHILOSOPHIAM DEI COGNITIONEM, ET AMOREM RECTE POSSE DEFINIRI.

Ipsum [1] *Philosophiæ* nomen, *ut supra jam advertimus*, si latinè interpretemur, amorem sapientiæ profitetur. Porrò, si sapientia *objectiva* Deus est, per quem facta sunt omnia, sicut divina auctoritas veritasque *monstrat*, verus Philosophus est amator Dei. [2] Modus *certè* animi sapientia *subjectiva* est. Etenim sapientia contraria stultitiæ non negatur ; et stultitia egestas ; egestati autem contraria plenitudo. Sapientia igitur plenitudo. In plenitudine autem modus. Modus igitur animi in sapientia est. Unde illud præclarum est, et non immeritò diffamatur, hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis. [3] Si *ergo* quæritis quid sit sapientia *subjectiva* (nam et ipsam ratio, quantum in præsentia potuit, evolvit atque eruit) nihil est aliud, quàm modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quàm plenum est coarctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias, cæteraque id genus, quibus immoderatorum miserorumque animi sibi lætitias atque potentias comparari putant. Coarctatur autem sordibus, timoribus, mœrore, cupiditate atque aliis quæcumque sunt, quibus homines miseros etiam miseri confitentur. Cum verò sapientiam contemplatur inventam, cumque ad ipsam se tenet, nec se ad simulacrorum fallaciam,

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 1. — [2] Lib. de beata vita, sub finem. — [3] Ibid.

quorum pondus amplexus à Deo suo cadere, atque demergi solet, ulla commotus inanitate convertit, nihil immoderationis, et ideò nihil egestatis, nihil igitur miseriæ, pertimescit.

Quæ [1] est autem dicenda sapientia (*objectiva*), nisi quæ Dei sapientia est? Accepimus autem etiam auctoritate divina Dei filium nihil esse aliud, quam Dei sapientiam. [2] Quid *enim* putatis esse sapientiam nisi veritatem? Etiam enim hoc dictum est : *Ego sum veritas.* Veritas autem ut sit, fit per aliquem summum modum, à quo procedit, et in quem se perfecta convertit. Quisquis igitur ad summum *hunc* modum per veritatem venerit, *sapiens* et beatus est. [3] Illa est enim plena satietas animorum, hæc est beata vita, piè perfectèque cognoscere, à quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo modo. Quæ tria unum Deum intelligentibus, unamque substantiam, exclusis vanitatibus variæ superstitionis, ostendunt.

Sed et legimus [4] Platonem determinasse finem boni esse secundùm virtutem vivere, et ei soli evenire posse, qui notitiam Dei habeat et imitationem ; nec esse aliam ob causam beatum. Ideoque non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum, cujus natura sit incorporalis. Unde utique colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiæ (id enim est Philosophus) cum Deo frui cœperit. [5] Quisquis enim fruitur eo quod amat, verumque et summum bonum amat, quis eum beatum, nisi miserrimus, negat? Ipsum autem verum, ac summum bonum Plato dicit Deum, unde vult esse Philosophum amatorem Dei ; ut, quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amaverit. [6] Neque *etiam* ullam animam rationalem sapientem fieri disputat, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ; non solùm cujusquam hominis animam ; sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem. Quod *quidem*, esse *scilicet* quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens

[1] Lib. de beata vita sub finem. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Consensu Evangel., cap. 23.

quæcumque anima sit verè sapiens, non tantum *ipsi* concedimus, verumetiam maximè prædicamus. [1] Si *autem* Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem, dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros, quorum nulli nobis, quàm isti, propiùs accesserunt?

Ex his [2] habebis definitionem sapientiæ, *seu Philosophiæ*, quæ nec mea, nec nova est, sed et priscorum hominum. Non enim nunc primùm audis sapientiam esse rerum humanarum divinarumque scientiam. Primò [3] *autem* ego scientiam non appello, in qua ille, qui eam profitetur, aliquando fallitur. Scientia enim non solùm comprehensis, sed ita comprehensis, rebus constat, ut neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet adversantibus impulsus nutare, debeat. Unde verissimè à quibusdam Philosophis dicitur in nullo eam posse nisi in sapiente inveniri, qui non modò perceptum habere debet id quod tuetur ac sequitur, verumetiam inconcussum tenere. [4] Deinde, res humanas esse ut concedam res hominum, quicquam tu existimas nostrum esse, quod nobis vel dare, vel eripere casus potest? Aut cum rerum humanarum scientia dicitur, qua quisque novit vel quot, vel quales fundos habeamus; quid auri, quid argenti, quidque denique alienorum carminum cogitemus? Illa est humanarum rerum scientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, justitiæ sanctitatem. Hæc enim sunt, quæ nullam fortunam metuentes, verè nostra dicere audemus. [5] Jam res divinæ, cum omnibus concedentibus, meliores angustioresque multò quàm humanæ sint; [6] nec *ipsa sidera* sunt illa divina, qualia se sola scire sapientia profitetur; [7] nisi fortè existimas sidera, quæ quotidie contemplamur, magnum quiddam esse in comparatione verissimi et secretissimi Dei, quem rarò fortasse intellectus, sensus autem nullus attingit, hæc autem præsto sunt oculis nostris. [8] Cum *ergo* quidquid præter res

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5. — [2] Lib. 1, cap. 6, contra Acad. — [3] Ibid., cap. 7. — [4] Ibid. — [5] Ib., cap. 8. — [6] Ib. — [7] Ib. — [8] Ib.

humanas atque divinas est, nos vilissimum ducere, et omnino contemnere, oporteat, quæro in quibus rebus quærat sapiens veritatem? In divinis certè. Nam virtus etiam in homine sine dubitatione divina est. *Proinde* [1] quæro, utrum eam *sapientiæ* definitionem probes, si sapientiam rerum humanarum divinarumque scientiam dicamus; sed earum, quæ ad vitam beatam pertineant? [2] Propter animam *enim* vera Philosophia vigilat, *et* [3] in ea nihil plùs invenies, quàm quid sit unum, sed longè altius longèque divinius, *quàm* [4] in *iis*, quæ quotidie passim sentimus, atque agimus. [5] Anima enim jam Philosophiæ tradita primò seipsam inspicit, et cui jam illa eruditio persuasit aut suam, aut seipsam esse rationem, in ratione autem aut nihil esse melius et potentius numeris, aut nihil aliud quàm numerum esse rationem, ita secum loquitur : Ego quodam meo motu interiore et occulto ea, quæ discenda sunt, possum discernere et connectere, et hæc vis mea, ratio vocatur. Quid autem discernendum est, nisi quod aut unum putatur et non est; aut certè non tam unum est, quàm putatur? Item cur quid connectendum est, nisi ut unum fiat quantum potest? Ergo et in discernendo, et in connectendo unum volo, et unum amo : sed cum discerno, purgatum; cum connecto, integrum volo. In illa parte vitantur aliena, in hac propria copulantur, ut unum aliquid perfectum fiat. [6] Hæc et alia multa secum anima bene erudita sequitur atque agitat. *Sicque* [7] gradatim se et ad mores vitamque optimam non jam sola fide, sed certa ratione, perducit. Cui numerorum vim atque potentiam diligenter intuenti nimis indignum videbitur et nimis flendum, per suam scientiam versum, *verbi gratia*, bene currere, citharamque concinere, et suam vitam seque ipsam, quæ anima est, devium iter sequi, et dominante sibi libidine, cum turpissimo se vitiorum strepitu dissonare. Cum autem se composuerit et ordinaverit, ac concinnam pulchramque reddiderit, audebit jam Deum videre atque

[1] Lib. 1, contra Acad., cap. 8. — [2] Ibid., lib. 3, cap. 17. — [3] Lib. 2, de Ord., cap. 18. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid, cap. 19. — [7] Ibid.

ipsum fontem, unde manat omne verum, ipsumque patrem veritatis. Deus magne, qui erunt illi oculi, quàm sani, quàm decori, quàm valentes, quàm constantes, quàm sereni, quàm beati. Quid autem est illud quod vident? quid quæso? quid arbitremur, quid æstimemus, quid loquamur? Quotidiana verba decurrunt, et sordidata sunt omnia vilissimis rebus. Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fœda sunt cætera. [1] Quid *enim* sapientia? nonne ipsa est vera pulchritudo? *Jam* [2] quære de Græcis, quid est Philosophia? Amor sapientiæ. Quid Philocalia? Amor pulchritudinis. [3] Philocalia et Philosophia propè similiter cognominatæ sunt. *Et* [4] si propterea est hoc Philocaliæ nomen honorandum, quia latinè interpretatum amorem significat pulchritudinis, et est vera ac summa Sapientiæ pulchritudo, eadem ipsa est in rebus incorporalibus atque summis Philocalia, quæ et Philosophia.

CAPUT V.

SAPIENTIAM SUBJECTIVAM SEU PHILOSOPHIAM AUXILIO DIVINO OBJECTIVO ESSENTIALITER SEU NATURALITER INDIGERE.

Ecce [5] si intellexistis quod ego dixi, ego certè locutus sum, et mea verba sonuerunt, sonique aures pepulerunt, et per sensum auditus vestri ad cor sententiam perduxerunt, si intellexistis. Facite aliquem audisse latinæ linguæ hominem : tantummodo audisse, nec tamen intellexisse quod dixi. Quantum ad strepitum pertinet emissum ex ore meo, sic ejus ille particeps factus est qui non intellexit, quomodo et vos. Eum sonum audivit, eædem syllabæ aures ejus percusserunt, sed in corde ipsius nihil genuerunt. Quare? Quia non intellexit. Vos autem si intellexistis, undè intellexistis? Ego ad aurem sonui, numquid ego in corde lumen

[1] Lib. 2, contr. Acad., cap. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 1, Retract., cap. 1. — [5] Tract. 40, in Evang. Joann.

accendi? Proculdubio si verum est quod dixi, et hoc verum non solum audistis, verumetiam intellexistis : duæ res ibi factæ sunt, discernite illas, auditus et intellectus. Auditus per me factus est, intellectus per quem? Ego ad aurem dixi ut audiretis, ad cor vestrum quis dixit ut intelligeretis? Sine dubio aliquis et ad cor vestrum aliquid dixit, ut non solùm strepitus iste verborum percuteret aurem vestram, sed etiam in cor vestrum aliquid descenderet veritatis. Dixit aliquis et ad cor vestrum, sed non eum videtis ; si intellexistis fratres, dictum est et cordi vestro. Munus Dei est intelligentia. Quis hoc dixit in corde vestro si intellexistis? Cui dicit Psalmus : *Da mihi intellectum ut discam mandata tua.* Verbi gratiâ, Episcopus locutus est. Quid locutus est? aliquis ait. Respondes quid locutus sit et addis, verum dixit. Tunc alius qui non intellexit; quid dixit, inquit? Aut quid est quod laudas? Ambo me audierunt, ambobus ego dixi : sed uni ipsorum Deus dixit. Si parva magnis comparare conceditur, quoniam nos ad eum quid sumus? tamen nescio quid incorporaliter et spiritaliter facit in nobis Deus, quod nec sonus est, qui aurem percutiat, nec color qui oculis discernatur, nec odor est qui naribus capiatur, nec sapor qui faucibus judicetur, nec durum nec molle quod tangendo sentiatur : tamen aliquid est quod sentire facile est, explicare impossibile est.

Sicut [1] enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, et ut videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest : *Ita* [2] Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, [3] ut ex quantulacumque parte possit intelligi, [4] quantò quisque magis minusve potuerit pro suæ capacitatis modo divinitus adjutus internis æternisque rationibus ut possit ; [5] quia sine lumine non potes videre lumen, *ut alibi fusiùs explicatur. Hac ratione* [6] qui cognoscunt sapientiam, lucem habent sapientiam, *adeo* [7] ut *anima* participa-

[1] Lib. de Nat. et Grat., cap. 26. — [2] Lib. 2, de Pecc. merit. et remiss., cap. 5. — [3] Contra epistol. Manich, cap. 2. — [4] Lib. 5, de Genesi ad lit., cap. 12. — [5] Tract. 35, in Evang. Joann. — [6] In Psal., 103. — [7] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10.

tione incommutabilis sapientiæ sapiens *sit*, quæ non est quod ipsa. Neque enim, si aer infusa luce nunquam deseratur, ideo non aliud est ipse, aliud lux, qua illuminatur. Neque hoc ita dixerim, quasi aer sit anima (quod putaverunt quidam, qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam). Sed habent hæc ad illa etiam in magna disparilitate quamdam similitudinem, ut non inconvenienter dicatur sic, illuminari animam incorpoream luce incorporea simplicis sapientiæ Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea : Et sicut aer tenebrescit ista luce desertus (nam nihil sunt aliud quæ dicuntur locorum quorumcumque corporalium tenebræ, quàm aer carens luce), ita tenebrescere animam sapientiæ luce privatam.

Intelligat [1] ergo homo non se gaudere debere de sapientia sua ; sed de sapientia, quam accepit a Deo. Sicut *enim* [2] nemo a seipso esse potest, ita etiam nemo a seipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est : *Omnis sapientia a Deo est. Sic enim* [3] qui et in vobis habitat, sine dubio facit vos approbare verum esse quod dico ; nam quid dicturi sumus ignoratis ; sed cum dixerimus, non ab ipsis nobis vobis ostendemus verum esse quod dicimus, sed vos ipsi agnoscetis verum esse quod dicimus. Unde autem agnoscetis, nisi demonstrante illo qui in vobis habitat?

Et ideo Platoni [4] neque naturarum omnium auctor, nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris quo benè beatèque vivatur, inspirator. *Itaque* [5] ex his ([6] tribus quæ in homine spectanda commonui, quæ sunt natura, doctrina, usus) propter obtinendam beatam vitam, tripertita, ut dixi, a philosophis inventa est disciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum. Si ergo natura nostra esset a nobis, profectò et nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam ex doctrina, id est aliunde discendo, percipere curaremus : et noster amor a nobis profectus, et ad nos relatus, ad beatè vivendum sufficeret, nec bono alio quo frueremur ullo indigeret.

[1] Tract. 14, in Evang. Joann. — [2] Enchirid. ad Laurent., cap. 1. — [3] Psalm. 120. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 25. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

Nunc verò quia natura nostra, ut esset, Deum habet auctorem, proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem, ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem. [1]Ab illo nobis est et principium naturæ, et veritas doctrinæ et felicitas vitæ.

CAPUT VI.

SAPIENTIAM CHRISTIANAM SEU RELIGIONEM CHRISTIANAM NATURALES INTELLECTUALIS CREATURÆ VIRES SUPERARE; IPSAMQUE SAPIENTIAM NATURALEM, IN HOC STATU, NON SINE ALIQUO DIVINÆ GRATIÆ ADJUTORIO, IN PHILOSOPHORUM MENTIBUS SESE EXPLICARE ET PERFECTIONEM OBTINERE.

Nullum [2]*enim* aliud habet negotium, quæ vera, et, ut ita dicam, germana philosophia est, quam ut doceat quod sit omnium rerum principium sine principio, quantusque in eo maneat intellectus, quidve inde in nostram salutem sine ulla degeneratione manaverit : quem unum Deum omnipotentem eumque tripotentem Patrem et Filium et Spiritum sanctum docent veneranda mysteria, quæ fide sincera et inconcussa populos liberant.

Deus [3]ipse summa sapientia : cultus autem Dei sapientia hominis, de qua nunc loquimur. [4]Nunc *enim* de sapientia nobis est disserendum, non de illa Dei, quæ proculdubio Deus est (nam sapientia Dei Filius ejus unigenitus dicitur); sed loquimur de hominis sapientia *subjectiva et supernaturalis*, vera tamen quæ secundùm Deum est, et verus ac præcipuus cultus ejus est, quæ uno nomine θεοσέβεια græcè appellatur : quod nomen nostri volentes et ipsi uno nomine interpretari, pietatem dixerunt, cum pietas apud Græcos εὐσέβεια usitatius nuncupetur : θεοσέβεια verò, quia uno verbo perfectè non potest, melius duobus interpretatur, ut dicatur potiùs Dei cultus. [5]Sapientia *scilicet* perfecta est colere Deum secundùm mandatorum illius veritatem. [6]Quid enim verius,

[1] Ibid., lib. 8, cap. 9. — [2] Lib. 2, de Ord., cap. 5. — [3] Lib. 14, de Trinit. cap. 1. — [4] Ibid. — [5] Serm. 90, de Temp. — [6] Lib. 1, Retract., cap. 7.

quàm quod sapientia doceat veritatem contemplationis, et actionis probitatem? [1] Non est certè vera sapientia, quæ intentionem suam in his, quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justèque distribuit, non in illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus æternitate certâ et perfectâ. *Sed* [2] hæc est in præsenti seculo *sapientia* verus veri Dei cultus, ut sit ejus in futuro seculo certus atque integer fructus. [3] Secundùm *quam hominis* sapientiam, quæ Dei cultus est, ait Scriptura : *Multitudo sapientium est sanitas Orbis terrarum.* [4] Hanc esse hominis sapientiam Scripturæ sanctæ auctoritate demonstratur in libro servi Dei Job, ubi legitur Dei sapientiam dixisse homini : *Ecce pietas est sapientia, abstinere autem à malis scientia.*

Hominis [5] *igitur* sapientia *seu religio Christiana* pietas est, [6] qui est Dei cultus. [7] Nec colitur ille nisi amando. *Sicque* summa et vera sapientia est in præcepto illo primo : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua.* Ac per hoc sapientia est charitas Dei nec diffunditur, *charitas ista supernaturalis*, in cordibus nostris, *nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* [8] Unde *enim* est in hominibus charitas Dei et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani : Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. [9] Unde *igitur* homini *sapientia*, nisi ille det, de quo scriptum est : *Dominus sapientes fecit cæcos ;* et de quo item legitur : *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo?*

Verum [10] tu in hac causa, et si ad scholam Pythagoræ provocas vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri multò excellentiore cæteris Philosophiâ nobilitati, veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quod est Deus, etiam illic adversus te pietatis libertate

[1] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 20. — [2] Epist. 52. — [3] Lib. 14, de Trinit., cap. 1. — [4] Ibid. — [5] Enchirid. ad Laurent., cap. 2. — [6] Ibid. — [7] Epist. 120, cap. 18. — [8] Lib. de Grat. et lib. arb., cap. 18. — [9] Lib. 3, contra Iul. Pel., cap. 21. — [10] Ibid. lib. 4, cap. 3.

clamabo. [1] Confitetur *etiam et Porphyrius Platonicus* gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire paucis dicit esse concessum. Non enim dicit : Paucis placuit, vel pauci voluerunt. Sed cum dicit esse concessum, proculdubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam, confitetur. Utitur etiam hoc verbo apertius, ubi Platonis sententiam sequens, nec ipse dubitat, in hac vita, hominem nullo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire, secundum intellectum tamen viventibus, omne quod deest, providentiâ Dei et gratiâ, post hanc vitam posse compleri. [2] Philosophiam, ait et Tullius : Dii quibusdam paucis veram dederunt. Nec hominibus, inquit, ab his aut datum est donum majus, aut potuit ullum dari. Usque adeo et ipsi *gentiles Philosophi*, quoquo modo compulsi sunt, in habendâ, non quacumque, sed verâ Philosophiâ, divinam gratiam confiteri. [3] Ad hoc enim meliores quosque in his malis adjuvat gratia, ut quantò fideliore, tantò fortiore corde tolerentur : ad quam rem etiam Philosophiam prodesse dicunt. [4] Sicut autem hoc, ut fatentur, nullum divinum majus est donum : sic à nullo Deo dari credendum est nisi ab illo, quo et ipsi, qui multos Deos colunt, nullum dicunt esse majorem.

Quis [5] *itaque* nescit ab uno vero Deo atque optimo, et naturam nobis esse, qua facti ad ejus imaginem sumus; et doctrinam, qua eum nosque noverimus; et gratiam, qua illi cohærendo beati sumus?

Præterea sapientiam (theologiam) non potest adipisci, qui [6] segnis *est* ad inquirendam substantiam Dei, sive per Scripturas ejus, sive per creaturam : quæ utraque nobis ad hoc proponitur intuenda, ut ipse quæratur, ipse diligatur, qui et illam inspiravit et istam creavit.

Finis [7] *autem* præcepti est charitas de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non ficta. Et plenitudo legis charitas, *ne jam ulterius dicam.* [8] Et quando in me erit pleni-

[1] Lib. 10 de Civit. Dei, cap. 29. — [2] Ibid., lib. 22, cap. 22. — [3] Ibid. — [4] Ib. — [5] Ib., l. 8, cap. 10. — [6] L. 2, de Trinit. in Proœm. — [7] Epist. 119. [8] In Psalm. 98.

tudo scientiæ? Et quis potest ad tantum culmen pervenire, ut sit in illo plenitudo scientiæ? Putas hoc velle Deum, ut sit in nobis ista plenitudo scientiæ, ut noverimus, aut quot sint stellæ; aut quot sint grana, non dico arenæ, sed tritici : aut quot poma pendeant in arbore? Ille novit omnia; *quia capilli nostri numerati sunt Deo;* sed alia est plenitudo scientiæ quam voluit hominem nosse. Ad legem Dei pertinet scientia, quam te voluit habere. Et quis potest, fortè dicas mihi, perfectè nosse legem, ut habeat in se plenitudinem scientiæ legis, et possit esse sedes Dei? Noli turbari. Breviter tibi dicitur quid habeas, si vis habere plenitudinem scientiæ, et esse sedes Dei; ait enim Apostolus: *Plenitudo autem legis charitas.* Quid ergo est? Perdisti totam excusationem. Interroga cor tuum, vide utrum habeat charitatem. Si est ibi charitas, est ibi plenitudo legis: jam in te habitat Deus, sedes Dei factus es. *Non dicas igitur*: Quomodo [1] erit plenitudo scientiæ? Quis hoc implet? Habes unde impleas. Plenitudo legis charitas. Noli per multa ire atque distendi. Tenet te ramorum diffusio? radicem tene, et de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas, et necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit qui charitatem scit; quandoquidem dictum est : *Deus charitas est*? [2] Interroga cor tuum. Vide utrum habeat charitatem. Si est ibi charitas, est ibi plenitudo legis. *Ecce* [3] dictum est *tibi* quia plenitudo scientiæ, non cujuslibet scientiæ, sed plenitudo scientiæ legis, utilis est homini. Et ne desperares de ipsa scientia legis, breviter tibi dictum est, plenitudo legis est charitas. Sicque [4] homo fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcussè retinens non indiget Scripturis nisi ad animos instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam completum esse quod dictum est : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*: quibus tamen quasi machinis tanta fidei et spei, et charitatis inest

[1] In Psalm., 79. — [2] In Psalm. 98. — [3] Ib. — [4] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 39.

instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte, non quærant : perfectum sanè quantum in hac vita potest.

Quapropter [1] cum quisque cognoverit finem præcepti esse charitatem de corde puro, et conscientiâ bonâ et fide non fictâ, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat. *Cum enim* [2] ad *ipsum* venitur scientiæ gradum, de quo *aptiùs alibi,* in eo se exercet omnis divinarum scripturarum studiosus, nihil aliud in eo inveniens quàm diligendum esse Deum propter Deum, et proximum propter Deum : et illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere, proximum verò tamquam seipsum, id est, ut tota dilectio proximi, sicut etiam nostri, referatur in Deum. [3] Quisquis *autem* Scripturas divinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei et proximi, nondum intellexit; *cum* [4] intelligatur legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo, et finis esse dilectio rei qua fruendum est, et rei quæ nobiscum ea re frui potest.

Sed [5] et si piè ac diligenter attendas, omnis creaturæ species et motus, qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motibus et affectionibus, quasi quadam varietate linguarum, undique clamans atque increpans cognoscendum esse creatorem. [6] Circumi cœlos usque ad terram, nihil relinquas, undique tibi omnia resonant conditorem. Et ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam creatorem laudantium. *Unde* et [7] universa creatura laudans Deum à tribus pueris in camino commemoratur, et à terrenis ad cœlestia, vel à cœlestibus ad terrena hymnus laudantium Deum pervenit : non quo cuncta ista habeant sensum laudandi ; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, et impletur cor

[1] Ibid., cap. 40. — [2] Ibid. lib. 2, cap. 7. — [3] Ibid. lib. 1, cap. 36. — [4] Ibid., cap. 35. — [5] Lib. 3, de lib. arb., cap. 23. — [6] Enarrat. 2, in Psalm. 26. [7] In Psalm. 68.

consideratione creaturæ, ad eructandum hymnum creatori. Laudant omnia Deum quæ fecit Deus, [1] quoniam laudandum te ostendunt, *Domine.* [2] Laudant te opera tua, ut amemus te. [3] Cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem ; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.

Sic [4] itaque adhibeatur scientia tanquam machina quædam per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur ; quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis, per se autem ipsam sine tali fine non modo superflua, sed etiam perniciosa probatur. [5] Scientia enim inflat, charitas ædificat.

Quid [6] autem dicam de revelatione sapientiæ ? Neque enim facile quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli. *Sed scimus in vita tantummodo futura* [7] sapientiam quoque et cognitionem Dei tunc perfici in nobis, et in Domino tantam exsultationem, ut ea sit plena et vera securitas. *Nunc autem* [8] quod credimus, nosse et intelligere cupimus. [9] Nisi enim esset et aliud credere, et aliud intelligere, et primò credendum esset, quod magnum et divinum intelligere cuperemus, frustra Propheta dixisset : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ipse quoque Dominus noster, et dictis et factis ad credendum primò hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea, cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait, hæc est autem vita æterna ut credant : Sed, *hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Deinde jam credentibus dicit : *Quærite et invenietis* : nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur ; neque quisquam inveniendo Deo, *supernaturaliter cognito*, fit idoneus, nisi antea crediderit, quod est postea cogniturus. Quapropter Domini præceptis obtemperantes, quæramus instanter. Quod enim hortante ipso quærimus, eodem ipso demon-

[1] Lib. 7, Confess., cap. 13. — [2] Ibid., lib. 13, cap. 33. — [3] Ibid., lib. 10, cap. 6. — [4] Epist. 120. — [5] Ibid. — [6] De Grat. Christ. lib. 1, cap. 11. — [7] Contr. duas Epist. Pelag., lib. 3, cap. 7. — [8] Lib. 2, de arb., cap. 2. — [9] Ibid.

strante inveniemus, quantùm hæc in hac vita et à nobis talibus inveniri queunt. Nam et à melioribus, etiam dum has terras incolunt, et certè à bonis et piis omnibus post hanc vitam evidentiùs atque perfectiùs, ista cerni obtinerique credendum est, et nobis ita fore sperandum est, et ista, contemptis terrenis et humanis, omni modo desideranda et diligenda sunt.

Apostolus [1] omnibus ad regenerationem pertinentibus dicit : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (Ephes. 4) : et utique intellectus in mente est. Hinc rursus ait : *Renovamini in novitate mentis vestræ.* De his autem qui hujus regenerationis consortes non erunt: *Hoc*, inquit, *dico et testificor in Domino, ut non jam ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum.* Propter hos igitur interiores oculos quorum cæcitas est, Deum non intelligere, ut aperiantur, et magis magisque serenentur, *fide corda mundentur : Da mihi*, inquit, *intellectum, ut discam mandata tua.* Quamvis enim nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum, tamen ipsa fide qua credit sanatur, ut intelligat ampliora. Alia sunt enim quæ nisi intelligantur non credimus, et alia sunt quæ nisi credamus non intelligimus. Nam cùm *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei :* quomodo credit prædicanti fidem, qui, ut alia taceam, linguam ipsam quam loquitur non intelligit ? Sed nisi essent rursus aliqua, quæ intelligere non possumus, nisi antè credamus, Propheta non diceret : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides proficit ad credenda quæ intelligat : et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante atque donante : sicut medicinâ fit, non naturâ, ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo dicit Deo : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua*, non omnimodo expers ejus est velut pecus : nec ita quamvis homo, ut in eorum

[1] In Psalm. 118, conc. 18.

numero deputandus sit, qui *ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati à via Dei.* Nam si talis esset, ne hoc diceret. Non autem parvi est intellectus, nosse à quo poscendus est intellectus. Et cogitandum est quanto sint altiùs intelligenda divina mandata : quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, et qui eloquia Dei se custodisse ante jam dixit.

Eia [1] fratres si volumus sub umbra alarum Dei custodiri, simus Israel. Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tanquam vobis pastores sumus, sed sub illo pastore vobiscum oves sumus. Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus. Si volumus custodiri ab illo qui humilitatus est propter nos, et exaltatus est ad custodiendos nos : humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid. Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit qui solus bonus est. Qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut veniat sapientia, et illuminet illum. Si autem antequam veniat in illum sapientia, putat se esse sapientem : ante lucem surgit, et ambulat in tenebris.

CAPUT VII.

DE VARIIS PHILOSOPHORUM SECTIS ; ET PRIMO QUIDEM DE DUOBUS PHILOSOPHORUM GENERIBUS, ID EST, ITALICO ET IONICO, EORUMQUE SECTATORIBUS.

Jam verò quod varias Philosophorum sectas spectat : [2] Quantum attinet ad litteras Græcas (quæ lingua inter cæteras gentium clarior habetur) duo Philosophorum genera traduntur : unum Italicum ex ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est ; alterum Ionicum, in eis terris, ubi et nunc Græcia nuncupatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, à quo etiam

[1] In Psalm. 126. — [2] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 2.

ferunt ipsum Philosophiæ nomen exortum, *ut supra jam advertimus.* [1] Ionici verò generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem qui appellati sunt Sapientes. Sed illi sex vitæ genere distinguebantur, et quibusdam præceptis ad bene vivendum accommodatis. Iste autem Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus, suasque disputationes litteris mandans, eminuit : maximeque admirabilis extitit, quod Astrologiæ numeris comprehensis defectus solis et lunæ etiam prædicere potuit. Aquam tamen putavit rerum esse principium; et hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, et quæ in ipso gignuntur, existere. Nihil autem huic operi, quod mundo considerato tam admirabile conspicimus, ex divina mente præposuit. Huic successit Anaximander ejus auditor, mutavitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. Quæ rerum principia singularum esse credidit infinita, et innumerabiles mundos gignere, et quæcumque in eis oriuntur : eosque mundos modò dissolvi, modò iterum gigni, existimavit, quanta quisque ætate sua manere potuerit : nec ipse aliquid divinæ menti in his rerum operibus tribuens. Iste Anaximenem discipulum et successorem reliquit, qui omnes rerum causas infinito aeri dedit : nec Deos negavit, aut tacuit : non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos, credidit. Anaxagoras verò ejus auditor habere rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum sensit : et dixit ex infinitâ materiâ, quæ constaret similibus inter se particulis, rerum omnium genera pro modulis et speciebus propriis singula fieri, sed animo faciente Divino. Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent : sed eum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Anaxagoræ successit auditor ejus Archelaus : etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quæque fierent, ita omnia constare putavit, ut inesse etiam

[1] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 2.

mentem diceret, quæ corpora æterna, id est, illas particulas, conjungendo et dissipando ageret omnia. Socrates hujus discipulus fuisse perhibetur, magister Platonis.

CAPUT VIII.

DE SOCRATICA DISCIPLINA.

Socrates[1] ergo primus universam Philosophiam ad corrigendos, componendosque mores flexisse memoratur : cum ante illum omnes magis Physicis, id est, naturalibus rebus perscrutandis operam maximam impenderint. Non mihi autem videtur posse ad liquidum colligi, utrum Socrates, ut hoc faceret, tædio rerum obscurarum et incertarum ad aliquid apertum et certum reperiendum animum intenderit, quod esset beatæ vitæ necessarium (propter quam unam omnium philosophorum invigilasse ac laborasse videtur industria) : an verò, sicut de illo quidam benevolentius suspicantur, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos, se extendere in divina conari : quandoquidem ab eis causa rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, nonnisi in unius veri ac summi Dei voluntate esse credebat. Unde non eas putabat, nisi mundata mente, posse comprehendi : et ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali vigore in æterna se attolleret; naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret. Constat eum tamen imperitorum stultitiam scire se aliquid opinantium, etiam in ipsis moralibus quæstionibus, quò totum animum intendisse videbatur, vel confessa ignorantia sua, vel dissimulata scientia, lepore mirabili disserendi, et acutissima urbanitate agitasse atque versasse. Unde et concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus, morte mulctatus est. Sed eum postea illa ipsa, quæ

[1] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 3.

publicè damnaverat, Atheniensium civitas publicè luxit, in duos accusatores ejus usque adeò populi indignatione conversa, ut unus eorum oppressus vi multitudinis interiret, exilio autem voluntario atque perpetuo pœnam similem alter evaderet. Tam præclarâ igitur vitæ mortisque famâ Socrates reliquit plurimos suæ Philosophiæ sectatores, quorum certatim studium fuit in quæstionum moralium disceptatione versari, ubi agitur de summo bono, sine quo fieri homo beatus non potest. Quod in Socratis disputationibus, dum omnia movet, asserit, destruit, quoniam non evidenter apparuit; quod cuique placuit, inde sumpserunt, et ubi cuique visum est, constituerunt finem boni. Finis autem boni appellatur, quò quisque cum pervenerit beatus est. Sic autem diversas inter se Socratici de isto fine sententias habuerunt, ut (quod vix credibile est, unius magistri potuisse facere sectatores) quidam summum bonum esse dicerent voluptatem, sicut Aristippus : quidam virtutem, sicut Antisthenes. Sic alii atque alii aliud atque aliud opinati sunt.

CAPUT IX.

QUOMODO DUCENTAS OCTOGINTA ET OCTO SECTAS ESSE MARCUS VARRO PERSPEXERIT.

Nec[1] tamen eos quamvis diversis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent et malorum. Ex qua tripertita velut generalium distributione sectarum, M. Varo in libro de Philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus advertit, ut ad CCLXXXVIII sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillimè perveniret. Quod ut breviter ostendam, inde oportet incipiam, quod ipse advertit et posuit in libro memorato : Quatuor esse quædam, quæ

[1] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 1.

homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quæ virtus dicitur, et proculdubio discitur velut naturaliter, appetunt : aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus : aut quietem, qua fit ut nullam molestiam quisque corporis patiatur : aut utramque, quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat : aut universaliter prima naturæ, in quibus et hæc sunt, et alia, vel in corpore, ut membrorum integritas, et salus atque incolumitas ejus ; vel in animo, ut sunt ea, quæ vel parva vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Hæc igitur quatuor, id est, voluptas, quies, utrumque, prima naturæ, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, propter hæc appetenda sit; aut ista propter virtutem ; aut utraque propter seipsa : ac per hoc fiunt hinc duodecim sectæ.

Per hanc enim rationem singulæ triplicantur : quod cum in uno demonstravero, difficile non erit id in cæteris invenire. Cum ergo voluptas corporis, animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut jungitur, tripertita variatur diversitate sectarum. Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur. Pertinet quippe ad virtutis officium, et vivere patriæ, et propter patriam filios procreare : quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate. Nam sine illa nec cibus potusque sumitur ut vivatur; nec concumbitur, ut generatio propagetur. Cum verò præfertur virtuti, ipsa appetitur propter seipsam. Virtus autem assumenda creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat, nisi ad consequendam vel conservandam corporis voluptatem, quæ vita deformis est quidem (quippe ubi virtus servit dominæ voluptati : quamvis nullo modo hæc dicenda sit virtus). Sed tamen etiam ista horribilis turpitudo quosdam Philosophos patronos, et defensores suos habuit. Virtuti porrò voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, sed propter seipsas ambæ appetuntur. Quapropter sicut voluptas vel subdita, vel prælata, vel juncta virtuti tres sectas facit; ita quies, ita utrumque, ita prima naturæ alias ternas inveniuntur efficere. Pro varietate quippe humanarum opinionum virtuti aliquando subduntur, ali-

quando præferuntur, aliquando junguntur; ac sic ad duodenarium sectarum numerum pervenitur. Sed iste quoque numerus duplicatur adhibita una differentia, socialis videlicet vitæ : quoniam quisquis sectatur aliquam istarum duodecim sectarum, profectò aut propter se tantùm id agit, aut etiam propter socium, cui debet hoc velle quod sibi. Quocirca duodecim sunt eorum, qui propter se tantummodò unamquamque tenendam putant. Et aliæ duodecim eorum, qui non solum propter se sic vel sic philosophandum esse decernunt, sed etiam propter alios, quorum bonum appetunt sicut suum. Hæ autem viginti quatuor sectæ iterum geminantur, addita differentia ex Academicis novis; et fiunt quadraginta octo. Illarum quippe viginti quatuor unamquamque sectarum potest quisque sic tenere ac defendere, ut certam, quemadmodum defenderunt Stoici, quod hominis bonum, quo beatus esset, in animi tantummodò virtute consisteret. Potest alius ut incertam, sicut defenderunt Academici novi : quod eis, et si non certum, tamen verisimile videbatur. Viginti quatuor ergo fiunt per eos, qui eas velut certas propter veritatem; et aliæ viginti quatuor per eos, qui easdem, quamvis incertas, propter verisimilitudinem sequendas putant. Rursus, quia unamquamque istarum quadraginta octo sectarum potest quisque sequi habitu cæterorum Philosophorum, itemque potest alius habitu Cynicorum, ex hac etiam differentia duplicantur, et nonaginta sex fiunt. Deinde, quia earum singulas quasque ita tueri homines possunt atque sectari, ut aut otiosam diligant vitam, sicut hi qui tantummodo studiis doctrinæ vacare voluerunt atque valuerunt; aut negotiosam, sicut hi, qui cum philosopharentur, tamen administratione reipublicæ, regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt; aut ex utroque genere temperatam, sicut ii, qui partim erudito otio, partim necessario negotio alternantia vitæ suæ tempora tribuerunt : propter has differentias potest etiam triplicari numerus iste sectarum, et ad ducentas octoginta octo perduci.

Hæc de Varonis libro, quantum potui, breviter atque dilucidè posui, sententias ejus meis explicans verbis.

CAPUT X.

QUOMODO REMOTIS OMNIBUS DIFFERENTIIS QUÆ NON SECTÆ, SED QUÆSTIONES SUNT, AD TRIPERTITAM SUMMI BONI DEFINITIONEM VARRO PERVENIAT, QUARUM TAMEN UNA SIT ELIGENDA.

Quomodò[1] autem refutatis cæteris unam eligat, quam vult esse Academicorum veterum, quos à Platone institutos usque ad tertium Polemonem, qui ab illo quartus ejus scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri, et ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod Philosophiæ genus ab Archesila cœpit successore Polemonis; eamque sectam, id est veterum Academicorum sicut dubitatione, ita omni errore carere arbitretur, longum est per omnia demonstrare; nec tamen omni ex parte res omittenda est. Removet ergo prius illas omnes differentias, quæ numerum multiplicavêre sectarum : quas ideò removendas putat, quia non in eis est finis boni. Neque enim existimat ullam Philosophiæ sectam esse dicendam, quæ non eo distet à cæteris, quod diversos habeat fines bonorum et malorum : quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit. Quod autem beatum facit, ipse est finis boni. Nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni. Quamobrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla Philosophiæ secta dicenda est. Cum ergo quæritur de sociali vita, utrum sit tenenda sapienti ut summum bonum, quo fit homo beatus, ita ut velit, et curet amici sui, quemadmodum suum; an suæ tantummodo beatitudinis causâ faciat quidquid facit : non de ipso summo bono quæstio est, sed de assumendo vel non assumendo socio ad hujus participationem boni, non propter seipsum, sed propter eumdem socium, ut ejus bono ita gaudeat, sicut gaudet suo. Item cum quæritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum ita sint res habendæ, in quibus philosophandum est; an sicut

[1] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 1.

aliis Philosophis placuit, certas eas habere debeamus : non quæritur quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate, quod videtur sectandum, utrum sit necne dubitandum, hoc est, ut id planiùs eloquar, utrum ita sectandum sit, ut qui sectatur, dicat esse verum : an ita, ut qui sectatur, dicat verum sibi videri, etiamsi fortè sit falsum, tamen uterque sectetur unum atque idem bonum. In illa etiam differentia, quæ adhibetur ex habitu, et consuetudine Cynicorum, non quæritur quisnam sit finis boni, sed utrum in illo habitu et consuetudine sit vivendum ei, qui verum sectatur bonum, quodlibet ei verum videatur esse atque sectandum. Denique fuerunt, qui cum diversa sequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eumdem tamen habitum et consuetudinem tenebant, ex quo Cynici appellabantur. Ita illud quidquid est, unde Philosophi Cynici discernuntur à cæteris, ad eligendum ac tenendum bonum, quo beati fierent, utique nihil valebat. Nam si aliquid ad hoc interesset, profectò idem habitus eumdem finem sequi cogeret, et diversus habitus eumdem sequi finem non sineret.

In [1] tribus quoque illis vitæ generibus, uno scilicet non segniter, sed in contemplatione, vel inquisitione veritatis otioso; altero in gerendis rebus humanis negotioso; tertio ex utroque genere temperato, cum quæritur, quid horum sit potiùs eligendum, non finis boni habet controversiam; sed quid horum trium difficultatem vel facilitatem efferat ad consequendum vel retinendum finem boni, id in ista quæstione versatur. Finis enim boni, cum ad eum quisque pervenerit, protinus beatum facit. In otio autem litterato, vel in negotio publico, vel quando utrumque vicibus agitur, non continuò quisque beatus est. Multi quippe in quolibet horum trium possunt vivere, et in appetendo boni fine, quo fit homo beatus, errare. Alia est igitur quæstio de finibus bonorum et malorum, quæ unamquamque Philosophorum sectam facit; et aliæ sunt quæstiones de sociali vita, de cunctatione Academicorum, de vestitu et victu Cynicorum, de tribus vitæ generibus, otioso, actuoso, et ex utroque

[1] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 2.

modificato : quarum nulla est, in qua de bonorum et malorum finibus disputatur. Proinde quoniam Marcus Varro has quatuor adhibens differentias, id est, ex vita sociali, ex Academicis novis, ex Cynicis, ex isto vitæ genere tripertito, ad sectas ducentas octoginta octo pervenit, et si quæ aliæ possunt similiter adjici : remotis eis omnibus (quoniam de sectando summo bono nullam inferunt quæstionem, et ideo sectæ nec sunt, nec vocandæ sunt) ad illas duodecim, in quibus quæritur quid sit bonum hominis, quo assecuto fit beatus, ut ex eis unam veram, cæteras falsas ostendat esse, revertitur. Nam remoto illo tripertito genere vitæ, duæ partes hujus numeri detrahuntur, et sectæ nonaginta sex remanent. Remota verò differentia ex Cynicis addita ad dimidium rediguntur, et quadraginta octo fiunt. Auferamus etiam quod ex Academicis novis adhibitum est, rursus dimidia pars remanet, id est, viginti quatuor. De sociali quoque vita quod accesserat similiter auferatur, et duodecim sunt reliquæ, quas ista differentia, ut viginti quatuor fierent, duplicaverat. De iis ergo duodecim nihil dici potest, cur sectæ non sint habendæ. Nihil quippe aliud in eis quæritur, quàm finis bonorum et malorum. Inventis autem bonorum finibus, profectò è contrario sunt malorum. Hæ autem ut fiant duodecim sectæ, illa quatuor triplicantur, voluptas, quies, utrumque, et prima naturæ, quæ primigenia Varro vocat. Hæc quippe quatuor dum sigillatim virtuti aliquando subduntur, ut non propter seipsa, sed propter officium virtutis, appetenda videantur; aliquando præferuntur, ut non propter seipsa, sed propter hæc adipiscenda vel conservanda, necessaria virtus putetur; aliquando junguntur, ut propter seipsa et virtus et ista appetenda credantur; quaternarium numerum triplum reddunt, et ad duodecim sectas perveniunt. Ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem scilicet, et quietem et utrumque : non quod eas improbet; sed quod primigenia illa naturæ et voluptatem in se habeant, et quietem. Quid ergo opus est ex his duabus tria quædam facere; duo scilicet, cum sigillatim appetuntur voluptas aut quies, et tertium, cum ambæ simul, quandoquidem prima naturæ et ipsas, et præter

ipsas, alia multa contineant? De tribus ergo sectis ei placet diligenter tractandum, quænam sit potius eligenda. Non enim veram plus quam unam vera ratio esse permittit, sive in his tribus sit, sive alicubi alibi, quod post videbimus. Interim de his tribus quomodo unam Varro eligat, quantum breviter apertèque possumus, disseramus. Istæ nempe tres sectæ ita fiunt, cum vel prima naturæ propter virtutem, vel virtus propter prima naturæ, vel utraque, id est et virtus et prima naturæ, propter seipsa sunt expetenda.

CAPUT XI.

DE TRIBUS SECTIS SUMMUM HOMINIS BONUM QUÆRENTIBUS QUAM ELIGENDAM VARRO DEFINIAT, SEQUENS VETERIS ACADEMIÆ, ANTIOCHO AUCTORE, SENTENTIAM.

Quid [1] ergo istorum trium sit verum atque sectandum, isto modo persuadere conatur. Primum quia summum bonum in Philosophia, non arboris, non pecoris, non Dei sed hominis quæritur, quid sit ipse homo, quærendum putat. Sentit quippe in ejus natura duo esse quædam, corpus et animam; et horum quidem duorum melius esse animam, longèque præstabilius omnino non dubitat. Sed utrum anima sola sit homo, ut ita sit ei corpus tanquam equus equiti, quærendum putat. Eques enim non homo et equus, sed solus homo est : ideo tamen eques dicitur, quod aliquo modo se habeat ad equum. An corpus solum sit homo, aliquo modo se habens ad animam, sicut poculum ad potionem. Non enim calix et potio, quam continet calix, simul dicitur poculum; sed calix solus; ideo tamen, quod potioni continendæ sit accommodatus. An verò nec anima sola, nec solum corpus, sed simul utrumque sit homo, cujus pars sit una sive anima sive corpus, ille autem totus ex utroque constet, ut homo sit : sicut duos equos junctos bigas vocamus, quorum sive dexter, sive sinister

[1] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 3.

pars est bigarum, unum vero eorum, quoquomodo se habeat ad alterum, bigas non dicimus, sed ambos simul. Horum autem trium hoc eligit tertium, hominemque, nec animam solam, nec solum corpus; sed animam simul et corpus esse arbitratur. Proinde summum bonum hominis, quo sit beatus, ex utriusque rei bonis constare dicit, et animæ scilicet et corporis. Ac per hoc prima illa naturæ propter seipsa existimat esse expetenda; ipsamque virtutem, quam doctrina inserit, velut artem vivendi, quæ in animæ bonis est excellentissimum bonum. Quapropter eadem virtus, id est, ars agendæ vitæ cum acceperit prima naturæ (quæ sine illa erant, sed tamen erant etiam, quando eis doctrina adhuc deerat), omnia propter seipsam appetit, simulque etiam seipsam, omnibusque simul et seipsa utitur, eo fine, ut omnibus delectetur atque perfruatur, magis minusque, ut quæque inter se majora atque minora sunt, tamen omnibus gaudens, et quædam minora, si necessitas postulat, propter majora vel adipiscenda vel tenenda, contemnens. Omnium autem bonorum vel animi, vel corporis, nihil sibi virtus omnino præponit. Hæc enim bene utitur et seipsa, et cæteris quæ hominem faciunt beatum, bonis. Ubi vero ipsa non est, quamlibet multa sint bona, non bona ejus sunt, cujus sunt : ac per hoc nec ejus bona dicenda sunt, cui malè utenti utilia esse non possunt Hæc ergo vita hominis, quæ virtute et aliis, animi et corporis bonis, sine quibus virtus esse non potest, fruitur, beata esse dicitur. Si verò et aliis sine quibus esse virtus potest, vel ullis, vel pluribus, beatior. Si autem prorsus omnibus, ut nullum omnino bonum desit, vel animi vel corporis, beatissima. Non enim hoc est vita quod virtus : quoniam non omnis vita, sed sapiens vita, virtus est. Et tamen qualiscumque vita sine ulla virtute potest esse : virtus verò sine ulla vita non potest esse. Hoc et de memoria dixerim atque ratione, et si quid aliud tale est in homine. Sunt enim hæc et ante doctrinam; sine his autem non potest esse ulla doctrina, ac per hoc nec virtus, quæ utique discitur. Bene autem currere, pulchrum esse corpore, viribus ingentibus prævalere, et cætera

hujusmodi talia sunt, ut et virtus sine his esse possit, et ipsa sine virtute : bona sunt tamen; et secundùm istos etiam ipsa propter seipsam diligit virtus; utiturque illis et fruitur, sicut virtutem decet. Hanc vitam beatam etiam socialem perhibent esse, quæ amicorum bona propter seipsa diligat sicut sua ; eisque propter seipsos hoc velit quod sibi : sive in domo sint, sicut conjux, et liberi, et quicumque domestici : sive in loco, ubi domus ejus est, sicuti est urbs, ut sunt hi, qui cives vocantur : sive in toto orbe, ut sunt gentes, quas ei societas humana conjungit : sive in ipso mundo, qui censetur nomine cœli et terræ, sicut esse dicunt Deos, quos volunt amicos esse homini sapienti, quos nos familiariùs Angelos dicimus. De bonorum autem, et è contrario malorum finibus negant ullo modo esse dubitandum, et hanc inter se et novos Academicos affirmant esse distantiam ; nec eorum interest quicquam, sive Cynico sive alio quolibet habitu et victu in his finibus, quos veros putant, quisque philosophetur. Ex tribus porrò illis vitæ generibus otioso, actuoso, et quod ex utroque compositum est, hoc tertium sibi placere asseverant. Hæc sensisse atque docuisse Academicos veteres, Varro asserit, auctore Antiocho, magistro Ciceronis et suo; quem sane Cicero in pluribus fuisse Stoicum, quàm veterem Academicum, vult videri.

CAPUT XII.

QUÆNAM ACADEMICORUM NOVORUM SENTENTIA FUERIT : ET QUOD A VETERUM PLATONICORUM DOCTRINA NON DISSENTIAT.

Novis quidem[1] Academicis, ut vulgo habentur,[2] placuit nec homini scientiam posse contingere, earum duntaxat rerum, quæ ad Philosophiam pertinent (nam cætera curare se Carneades negabat) : et tamen hominem posse esse sapientem, sapientisque totum munus in conquisi-

[1] Lib. 3, Confess., cap. 14. — [2] Lib. 2, contra Acad., cap. 5.

tione veri explicari. Ex quo confici, ut nulli etiam rei sapiens assentiatur : erret enim necesse est (quod sapienti nefas est) si assentiatur rebus incertis. Et omnia incerta esse non dicebant solùm, verùm etiam copiosissimis rationibus affirmabant. Sed verum non posse comprehendi, ex illa Stoici Zenonis definitione arripuisse videbantur, qui ait id verum percipi posse, quod ita esset, animo impressum ex eo unde esset, ut esse non posset ex eo unde non esset. Quod brevius sic planiusque dicitur, his signis verum posse comprehendi, quæ signa non potest habere quod falsum est. Hoc prorsus non posse inveniri, vehementissime ut convincerent, incubuerunt. Inde dissentiones Philosophorum, inde sensuum fallaciæ, inde somnia furoresque, inde pseudomeni et soritæ in illius causæ patrocinio viguerunt. Et cum ab eodem Zenone accepissent nihil esse turpius quàm opinari, confecerunt callidissimè, ut, si nihil percipi posset, et esset opinatio turpissima, nihil unquam sapiens approbaret. Hinc eis invidia magna conflata est. Videbatur enim esse consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret. Unde dormientem semper, et officiorum omnium desertorem, sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebant. Hinc illi inducto quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cum haberet quid sequeretur; veritas autem sive propter naturæ tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum, vel obruta vel confusa latitaret : quamvis et ipsam refrenationem, et quasi suspensionem assensionis, magnam prorsus actionem sapientis esse dicebant.

Sed hoc [1] novæ Academiæ dissidium non tam contra veterem conceptum, quàm contra Stoicos arbitror esse commotum. Nec verò dissidium est putandum, siquidem à Zenone illatam novam quæstionem dissolvi discutique oportebat : nam de non percipiendo, quamvis nullis conflictationibus agitata, incolens tamen etiam veterum Academicorum mentes sententia non impudenter existimata

[1] Lib. 2, contra Acad., cap. 6.

est. Quod etiam ipsius Socratis Platonisque ac reliquorum veterum auctoritate probatum facilè est, qui se hactenus crediderunt ab errore posse defendi, si se assensioni non temere commisissent: quamvis propriam de hac re disputationem in scholas suas non introduxerint, nec ab illis enucleatè aliquando quæsitum sit, percipi, necne veritas possit. Quod cum Zeno rude ac novum intulisset, contenderetque nihil percipi posse, nisi quod verum ita esset, ut dissimilibus notis à falso discerneretur, neque opinationem subeundam esse sapienti; atque id Archesilas audiret, negavit homini quicquam posse ab homine reperiri, neque illius opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam. Unde etiam conclusit, nulli rei esse assentiendum. Verùm cum ita se res haberet, ut vetus Academia magis aucta quàm oppugnata videretur, extitit Philonis auditor Antiochus; qui, ut nonnullis visus est, gloriæ cupidior quàm veritatis, in simultatem adduxit Academiæ utriusque sententias. Dicebat enim rem insolitam, et à veterum opinione remotissimam, Academicos novos conatos inducere. In quam rem veterum Physicorum, aliorumque magnorum Philosophorum, implorabat fidem, ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se verisimile contenderent sequi, cum ipsum verum se ignorare faterentur; multaque argumenta collegerat, quibus nunc supersedendum arbitror. Nihil tamen magis defendebat, quàm percipere posse sapientem. Hanc puto inter Academicos novos ac veteres controversiam fuisse.

Quapropter[1] *Academicos* longè in alia, quàm vulgo creditum est, fuisse sententia puto, adversus eos qui Academicos inventioni veritatis adversatos fuisse crediderunt, *multaque* ab eis tanquam cognitionis humanæ inimicis dicta putant. Nam illi mihi videntur graves omnino ac prudentes viri fuisse : *eosque* ego ne inter jocandum quidem unquam lacessere auderem. Quare potiùs eos imitatus sum quantum valui, quàm expugnavi quod omnino non valeo. Nec tam me delectat, ut scribit *Hermogenianus*,

[1] Epist. 213, ad Hermog.

quod Academicos vicerim (scribit enim hoc amantiùs fortè, quàm verius), quàm quod mihi abruperim odiosissimum retinaculum, quo ab Philosophiæ ubere desperatione veri, quod est animi pabulum, refrenabar.

Quid [1] igitur placuit tantis viris perpetuis et pertinacibus contentionibus agere, ne in quemquam cadere veri scientia videretur ? Audite jam paulò attentiùs, non quid sciam, sed quid existimem : hoc enim ad ultimum reservabam, ut explicarem si possem, quale mihi videatur esse Academicorum consilium; [2] utrum *scilicet* videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam, et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse ; an verò ita senserint, ut eorum disputationes se habent.

Plato, [3] vir sapientissimus et eruditissimus temporum suorum, qui et ita locutus est, ut quæcumque diceret magna fierent; et ea locutus est, ut quomodocumque diceret parva non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, à Pythagoreis etiam multa didicisse. Pythagoras autem Græcâ Philosophiâ non contentus, quæ tunc aut pene nulla erat, aut certe occultissima, postquam commotus Pherecydæ cujusdam Syri disputationibus, immortalem esse animum credidit, multos sapientes etiam longè lateque peregrinatus audierat. Igitur Plato adjiciens lepori subtilitatique Socraticæ, quam in moralibus habuit, naturalium divinarumque rerum peritiam, quam ab eis, quos commemoravi, diligenter acceperat, subjungensque quasi formatricem partium illarum judicemque Dialecticam, quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset, perfectam dicitur composuisse Philosophiæ disciplinam, de qua nunc disserere tempus non est. Sat est enim ad id, quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret ; istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem, et ad illius imaginem factum ; et ideo de illo in ea, quæ se cognosceret, anima velut

[1] Lib. 3, contra Acad., cap. 17. — [2] Ibid. l. 2, c. 13. - [3] Ib., l. 3, c. 17.

expoliri et quasi serenari veritatem : de hoc autem in stultorum animis, non scientiam, sed opinionem, posse generari : quidquid tamen ageretur in hoc mundo, per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quæ nisi paucis sapientibus ignotæ essent, non posse nisi verisimile nominari. Hæc et alia hujuscemodi mihi videntur inter successores ejus, quantum poterant, esse servata, et pro mysteriis custodita. Non enim aut facile ista percipiuntur, nisi ab eis, qui se ab omnibus vitiis mundantes, in aliam quamdam plusquam humanam consuetudinem vendicaverint, aut non graviter peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit. Itaque Zenonem principem Stoicorum, cum jam quibusdam auditis et creditis, in scholam relictam à Platone venisset, quam tunc Polemo retinebat, suspectum habitum suspicor, nec talem visum, cui Platonica illa velut sacrosancta decreta facile prodi committique deberent, priusquam dedocuissent ea, quæ in illam scholam ab aliis accepta detulerat. Moritur Polemo , succedit ei Arcesilas Zenonis quidem condiscipulus, sed sub Polemonis magisterio. Quamobrem, cum Zeno sua quadam de mundo et maxime de anima, propter quam vera Philosophia vigilat, sententia delectaretur, dicens eam esse mortalem, nec quidquam esse præter hunc sensibilem mundum, nihilque in eo agi nisi corpore (nam et Deum ipsum ignem putabat) : prudentissimè atque utilissimè mihi videtur Arcesilas , cum illud latè serperet malum, occultasse penitus Academiæ sententiam, et quasi aurum inveniendum quandoque posteris obruisse. Quare cum in falsas opiniones ruere turba sit pronior, et consuetudine corporum omnia esse corporea facillimè, sed noxiè, credatur, instituit vir acutissimus atque humanissimus dedocere potius, quos patiebatur male doctos, quàm docere, quos dociles non arbitrabatur. Inde illa omnia nata sunt, quæ novæ Academiæ tribuuntur : quia eorum necessitatem veteres non habebant. Quod si Zeno expergefactus esset aliquando, et vidisset, neque quidquam comprehendi posse, nisi quale ipse definiebat ; neque tale aliquid in corporibus posse inveniri, quibus ille tribuebat omnia, olim

prorsus hoc genus disputationum, quod magna necessitate flagraverat, fuisset extinctum. Sed Zeno imagine constantiæ deceptus, ut ipsis Academicis videbatur, nec mihi etiam non videtur, pertinax fuit, fidesque illa corporum perniciosa, quoquo modo potuit, pervixit in Chrysippum, qui ei, quam maxime poterat, magnas vires latiùs se diffundendi dabat, nisi ex illa parte Carneades acrior et vigilantior superioribus cæteris ita restitisset, ut mirer illam opinionem aliquid etiam postea valuisse. Namque Carneades primò illam velut calumniandi impudentiam, qua videbat Arcesilam non mediocriter infamatum, deposuit; ne contra omnia velle dicere quasi ostentationis causa videretur. Sed ipsos propriè sibi Stoicos, atque Chrysippum evellendos evertendosque proposuit.

Deinde [1], cum undique premeretur, si nulli rei esset assensus, nihil acturum esse sapientem, ô hominem mirum, atque adeo non mirum ! ab ipsis enim Platonis fontibus profluebat; attendit sapienter, quales illi actiones probarent, easque nescio quarum verarum similes videns, id quod in hoc mundo ad agendum sequeretur, verisimile nominavit. Cui enim esset simile, et peritè norat, et prudenter tegebat, idque etiam probabile appellabat. Probat enim bene imaginem quisquis ejus intuetur exemplum. Quomodò enim approbat sapiens, aut quomodò simile sequitur veri, cum ipsum verum quid sit ignoret? Ergo illi norant et approbabant falsa, in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant. Sed quia hoc tanquam profanis nec fas nec facile erat ostendere, reliquerunt posteris, et quibus illo tempore potuerunt, signum quoddam sententiæ suæ. Illos autem bene Dialecticos de verbis movere quæstionem insultantes irridentesque prohibebant. Ob hoc dicitur Carneades etiam tertiæ Academiæ princeps atque auctor fuisse. Deinde in nostrum Tullium conflictio illa duravit jam planè saucia, et ultimo spiritu latinas litteras inflatura. Nam nihil mihi videtur inflatius, quàm tam multa copiosissimè atque ornatissimè dicere non ita

[1] Lib. 3, contra Acad., cap. 18.

sentientem. Quibus tamen ventis feneus ille Platonicus Antiochus satis, ut mihi videtur, dissipatus atque dispersus est. Nam Epicureorum greges in animis delitiosorum populorum aprica stabula posuerunt. Quippe Antiochus Philonis auditor, hominis, quantum arbitror, circumspectissimi, qui jam veluti aperire cedentibus hostibus portas cœperat, et ad Platonis auctoritatem Academiam legesque revocare (quamquam et Metrodorus id antea facere tentaverat, qui primus dicitur esse confessus non decreto placuisse Academicis nihil posse comprehendi, sed necessariò contra Stoicos hujusmodi eos arma sumpsisse). Igitur Antiochus, ut institueram dicere, auditis Philone Academico, et Mnesarcho Stoico, in Academiam veterem quasi vacuam defensoribus, et quasi nullo hoste securam, velut adjutor et civis irrepserat, nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret. Sed huic arreptis iterum illis armis et Philo restitit donec moreretur, et omnes ejus reliquias Tullius noster oppressit, se vivo impatiens labefactari vel contaminari quidquid amavisset. Adeo post illa tempora non longo intervallo, omni pervicaciâ pertinaciâque demortuâ, os illud Platonis, quod in Philosophia purgatissimum et lucidissimum, dimotis nubibus erroris emicuit, maximè in Plotino, qui Platonicus Philosophus ita ejus similis judicatus est, ut simul eos vixisse, tantùm autem interesse temporis, ut in hoc ille revixisse putandus sit.

Hoc [1] mihi de Academicis interim probabiliter, ut potui, persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est jam non arbitrari non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixissent, aperire consuevisse.

Iidem [2] *igitur* Academici qui Platonici; quod docet auditorum ipsa successio. Arcesilas enim, qui primus occultata sententia sua nihil aliud istos quam refellere statuit, quære cui successerit. Polemonem invenias. Quære cui Polemon :

[1] Lib. 3, contra Acad., cap. 20. — [2] Epist., 56.

Xenocratem. Xenocrati autem discipulo Academiam scholam suam reliquit Plato. *Illi*[1] vero non immeritò ad officium suum pertinere arbitrati sunt, Stoicis et Epicureis maximè et prope solis omnino resistere, [2]occultantes sententiam veritatis, et illorum vanam in falsitate fiduciam convincentes et redarguentes. [3]Non enim valentes auctoritate turbas terrenarum rerum delectatione cæcatas ad invisibilium fidem ducere, cum eas viderent Epicureis maximè contentionibus commoveri, non solùm ad hauriendam, quò ultrò ferebantur, sed etiam ad defensitandam corporis voluptatem, ut in ea summum bonum hominis constitueretur ; eos autem, qui adversus hanc voluptatem virtutis laude moverentur, minùs difficulter eam contemplari in animis hominum, unde facta bona, de quibus utcumque poterant judicare, procederent : simul videbant, si eis conarentur insinuare aliquam rem divinam, et super omnia incommutabilem, quæ nullo attingeretur corporis sensu, sed sola mente intelligeretur, quæ tamen etiam naturam ipsius mentis excederet, eumque esse Deum propositum animo humano ad fruendum, purgato ab omni labe humanarum cupiditatum, in quo uno acquiesceret omnis beatitudinis appetitus, et in quo nobis uno bonorum omnium finis esset, non eos intellecturos, sed repugnantibus vel Epicureis vel Stoicis, multò quam sibi facilius palmam daturos, ita ut vera salubrisque sententia, quod perniciosissimum est generi humano, imperitorum populorum irrisione sordesceret : et hoc in Moralibus. In Naturalibus autem quæstionibus, si isti dicerent effectricem omnium naturarum esse incorpoream sapientiam ; illi autem à corpore nusquam discederent, cum et alii atomis, alii quatuor elementis, in quibus ad efficienda omnia ignis prævaleret, principia rerum darent, quis non videret stultorum abundantiam corpori deditam, cum incorpoream potentiam conditricem rerum nequaquam valeret intueri, in quorum potius suffragium raperetur? Restabat pars Rationalium quæstionum. Nosti enim quidquid propter

[1] Epist. 56. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

adipiscendam sapientiam quæritur, aut de moribus, aut de natura, aut de ratione, quæstionem habere. Cum ergo Epicurei nunquam sensus corporis falli dicerent; Stoici autem aliquando falli concederent; utrique tamen regulam comprehendendæ veritatis in sensibus ponerent, quis istis contradicentibus audiret Platonicos? Quis non modò in sapientium, sed omnino in hominum numero habendos putaret, si ab eis promptè diceretur, non solùm esse aliquid, quod neque tactu corporis, neque olfactu, vel gustu, neque his auribus, aut oculis percipi possit, neque omnino talium rerum, quæ ita sentirentur, aliqua imaginatione cogitari; sed id solum verè esse, atque id solum posse percipi, quod incommutabile et sempiternum est : percipi autem solâ intelligentiâ, qua una veritas, quomodo attingi potest, attingitur? Cum ergo talia sentirent Platonici, quæ neque docerent carni deditos homines, neque tanta essent auctoritate apud populos, ut credenda persuaderent, donec ad eum habitum perduceretur animus, quo ista capiuntur, elegerunt occultare sententiam suam, et contra eos disserere, qui verum se invenisse jactarent, cum inventionem ipsam veri in carnis sensibus ponerent.

Videturque [1] mihi satis congruisse temporibus, ut si quid sincerum de fonte Platonico flueret, inter umbrosa et spinosa dumeta potiùs in possessionem paucissimorum hominum duceretur, quàm per aperta manans irruentibus passim pecoribus nullo modo posset liquidum purumque servari. Quid enim convenientius pecori est, quàm putari animam corpus esse? Contra hujusmodi homines opinor ego illam utiliter excogitatam Dei veri artem atque rationem : hoc autem seculo cùm jam nullos videmus Philosophos, nisi fortè amiculo corporis, quos quidem haud censuerim dignos tam venerabili nomine, reducendi mihi videntur homines (si quos Academicorum perversorum ingenium à rerum comprehensione deterruisset) in spem reperiendæ veritatis : ne id quod eradicandis altissimis erroribus pro tempore accommodatum fuit, jam incipiat inserendæ scientiæ impedimento esse.

[1] Epist. 213, ad Hermog.

CAPUT XIII.

PLATONICOS ESSE ALIIS GENTIUM PHILOSOPHIS LONGÈ PRÆFERENDOS.

Hos [1] Philosophos Platonicos appellatos a Platone doctore vocabulo derivato nullus, qui hæc vel tenuiter audivit, ignorat. *Iste autem* [2] inter discipulos Socratis non quidem immeritò excellentissimâ gloriâ claruit, qui omnino cæteros obscuraret. Qui cùm esset Atheniensis, honesto apud suos loco natus, et ingenio mirabili longè suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quàm longè lateque potuit peregrinatus est, quaquaversum eum alicujus nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque et in Ægypto didicit, quæque illic magna habebantur atque docebantur, et inde in eas Italiæ partes veniens ubi Pythagoræorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus facillimè comprehendit. Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem ferè in omnibus sermonibus suis faciens, etiam illa quæ vel ab aliis didicerat, vel ipse quantâ potuerat intelligentiâ viderat, cum illius lepore et moralibus disputationibus temperavit.

Porrò [3] cum Socrates in activa *Philosophiæ parte* excelluisse memoretur; Pythagoras verò magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus, institisse : Plato utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur; quam in tres partes distribuit, unam moralem, alteram naturalem, tertiam rationalem. [4] Plato enim primus istam distributionem reperisse et commendasse dicitur : cui neque naturarum omnium auctor, nisi Deus visus est; neque intelligentiæ dator; neque amoris quo benè beatèque vivatur inspirator, *ut supra jam diximus.*

Quamquam [5] quid in his vel de his singulis partibus Plato

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, c. 1. — [2] Ibid., c. 4. — [3] Ibid. — [4] Ibid., lib. 11, c. 25. — [5] Ibid., lib. 8, cap. 4.

senserit, id est, ubi finem omnium actionum, ubi causam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum esse cognoverit, vel crediderit, disserendo explicare et longum esse arbitror, et temerè esse affirmandum non arbitror. Cum enim magistri sui Socratis, quem facit in suis voluminibus disputantem, notissimum morem dissimulandæ scientiæ vel opinionis suæ servare affectat, quia et illi ipse mos placuit, factum est ut etiam ipsius Platonis de rebus magnis sententiæ non facilè perspici possint. Ex his tamen quæ apud eum leguntur, sive quæ dixit, sive quæ ab aliis dicta esse narravit, atque conscripsit, quæ sibi placita viderentur, quædam commemorari, et huic operi inseri oportet à nobis. [1]Fortassis enim qui Platonem cæteris philosophis gentium longè recteque prælatum acutius atque veraciùs intellexisse, atque secuti esse famâ celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inveniatur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi. Quorum trium, unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intelligitur pertinere.

Sed et [2]Plato a Cicerone multis modis apertissime ostenditur in sapientia non humana, sed planè divina, unde humana quodammodo accenderetur, in illa utique sapientia prorsus immutabili, atque eodem modo semper se habente veritatem constituisse, et finem boni et causas rerum et ratiocinandi fiduciam. [3]Si ergo Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem, amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sit beatus, quid opus est excutere cæteros, quorum nulli nobis quam isti propius accesserunt, *qui* [4] paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent.

Cedat[5] eis igitur non solum Theologia illa fabulosa Deorum, criminibus oblectans animos impiorum : nec solum etiam illa civilis, ubi impuri Dæmones terrestribus gaudiis deditos populos Deorum nomine seducentes, humanos errores tanquam suos divinos honores habere voluerunt. [6]Et ea, quæ Varro ex his sacris quasi ad cœlum et

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 4. — [2] Epist. 56. — [3] L. 8, de Civ. Dei, c. 5. — [4] Lib. de Vera Rebig. c. 4. — [5] Lib. 8, de Civ. Dei, c. 5. — [6] Ibid.

terram rerumque mortalium semina et actus interpretatus est, quia nec ipsa illis ritibus significantur, quæ ipse insinuare conatur : et ideo veritas conantem non sequitur. Et si ipsa essent, tamen animæ rationali ea, quæ infra illam naturæ ordine constituta sunt, pro Deo suo colenda non essent, nec sibi præferre debuit, tanquam Deos, eas res, quibus ipsam prætulit verus Deus. [1]Non solum ergo ista, quæ duæ Theologiæ continent, fabulosa scilicet et civilis, Platonicis Philosophis cedant, qui verum Deum, et rerum auctorem, et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem esse dixerunt. Sed alii quoque Philosophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis et tanti Dei cognitoribus viris, ut Thales in humore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc est, minutissimis corpusculis, quæ nec dividi nec sentiri queunt, et quicumque alii, quorum enumerationi immorari non est necesse, sive simplicia, sive conjuncta corpora, sive vitâ carentia, sive viventia, sed tamen corpora, causam principiumque rerum esse dixerunt.

Viderunt[2] *autem* isti Philosophi quos cæteris non immeritò famâ atque gloriâ prælatos videmus, nullum corpus esse Deum; et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. [3]Viderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis species, et ideo nec comparabilis; atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo cuncta facta essent. [4]Hæc de illa parte, quam Physicam, id est naturalem nuncupant, dicta sint.

Quod[5] autem attinet ad doctrinam, ubi altera pars versatur, quæ ab eis Logica, id est, rationalis vocatur : absit ut his comparandi videantur, qui posuerunt judicium veritatis in sensibus corporis, eorumque infidis et fallacibus regulis omnia quæ discuntur metienda esse censuerunt, ut Epicurei, et quicumque alii tales, ut etiam ipsi Stoici. Qui cùm vehementer amaverint solertiam disputandi, quam Dialecticam nominant à corporis sensibus eam ducendam

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5. — [2] Ib., c. 6. — [3] Ib. — [4] Ib. — [5] Ib., c. 7.

putarunt. [1] Hi verò, quos meritò cæteris anteponibus, discreverunt ea quæ mente conspiciuntur, ab iis quæ sensibus attinguntur : nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia, eumdem ipsum Deum a quo facta sunt omnia.

Cedant [2] et omnes, *qui* [3] beatificum bonum, alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque, in homine esse dixerunt, [4] illis Philosophis qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo : non sicut corpore vel seipso animus, aut sicut amico amicus ; sed sicut luce oculus.

Hæc [5] itaque causa est, cur istos cæteris præferamus : quia cum alii Philosophi ingenia sua studiaque contriverint, in requirendis rerum causis, et quinam esset modus discendi atque vivendi : isti Deo cognito repererunt, ubi esset causa constitutæ universitatis et lux percipiendæ veritatis et fons bibendæ felicitatis. [6] Quicumque *enim* Philosophi de Deo summo et vero ista senserunt, quod et rerum creatarum sit effector, et lumen cognoscendarum, et bonum agendarum : quod ab illo nobis sit et principium naturæ, et veritas doctrinæ et felicitas vitæ ; sive Platonici accommodatius nuncupentur, sive quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant ; sive tantummodo Ionici generis, qui in eis præcipui fuerunt, ista senserint, sicut idem Plato, et qui eum bene intellexerunt ; sive etiam Italici, propter Pythagoram et Pythagoreos (*nam et* [7] illa venerabilis *est* ac prope divina, quæ jure et habita est et probata Pythagoræ disciplina : *quæ* [8] et vitæ regulas et scientiæ, non tam itinera quam ipsos campos ac liquida æquora, et quod illi viro magnæ venerationi fuit, ipsa etiam sacraria veritatis ubi essent, qualia essent, quales quærerent, *studiosis* aperuit), [9] et si qui fortè alii ejusdem sententiæ identidem fuerunt, sive aliarum quoque gentium qui sapientes vel Philosophi habiti sunt,

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 7. — [2] Ibid. c. 8. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. 10. — [6] Ibid. c. 9. — [7] Lib. 2, de Ord., cap. 20. — [8] Ibid. — [9] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 9.

Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, aliique reperiuntur, qui hoc viderint ac docuerint, eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. [1] Sive *enim* isti Platonici, sive quicumque alii quarumlibet gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt. [2] In quo autem nobis consentiunt de uno Deo hujus universitatis auctore, qui non solum super omnia corpora est incorporeus, verumetiam super omnes animas incorruptibilis, principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum, in hoc eos cæteris anteponimus. [3] Ideo quippe *Platonicos* potissimum elegi, quoniam de uno Deo, qui fecit cœlum et terram, quantò melius senserunt, tantò cæteris gloriosiores illustrioresque habentur. In tantum aliis prælati judicio posterorum, ut cùm Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingenii, et eloquio Platoni quidem impar, sed multos facilè superans, sectam Peripateticam condidisset, quòd deambulans disputare consueverat, plurimosque discipulos præclarâ famâ excellens, vivo adhuc præceptore in suam hæresim congregasset, post mortem verò Platonis Speusippus, sororis ejus filius, et Xenocrates, dilectus ejus discipulus, in scholam ejus, quæ Academia vocabatur, eidem successissent, atque ob hoc et ipsi et eorum successores Academici appellarentur; recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos. Ex quibus sunt valde nobilitati Græci Plotinus, Jamblichus, Porphyrius : in utraque autem lingua, id est, et græca, et latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis.

Vidi olim [4] quosdam Platonicorum *istorum* libros ex græca lingua in latinam versos; et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum*

[1] Lib. 8, de Civ. Dei., c. 10. — [2] Ibid., c. 9. — [3] Ibid., c. 12. — [4] Lib. 7, Confess., cap. 9.

est nihil : quod factum est, in eo vita est, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei, Deus, est lumen verum, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* et quia *in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Item ibi legi, quia *Deus Verbum, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est.* [1]Indagavi in illis litteris variè dictum, et multis modis, quòd sit Filius in forma Patris, *non rapinam arbitratus esse æqualis Deo,* quia naturaliter idipsum est. [2]Quòd ante omnia tempora et supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus filius Dei coæternus Patri ; et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ ut beatæ sint, et quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint ; est ibi. *Sicque facile est* [3]doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo Spiritu docuit sapere ac dicere : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat ; et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod initium sancti Evangelii, cui nomen est secundùm Joannem, quidam Platonicus (sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire) aureis litteris conscribendum et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis ponendum esse dicebat.

Dicit [4] *etiam* Porphyrius *Platonicus* divinis oraculis fuisse responsum principia posse purgare. [5]Quæ autem dicat esse principia tanquam Platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem, et Deum Filium, quem græce appellat Paternum intellectum vel Paternam mentem. De Spiritu autem sancto aut nihil, aut non aperte aliquid dicit. [6]Nam quod verum

[1] Lib. 7, Confess., cap. 9. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 29. — [4] Ibid., c. 23. — [5] Ibid. — [6] Quæst. super Exod., lib. 2, quæst. 25.

est, summi Philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de Patre et Filio non tacuerint : quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto. [1] Quamvis *tamen* quem alium *Porphyrius iste* dicat horum medium, non intelligo. [2] Prædicas *enim*, *ô Platonice,* Patrem et ejus Filium, quem vocas paternum intellectum seu mentem, et horum medium, quem putamus te dicere Spiritum sanctum : et more vestro appellas tres Deos. Ubi, etsi verbis indisciplinatis utimini, videtis tamen qualitercumque, et quasi per quædam tenuis imaginationis umbracula, quò nitendum sit. [3] Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animæ naturam etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum medium, id est, Patris et Filii medium. Postponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui. Iste autem, cum dicit medium, non postponit, sed interponit. Et nimirum hoc dixit, ut potuit, sive ut voluit, quod nos Spiritum sanctum, nec Patris tantùm, nec Filii tantùm, sed utriusque Spiritum, dicimus. Liberis enim verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem. Nos itaque ita non dicimus duo vel tria principia, cum de Deo loquimur, sicut nec duos Deos, vel tres nobis licitum est dicere; quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur.

Sed quidquid sit de Platonicorum hac in re sententia, [4] lectis *olim* Platonis paucissimis libris, cujus *amicum quemdam meum* esse studiosissimum acceperam, collataque cum eis, quantum potui, etiam illorum auctoritate, qui divina mysteria tradiderunt, sic exarsi, ut omnes illas vellem anchoras rumpere, *quibus tunc*, [5] ne in Philosophiæ gremium celeriter advolarem, [6] uxoris honorisque illecebra detinebar, ut cum

[1] Lib. 10, de Civit. Dei, c. 23. — [2] Ibid., cap. 29. — [3] Ibid., c. 23. — [4] Lib. de Beata vita. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

hæc essem consecutus, tum demum me, quod paucis felicissimis licuit, totis velis omnibusque remis in illum sinum raperem, ibique conquiescerem.

CAPUT XIV.

RELIGIONEM CHRISTIANAM PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ, QUANTUMCUMQUE CÆTERIS OMNIBUS PRÆSTET, ESSE PRÆPONENDAM.

Illud [1] tamen fidentissimè dixerim pace horum omnium, qui Platonicorum libros pervicaciter diligunt, Christianis temporibus quænam religio, *et quæ Philosophia* potissimum tenenda sit, et quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. [2] Modò *enim* si dicam vobis : Credite, hoc enim dixit Cicero, hoc dixit Plato, hoc dixit Pythagoras, quis vestrum non irridebit me, *dicens* : [3] Quid mihi dicis de Platone et de Cicerone et de Virgilio? *Ita* [4] isti Philosophi cæteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati. [5] Quid enim agit, aut quò vel quà, ut ad beatitudinem perveniatur, humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas?

CAPUT XV.

DE MAGNIS PLATONICORUM ERRORIBUS CONTRA QUOS CHRISTIANA DOCTRINA DEFENDENDA EST : QUORUM PRIMUS EST, QUOD SCHOLAS HABUERINT DISSENTIENTES AB ALIIS, ET TEMPLA COMMUNIA.

Contra [6] magnos *certè* Platonicorum errores defendenda est Christiana doctrina. *Primò enim* [7] cum omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera religione sit constituta, qua unus Deus colitur et purgatissima pietate cognoscitur,

[1] Lib. de vera Relig., cap. 3. — [2] Concio. 3, in Psalm. 103. — [3] Ibid. — [4] Lib. 2, de Civit. Dei, cap. 5. — [5] Ibid., lib. 18, cap. 41. — [6] Lib. 1, Retract., cap. 3. — [7] Lib. de Vera Relig., cap. 1.

principium naturarum omnium à quo omnis universitas et inchoatur et perficitur et continetur, hinc evidentius error deprehenditur eorum, [1] qui scholas habebant dissentientes et templa communia. [2] Illud *enim* satis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione suscepisse cum populo, et aliud eodem ipso populo audiente defendisse privatim, [3] ex parte planè satis indicantes qualia sint *quæ colunt*, ex parte autem dissimulantes, dum ea rident in theatris quæ venerantur in templis, in turpitudine nimium liberi, in superstitione nimium servi: [4] Quæ *hæc* si adoranda sunt, cur ea rident in theatris? Si autem ridenda sunt, plus ridendum est cum adorantur in templis. Quid sibi vult ista planè inimica varietas, Deos secundùm Philosophos in libris quærere, secundùm Poetas in templis adorare?

Quoquo [5] *igitur* modo se habeat Philosophorum *istorum* jactantia, illud cuivis intelligere facile est, religionem *veramque proinde Philosophiam* ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, et de suorum Deorum natura ac summo bono diversas contrariasque sententias in scholis suis eadem teste multitudine personabant. Quod si hoc unum tantum vitium Christianâ disciplinâ sanatum videremus, ineffabili laude prædicandum esse neminem negare oporteret. Hæreses namque tam innumerabiles à regula Christianitatis aversæ, testes sunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos qui de Patre Deo et Sapientia ejus et Munere divino aliter sentiunt, et hominibus persuadere conantur, quàm veritas postulat. Sic enim creditur et docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse Philosophiam, id est, sapientiæ studium, et aliam Religionem, cum ii, quorum doctrinam non approbamus, nec Sacramenta nobiscum communicant.

[1] L. de Vera Relig., cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Lib. 12, contra Faust., cap. 40. — [4] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 8. — [5] Lib., de Vera Relig., cap. 5.

CAPUT XVI.

SECUNDUS PLATONICORUM ERROR, QUOD DIIS PLURIMIS ESSE SACRA FACIENDA PUTAVERINT.

Secundò, *quamvis* [1] elegimus Platonicos omnium Philosophorum meritò nobilissimos, propterea quia, sicut sapere potuerunt, licet immortalem ac rationalem, vel intellectualem hominis animam, nisi participato lumine illius, à quo et ipsa et mundus factus est, beatam esse non posse, ita illud quod omnes homines appetunt, id est, vitam beatam quemquam isti assecuturum negant, qui non illi uni optimo, qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit. Attamen ipsi quoque sive cedentes vanitati errorique populorum, sive, ut ait Apostolus, evanescentes in cogitationibus suis, multos Deos colendos ita putaverunt, vel putari voluerunt, ut etiam quidam eorum dæmonibus divinos honores sacrorum et sacrificiorum deferendos esse censerent. [2] Hi *enim* omnes et cæteri ejusmodi, et ipse Plato, Diis plurimis esse sacra facienda putaverunt.

Novit [3] sanè etiam ipsos, in quibus errant, cavere *Apostolus*. Ubi enim dictum est, quod per ea, quæ facta sunt, Deus illis manifestavit intellectu conspicienda invisibilia sua, ibi etiam dictum est, non illos ipsum Deum rectè coluisse, quia et aliis rebus, quibus non oportebat, divinos honores illi uni tantum debitos detulerunt : quoniam cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se sapientes esse stulti facti sunt ; et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium. Ubi et Romanos, et Græcos et Ægyptios, qui de sapientiæ nomine gloriati sunt, fecit intelligi.

[1] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 1. — [2] Ibid., lib. 8, cap. 12. — [3] Ibid., cap. 10.

CAPUT XVII.

TERTIUS PLATONICORUM ERROR, QUOD NULLUS HOMINI MISCETUR DEUS.

Tertiò [1] non verum est quod Platonicus quidam ait dixisse Platonem : Nullus Deus homini miscetur ; et hoc præcipuum deorum sublimitatis ait esse specimen, quod nulla attrectatione hominum contaminentur. [2] Hoc *enim* dicitur deorum esse præcipuum, ut eos sublimiter separatos humana contrectatio contaminare non possit.

Sed [3] radiis solis et lunæ [4] quos Deos visibiles dicit *Plato*, terra contingitur, nec istam contaminat lucem. *Quomodo igitur* [5] eorum radii per quæque diffusi immunda inde non contaminantur; et dii contaminarentur, si hominibus miscerentur, etiam si esset necessarius in subveniendo contactus ? [6] Miror autem plurimùm tam doctos homines, qui cuncta corporea et sensibilia incorporalibus et intelligibilibus postponenda judicaverunt, cum agitur de beata vita, corporalium contrectationum facere mentionem. Ubi est illud Plotini, ubi ait : « Fugiendum est igitur ad clarissimam patriam, et ibi Pater, et ibi omnia. Quæ igitur classis, » inquit, « aut fuga ? Similem Deo fieri. » Si ergo Deo quantò similior, tantò fit quisque propinquior, nulla est ab illo alia longinquitas, quam ejus dissimilitudo. Incorporali verò illi æterno et incommutabili tantò est anima hominis dissimilior, quantò rerum temporalium mutabiliumque cupidior.

[1] Civit. Dei, lib. 9, cap. 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

CAPUT XVIII.

QUARTUS PLATONICORUM ERROR, QUOD ANIMA SEMPER FUIT.

Quartò, ipsa divinitas [1] animam non Deo coæternam, sed creatam esse dicit quæ non erat. [2] Ut *autem* hoc Platonici nollent credere, hanc utique causam idoneam sibi videbantur afferre, quia nisi quod semper antea fuisset, sempiternum deinceps esse non posset. Quamquam et de mundo et de his, quos in mundo Deos à Deo factos scribit Plato, apertissimè dicat, eos esse cœpisse, et habere initium, finem tamen non habituros; sed per Conditoris potentissimam voluntatem in æternum permansuros esse perhibeat. Verùm id quomodo intelligant, invenerunt, non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium (quod tamen vestigium à calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset): sic, inquiunt, et mundus, atque in illo Dii creati, et semper fuerunt semper existente qui fecit, et tamen facti sunt.

Sed numquid si anima semper fuit, etiam miseria ejus semper fuisse dicenda est? Porrò, si aliquid in illa, quod ex æterno non fuit, esse cœpit ex tempore, cur non fieri potuit, ut ipsa esset ex tempore, quæ antea non fuisset? Deinde beatitudo quoque ejus post experimentum malorum firmior, et sine fine mansura, sicut iste confitetur, proculdubio cœpit ex tempore, et tamen semper erit, cum antea non fuerit. [3] In eo *enim* aliorum Platonicorum opinionem, et non in re parva, emendavit, quod mundatam ab omnibus malis animam, et cum Patre constitutam, nunquam jam mala mundi hujus passuram esse confessus est. Qua sententia profectò abstulit, quod esse Platonicum maxime perhibetur, ut mortuos ex vivis, ita vivos ex mortuis semper fieri: falsumque esse ostendit, quod Platonicè

[1] Ibid., lib. 10, cap. 31. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, Civit. Dei, cap. 30.

videtur dixisse Virgilius, in campos Elysios purgatas animas missas (quo nomine tanquam per fabulam videntur significari gaudia beatorum) ad fluvium Letheum evocari, hoc est ad oblivionem præteritorum.

> Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
> Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Meritò displicuit hoc Porphyrio : quoniam revera credere stultum est, ex illa vita, quæ beatissima esse non poterit, nisi de sua fuerit æternitate certissima, desiderare animas corporum corruptibilium labem ; et inde ad ista remeare : tanquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur. Si enim quod perfectè mundantur, hoc efficit, ut omnium obliviscantur malorum ; malorum autem oblivio facit corporum desiderium, ubi rursus implicentur malis : profecto erit infelicitatis causa, summa felicitas ; et stultitiæ causa, perfectio sapientiæ ; et immunditiæ causa, summa munditia. Nec veritate ibi beata erit anima quamdiucumque erit, ubi oportet fallatur, ut beata sit. Non enim beata erit, nisi secura. Ut autem secura sit, falsò putabit semper se beatam fore : quoniam aliquando erit et misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit, quomodo de veritate gaudebit? Vidit hoc Porphyrius, purgatamque animam ob hoc reverti dixit ad Patrem, ne aliquando jam malorum polluta contagione teneatur.

Illa [1] igitur omnis argumentatio dissoluta est, qua putatur nihil esse posse sine fine temporis, nisi quod initium non habet temporis. Inventa est enim animæ beatitudo ; quæ, cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit.

Id *ergo*, [2] quod aiunt : Omne quod in tempore cœpit esse, immortale esse non posse, quia omnia orta occidunt et aucta senescunt, ut eo modo credi cogant animum humanum ideo esse immortalem, quod ante omnia tempora sit creatus, non movet fidem nostram. Ut enim alia taceam, cœpit esse in tempore immortalitas carnis Christi, quæ tamen jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur. [3] Quapropter divinæ auctoritati humana cedat infirmitas.

[1] L. 10, de Civ. Dei, c. 31. — [2] Epist. 28. — [3] L. 10, de Civ. Dei, c. 31.

CAPUT XIX.

QUINTUS PLATONICORUM ERROR, QUOD OMNIA, QUÆ JAM PRÆTERITA SUNT, EADEM OMNINO PERPETUA SECULORUM REVOLUTIONE, SEMPER SINT REPETENDA.

Quintò, [1] falsò etiam à quibusdam Platonicis est creditus quasi necessarius orbis quidam abeundi et ad eadem redeundi. [2] Hanc enim *quæstionem* [3] cur homo per innumerabilia atque infinita retrò tempora creatus non sit, tanquam serò sit conditus, ut minùs quàm sex millia sint annorum, ex quo esse cœpisse in sacris litteris invenitur : [4] Hanc, *inquam*, se Philosophi mundi hujus non aliter putaverunt posse vel debere dissolvere, nisi ut circumitus temporum inducerent, quibus eadem semper fuisse renovata atque repetita in rerum natura ; atque ita deinceps fore sine cessatione asseverarent volumina venientium prætereuntiumque seculorum, sive in mundo permanente isti circumitus fierent, sive certis intervallis oriens et occidens mundus eadem semper. quasi nova ea, quæ transacta et quæ ventura sunt, exhiberet. A quo ludibrio prorsus immortalem animam, etiam cum sapientiam perceperit, liberare non possunt euntem sine cessatione ad falsam beatitudinem, et ad veram miseriam sine cessatione redeuntem. Quomodo enim vera beatitudo est de cujus nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam, aut imperitissimè in veritate nescit, aut infelicissimè in beatitudine pertimescit? At si ad miserias nunquam ulterius reditura, ex his ad beatitudinem pergit, fit ergo aliquid novi in tempore, quod finem non habet temporis. Cur non ergo et mundus? Cur non et homo factus in mundo? ut illi nescio qui falsi circumitus à falsis sapientibus, fallacibusque comperti, in doctrina sana tramite recti itineris evitentur. Nam quidam et illud quod legitur in libro Salomonis, qui vocatur Ecclesiastes. Quid est quod fuit? Ipsum

[1] Lib. 10, de Civ. Dei, c. 10 — [2] Ib. lib. 12, cap. 13. — [3] Ibid., cap. 12. — [4] Ibid., cap. 13.

quod erit : Et quid est quod factum est ? Ipsum quod fiet, et non est omne recens sub sole, nec quisquam loquitur, et dicit : Ecce hoc novum est, jam fuit in seculis quæ fuerunt ante nos : propter hos circumitus in eadem redeuntes, et in eadem cuncta revocantes, dictum intelligi volunt. Quod ille, aut de his rebus dixit, de quibus superius loquebatur, hoc est de generationibus aliis euntibus, aliis venientibus ; de solis anfractibus, de torrentium lapsibus : aut certè de omnium rerum generibus, quæ oriuntur, atque occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, sunt et nobiscum, et erunt post nos. Ita quoque animantia, vel arbusta. Monstra quoque ipsa, quæ inusitata nascuntur, quamvis inter se diversa sint, et quædam eorum semel facta narrentur, tamen secundum id quod generaliter miracula et monstra sunt, et utique fuerunt, et erunt : nec recens et novum est, ut monstrum sub sole nascatur. Quamvis hæc verba quidam sic intellexerint, tanquam in prædestinatione Dei jam facta fuisse omnia, sapiens ille voluisset intelligi ; et ideo nihil recens esse sub sole. Absit autem à recta fide, ut his Salomonis verbis illos circumitus significatos esse credamus, quibus illi putant sic eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti : ut, verbi gratia, sicut in isto seculo Plato, Philosophus in urbe Atheniensi, in ea schola, quæ Academia dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retrò secula, multum prolixis quidem intervallis, sed tamen certis, et idem Plato, et eadem civitas eademque schola, iidemque discipuli repetiti, et per innumerabilia deinde secula repetendi sint. Absit, inquam, ut nos ista credamus. Semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris : resurgens autem à mortuis, jam non moritur ; et mors ei ultra non dominabitur. Et nos post resurrectionem semper cum Domino erimus, cui modo dicimus, quod sacer admonet Psalmus : *Tu Domine servabis nos, et custodies nos à generatione hac in æternum.* Satis autem istis existimo convenire quod sequitur : *In circumitu impii ambulant*, non quia per circulos quos opinantur, eorum vita est recursura ; sed quia modo talis est erroris eorum via, id est, falsa doctrina.

CAPUT XX.

SEXTUS PLATONICORUM ERROR, QUOD ALIBI VIXERINT ALIQUANDO EXTRA CORPUS ANIMÆ, PRIUSQUAM IN ISTA, QUÆ MODO GERUNT, CORPORA MITTERENTUR.

Sextò, [1] animam alibi extra corpus aliquando vixisse, et ea quæ interrogata respondet, cum hìc non didicerit, in alia vita ante didicisse, Platoni et talibus visum est. [2] Credunt *enim* animas alibi factas singillatim mitti à Deo singulis quibusque corporibus hominum. *Et quidem* [3] pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas dicunt. [4] Contra quorum opinionem, quanta pro suscepta opera dabitur occasio, *alibi disseremus.* [5] Absit enim ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali. Unde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex vocante : *Major serviet minori*, cum de geminis ageret adhuc in Rebeccæ utero constitutis.

CAPUT XXI.

SEPTIMUS PLATONICORUM ERROR, QUOD METEMPSYCHOSIM ADMISERINT.

Septimò, [6] Platonem animas hominum revolvi usque ad corpora bestiarum, scripsisse certissimum est. Hanc sententiam Plato doctor tenuit, et Plotinus; discipulo Porphyrio tamen, jure displicuit. In hominum sanè, non sua, quæ dimiserant, sed in alia nova, corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet id credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret : et non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam filio forsitan nuberet. Quantò creditur honestiùs quod sancti et veraces

[1] Lib. 1, Retract., cap. 8. — [2] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Lib. 1, Retract., cap. 8. — [5] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 7. — [6] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 30.

Angeli docuerunt; quod Prophetæ Dei Spiritu acti locuti sunt; quod ipse, quem venturum Salvatorem præmissi nuncii prædixerunt; quod missi Apostoli, qui orbem terrarum Evangelio repleverunt : quantò, inquam, honestiùs creditur reverti semel animas ad corpora propria, quam reverti toties ad diversa? *Et* [1] Plato *tamen* sentit eos qui immoderatè ac inhonestè vixerint, propter luendas pœnas ad corpora redire mortalia etiam bestiarum.

CAPUT XXII.

OCTAVUS PLATONICORUM ERROR, QUOD ANIMÆ AD PERFECTAM IPSIUS BEATITUDINEM OMNE CORPUS EST FUGIENDUM.

Octavò [2] Philosophi, contra quorum calumnias defendimus civitatem Dei, hoc est, ejus Ecclesiam, sapienter sibi videntur irridere quod dicimus, animæ à corpore separationem inter pœnas ejus esse deputandam : quia videlicet ejus perfectam beatitudinem tunc illi fieri existimant, cum omni prorsus corpore exuta ad Deum simplex et sola, et quodammodo nuda redierit. Ubi si nihil, quo ista refelleretur opinio, in eorum litteris invenirem, operosius mihi disputandum esset, quo demonstrarem non corpus esse animæ, sed corruptibile corpus, onerosum : unde illud est quod de Scripturis nostris in superiori libro commemoravimus : « *Corpus enim corruptibile aggravat animam.* » Addendo utique corruptibile, non qualicumque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente vindicta, animam perhibuit aggravari. Quod etiam si non addidisset, nihil aliud intelligere deberemus. Sed cum apertissimè Plato Deos à summo Deo factos habere immortalia corpora prædicet; eisque ipsum Deum, à quo facti sunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in æternum cum suis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte solventur : quid est quod isti ad exagitandam Christianam fidem fin-

[1] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 26. — [2] Lib. 13, cap. 16.

gunt se nescire, quod sciunt : aut etiam sibi repugnantes adversum seipsos dicere malunt, dum nobis non desinant contradicere? [1]Tanquam hæc sint inter se contraria, ut et beatitudinem quæramus animæ, et eam semper esse velimus in corpore velut ærumnoso vinculo colligatam. Cum eorum auctor et magister Plato, donum à Deo summo diis factis ab illo dicat esse concessum, ne aliquando moriantur, id est, à corporibus, quibus eos connexuit, separentur. [2]Deos *enim* Plato dicit et corporis animæque colligatione mortales, et tamen immortales Dei, à quo facti sunt, voluntate atque consilio. Si ergo animæ pœna est, in qualicumque corpore colligari, quid est quod eos alloquens Deus tanquam sollicitos ne fortè moriantur, id est, dissolvantur à corpore, de sua facit immortalitate securos : non propter eorum naturam, quæ sit compacta, non simplex; sed propter suam invictissimam voluntatem, qua potens est facere, ut nec orta occidant, nec connexa solvantur; sed incorruptibiliter perseverent?

In corporibus igitur [3]animæ, nulla ab eis morte separatæ, nullis eorum oneribus aggravatæ, sempiternè ac feliciter vivant, quod Deos suos posse asserunt in corporibus igneis, Jovemque ipsum eorum regem in omnibus corporeis elementis? Nam si animæ, ut beata sit, corpus est omne fugiendum, fugiant Dii eorum de globis siderum, fugiat Jupiter de cœlo et terra : aut, si non possunt, miseri judicentur. Sed neutrum isti volunt, qui neque à corporibus separationem audent dare Diis suis, ne illos mortales colere videantur; nec beatitudinis privationem, ne felices eos esse fateantur. Non ergo ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora, sed corruptibilia, molesta, gravia, moribunda; non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei; sed qualia esse compulit peccati pœna. [4]Non ut beatæ sint animæ, corpus est omne fugiendum; sed corpus incorruptibile recipiendum. *Et tamen* [5]omni modo esse sine corpore, beatissimum Platonici existimant.

[1] Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 17. — [4] Ibid., lib. 22, c. 26. — [5] Ibid., lib. 13, c. 19.

CAPUT XXIII.

NONUS PLATONICORUM ERROR, QUOD UNIO ANIMÆ CUM CORPORE NON SIT NISI PECCATI JAM ANTE COMMISSI PŒNA.

Nonò secundum Platonicos [1] nulla causa est vivendi in hoc corpore, nisi propter pendenda supplicia. *Dicunt enim* [2] alibi peccasse animas ante carnem, ut damnari mererentur in carnem.

At [3] desinant Platonici pœnas animarum ex istis corporibus comminari. [4] Nam si nulla causa est vivendi in hoc corpore, nisi propter pendenda supplicia, quomodo dicit idem Plato aliter mundum fieri non potuisse pulcherrimum atque optimum, nisi omnium animalium, id est, immortalium et mortalium generibus impleretur? Si autem nostra institutio, qua vel mortales conditi sumus, divinum munus est, quomodo pœna est ad ista corpora, id est, ad divina beneficia remeare? [5] Ne dicant *igitur* Platonici animas peccasse alicubi ante carnem, et hoc merito in carnem fuisse detrusas.

CAPUT XXIV.

DECIMUS PLATONICORUM ERROR, QUOD IN CARNEM VELUT IN CAUSAM OMNIA PRORSUS ANIMÆ VITIA REFUNDANT.

Decimò [6] non quidem Platonici, sicut Manichæi, desipiunt, ut tanquam mali naturam terrena corpora detestentur; cum omnia elementa, quibus iste mundus visibilis contrectabilisque compactus est, qualitatesque eorum Deo artifici tribuant. Verumtamen ex terrenis artubus moribundisque membris sic affici animas opinantur, ut hinc eis sint morbi

[1] Lib. 12, de Civ. Dei, cap. 26. — [2] L. 1, de Anima et ejus orig., cap. 12. — [3] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 26. — [4] Ibid. — [5] Lib. 1, de Anima et ejus orig., cap. 19. — [6] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 5.

cupiditatum et timorum, et lætitiæ sive tristitiæ : quibus quatuor vel perturbationibus, ut Cicero appellat, vel passionibus, ut plerique verbum è verbo græco exprimunt, omnis humanorum morum vitiositas continetur.

Sed, [1]si quisquam dicit, carnem causam esse in malis moribus quorumcumque vitiorum, eo quod anima affecta sic vivit, profectò non universam hominis naturam diligenter advertit. Nam corpus quidem corruptibile aggravat animam. [2]Verumtamen qui omnia animæ mala ex corpore putant accidisse, in errore sunt. Quamvis enim Virgilius Platonicam videatur luculentis versibus explicare sententiam, dicens :

> Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
> Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
> Terrenique hebetant artus moribundaque membra.

Omnesque illas notissimas quatuor animi perturbationes, cupiditatem, timorem, lætitiam, tristitiam, quasi origines omnium peccatorum atque vitiorum volens intelligi ex corpore accidere, subjungat et dicat :

> Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras
> Suspiciunt, clausæ tenebris et carcere cœco.

Tamen aliter se habet fides nostra. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna : nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis licet existant quædam incitamenta vitiorum et ipsa desideria vitiosa : non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Etsi enim diabolus fornicator, vel ebriosus, vel si quid aliud hujusmodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor et instigator occultus : est tamen maximè superbus atque invidus. Quæ illum vitiositas sic obtinuit, ut propter hanc esset in carceribus caliginosi hujus aeris æterno supplicio destinatus.

[1]Ibid., c. 3. — [2]Ibid.

CAPUT XXV.

UNDECIMUS PLATONICORUM ERROR, QUOD A DIIS MINORIBUS, ID EST ANGELIS, ANIMANTIA CUNCTA MORTALIA FUISSE CREATA EXISTIMENT.

Undecimò, ne plura referam, [1]Platoni suo credunt *Platonici* non ab illo summo Deo, qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creaverit, permissu sive jussu ejus, animantia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum diisque ipsis cognatum teneret locum. [2]Ita *enim* Plato minores et à summo Deo factos Deos effectores esse voluit animalium cæterorum, ut immortalem partem ab ipso sumerent, ipsi verò mortalem attexerent. Proinde animarum nostrarum eos creatores esse noluit, sed corporum.

Verumtamen [3]si superstitione careant, qua quærunt unde justè videantur sacra et sacrificia facere quasi conditoribus suis, facilè carebunt etiam hujus opinationis errore. Neque enim fas est ullius naturæ, quamlibet minimæ mortalisque, creatorem nisi Deum credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi. [4]Omnium *quippe* viventium sive in cœlo sive in terra nullus est conditor, nisi à quo facta sunt cœlum et terra. [5]Et si Deus, quod assiduè Plato commemorat, sicut universi mundi, ita cunctorum animalium species æternà intelligentià continebat, quomodò non ipse cuncta condebat? An aliquorum esse artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis ejus et ineffabiliter laudabilis mens haberet? Meritò igitur vera religio *veraque Philosophia* mundi universi eum, animalium quoque universorum, hoc est, et animarum et corporum conditorem agnoscit et prædicat.

Ita platonici quamvis [6]quædam magna quantùm divinitus adjuti sunt, invenerunt, quantum *tamen* humanitus impediti sunt erraverunt : maximè cum eorum superbiæ justè providentia divina resisteret, ut viam pietatis ab humilitate in superna surgentem etiam istorum comparatione monstraret.

[1] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 24. — [2] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 26. — [3] Ibid., cap. 24. — [4] Ibid., cap. 26. — [5] Ibid. — [6] Ibid., lib. 2, cap. 7.

CAPUT XXVI.

CHRISTIANAM RELIGIONEM IN HOC ETIAM PLATONICÆ PHILOSOPHIÆ MULTUM PRÆSTARE, QUOD TAM VARIÆ FUERINT OPINIONUM INTER PROFANOS DISSENTIONES, CUM ADEO MIRA SIT CANONICARUM APUD ECCLESIAM SCRIPTURARUM CONCORDIA.

Ipsi[1] *quoque* Philosophi, à quibus ad ista progressi sumus, qui non videntur laborasse in studiis suis, nisi ut invenirent quomodò vivendum esset accommodatè ad beatitudinem capescendam, cur dissenserunt, et à magistris discipuli, et inter se condiscipuli nisi quia ut homines, humanis sensibus et humanis ratiocinationibus ista quæsierunt?

Auctores[2] verò nostri, in quibus non frustra sacrarum Litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immeritò cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod carum religione esse oporteret; nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis invenerit, inter quos cuncta quæ sensere conveniant; quod ostendere *hìc* longum est.

Quis autem sectæ cujuslibet auctor sic est in hac dæmonicola civitate approbatus, ut cæteri improbarentur qui adversa et diversa senserunt? [3]At verò gens illa, ille populus, illa civitas, illa respublica, illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt; sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum Litterarum veraces ab eis agnoscebantur et tenebantur auctores. Ipsi eis erant

[1] Lib. 18, de Civit. Dei, cap. 41. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

Philosophi, hoc est, amatores sapientiæ, ipsi Sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis atque pietatis. Quicumque secundùm illos sapuit et vixit; non secundùm homines, sed secundùm Deum, qui per eos locutus est, sapuit et vixit. Ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est : Honora patrem tuum et matrem tuam, Deus jussit. Si dictum est : Non mœchaberis, non homicidium facies, non furaberis, et cætera hujusmodi : non hæc ora humana, sed oracula divina fuderunt. Quidquid Philosophi quidam inter falsa, quæ opinati sunt, verum videre potuerunt, et laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt, quod mundum istum fecerit Deus, eumque ipse providentissimus administraret, de honestate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus, atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis nescientes ad quem finem et quonam modo essent ista omnia referenda, propheticis, hoc est divinis vocibus, quamvis per homines, in illa civitate populo commendata sunt, non argumentationum concertationibus inculcata, ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognosceret.

CAPUT XXVII.

CHRISTIANÆ DUNTAXAT RELIGIONI, NON AUTEM PLATONICÆ PHILOSOPHIÆ, DIVINAM AUCTORITATEM ADFUISSE, QUA POPULIS CREDENDA PERSUADERENTUR, QUIBUS INTELLIGENDIS NONDUM ESSENT IDONEI.

His adde [1] quod cum Platonici talia sentirent, quæ non docerent carni deditos homines, tantà non *fuerunt* auctoritate apud populos, ut credenda persuaderent, donec ad eum habitum perduceretur animus, quo ista capiuntur. [2] Non *enim* sicut *alii* errorum suorum, ita Platonici veræ rationis, personam implere potuerunt. Omnibus enim defuit divinæ humilitatis exemplum, quod opportunissimo

[1] Epist. 56. — [2] Ibid.

tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est : cui uni exemplo in cujusvis animo ferociter arrogantis omnis superbia cedit, et frangitur, et emoritur. Ideoque non valentes illi auctoritate turbas terrenarum rerum delectatione cæcatas ad invisibilium fidem ducere, *utpote* [1] non habentes divinam personam qua imperarent fidem, [2] falsorum Philosophorum erroribus illo tempore circumlatrantibus [3] sententiam suam tegere quærendam, quàm polluendam proferre maluerunt; elegerunt occultare sententiam suam, et contra eos disserere, qui verum se invenisse jactarent, cum inventionem ipsam veri in carnis sensibus ponerent : et eorum quidem consilium quale fuerit quid attinet quærere? Divinum certè, vel divina aliqua auctoritate præditum non fuit.

Hinc etiam [4] suaviùs ad legendum quàm potentiùs ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic nati erant Socrates et Plato, ut populorum suorum opinionem ad verum cultum veri Dei à simulacrorum superstitione atque ab hujus mundi vanitate converterent.

Illud [5] *ergo* fidentissimè dixerim, *quod semel supra jam dixi,* pace horum omnium qui eorum libros pervicaciter diligunt, Christianis temporibus quænam religio potissimum tenenda sit, et quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viveret, et me interrogantem non aspernaretur, vel potiùs, si quis ejus discipulus eo ipso tempore, quo vivebat, eum interrogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed purâ mente, veritatem videri, cui quæcumque anima inhæsisset eam beatam fieri atque perfectam : ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam, et falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones errores-que generarent; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore varia-

[1] Epist. 56. — [2] Ibid. — [3] Ibi . — [4] Lib., de Vera Relig., c. 2. — [5] Ib. c. 3.

tam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa verè summèque sit; cætera nasci, occidere, fluere, labi; et tamen, in quantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata consistere; in quibus animæ tantùm rationali et intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur atque afficiatur, orneturque ex ea, æternamque vitam possit mereri; sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, et dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irridet eos, qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat. Cum hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent; aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum divinis honoribus dignum judicaret : responderet, credo, ille non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei Virtus atque Sapientia ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione, ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate subveheret, ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupiunt, et omnia perpetiendo quæ horrescunt, et omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converteret. De honoribus verò ejus frustra se consuli, cum facilè possit existimari quantum honoris debeatur Sapientiæ Dei, qua gestante et gubernante, ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium et quo supra homines esset, mereretur. Quæ si facta sunt, si litteris monimentisque celebrantur; si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, et ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri, virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitaverunt; si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras pos-

teris reliquerunt; et, ne de præteritis loquar, quæ potest quisque non credere, si hodie per gentes, populosque prædicatur : *In principium erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, ut anima sanetur, et tantæ luci hauriendæ mentis acies convalescat, dicitur avaris : *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et ærugo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque rubigo exterminat, neque fures effodiunt neque furantur; ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* dicitur luxuriosis: *Qui seminat in carne, de carne metet et corruptionem; qui seminat spiritu, de spiritu metet vitam æternam;* dicitur superbis : *Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur;* dicitur iracundis : *Accepisti alapam, para alteram maxillam;* dicitur discordiosis : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos;* dicitur superstitiosis : *Regnum Dei intra vos est*; dicitur curiosis : *Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt*; postremò dicitur omnibus : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*; *quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et ambitio seculi.* Si hæc per totum orbem jam populis leguntur, et cum veneratione libentissimè audiuntur; si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tantò fertiliùs et uberiùs usque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt; si tot juvenum et virginum millia contemnentium nuptias castèque viventium jam nemo miratur (quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturæ naturam execratus, tanquam peccatum illud aboleretur); si hæc sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit; si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes, quas homines incolunt, sacra Christiana traduntur; si hæc quotidie leguntur in Ecclesiis, et à Sacerdotibus exponuntur; si tundunt pectora qui

conantur hæc implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis et honoribus hujus mundi, ex omni hominum genere uni Deo summo totam vitam dicare volentium, desertæ quondam insulæ ac multarum terrarum solitudo compleatur. Si denique per urbes atque oppida, castella, vicos, et agros etiam, villasque privatas in tantum apertè persuadetur et appetitur à terrenis aversio, et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat : Sursum corda se habere ad Dominum : quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur : si quando autem ad disputationem venitur, Platonico nomine ora crepentia, quàm pectus vero Deo plenum, magis habere gestimus?

Sanè, [1] cum tanta sit cæcitas mentium per ingluviem peccatorum amoremque carnis, ut tanta sententiarum portenta, *quas falsi Philosophi* [2] ausi sunt etiam defendere, [3] otia doctorum conterere disputando potuerint, dubitabis tu, vel quisquam vigilanti ingenio præditus, ullo modo ad sequendam veritatem meliùs consuli potuisse generi humano, quàm ut homo ab ipsa veritate susceptus ineffabiliter atque mirabiliter, et ipsius in terris personam gerens, recta præcipiendo, et divina faciendo, salubriter credi persuaderet, quod nondum prudenter posset intelligi? Hujus nos gloriæ servimus; huic te immobiliter atque constanter credere hortamur, per quem factum est ut non pauci, sed populi etiam, qui non possunt ista dijudicare ratione, fide credant, donec salutaribus præceptis adminiculati evadant ab his perplexitatibus in auras purissimæ atque sincerissimæ veritatis. [4] Cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, et altissimis à corpore sordibus oblitas, nunquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret, atque submitteret, cujus non solùm præceptis, sed etiam factis, excitatæ animæ redire

[1] Epist. 36. — [2] Ib. — [3] Ib. — [4] L. 3, contra Acad., c. 19.

in semetipsas, et respicere patriam, etiam sine disputationum concertatione potuissent. [1]Ex quo intelligitur, ipsos quoque Platonicæ gentis Philosophos, paucis mutatis, quæ Christiana improbat disciplina, invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, et intelligere Verbum Dei homine indutum, qui jussit, et creditum est quod illi vel proferre metuebant.

Cognoscant[2] *ergo Platonici* Deum, et cedant Deo, per quem populis jam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod utique ab ipsis fieret, si tantum valerent; aut, si non fieret, crimen invidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei, à quo factum est; nec curiositate aut inani jactantia impediantur quominus agnoscant, quid intersit inter paucorum timidas conjecturas, et manifestam salutem correptionemque populorum. Illi enim si reviviscerent, quorum isti nominibus gloriantur, et invenirent refertas Ecclesias templaque deserta, et à cupiditate bonorum temporalium et fluentium ad spem vitæ æternæ et bona spiritalia et intelligibilia vocari et currere genus humanum, dicerent fortasse (si tales essent, quales fuisse memorantur) : hæc sunt quæ populis persuadere non ausi sumus, et eorum potius consuetudini cessimus, quam illos in nostram fidem voluntatemque traduximus. Itaque, si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profectò cujus auctoritate faciliùs consuleretur hominibus; et paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Aut, si hoc non faterentur neque facerent, in superbia et invidia remanentes, nescio utrum possent ad ea ipsa quæ appetenda et desideranda esse dixerant, cum istis sordibus viscoque revolare.

[1] Epist. 56. — [2] Lib. de Vera Relig., cap. 4.

CAPUT XXVIII.

PERFECTAM ET ABSOLUTAM AD VERITATEM VIAM, QUÆ CHRISTUS EST, IN CHRISTIANA TANTUM, NON AUTEM PLATONICA PHILOSOPHIA REPERIRI.

Nam[1] quia ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solùm ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque serenata fiat tantæ felicitatis capax, fide primùm fuerat imbuenda atque purganda. In qua ut fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei Filius, homine assumpto, non tamen Deo consumpto eamdem constituit atque fundavit fidem, ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Christus per id quod est mediator, est homo et via perveniendi ad Deum. Per hoc enim mediator, per quod et homo; per hoc et via. Quia si inter eum qui tendit, et illud quò tendit via media est, spes est perveniendi. Si autem desit aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus et homo : quò itur Deus; qua itur homo.

Christus[2] *itaque*, quia ipse est apud Patrem veritas et vita, Verbum Dei, de quo dictum est: Vita erat lux hominum. Quia ergo ipse est apud Patrem veritas et vita; et non habebamus, quà iremus ad veritatem, Filius Dei, qui semper in Patre veritas et vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, et pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere, qua ad illum pervenias, præter ipsum. Si enim via ipse esse noluisset, semper erraremus. Factus ergo via est, qua venias; non tibi dico, quære viam. Ipse via ad te venit, surge et ambula. Ambula moribus, non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus; et malè ambulant moribus. Aliquando enim ipsi bene ambu-

[1] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 2. — [2] Serm. 55, de Verbis Domini.

lantes præter viam currunt. Invenies quippe homines bene viventes et non Christianos. Bene currunt, sed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant : quia à via recedunt. Si autem tales homines perveniant ad viam, et teneant viam, ô quanta securitas est! quia et bene ambulant, et non errant. Si autem non tenent viam, quantumvis bene ambulent, heu quantum dolendum est! Melius est enim in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare.

Dicit [1] *quidem* Porphyrius *Platonicus* divinis oraculis fuisse responsum principia posse purgare. [2]Quæ autem dicat esse principia tanquam Platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem græcè appellat Paternum intellectum, vel Paternam mentem, *ut supra jam vidimus.* [3]Ignorantiam *igitur, ô Platonice*, et propter eam multa vitia per nullas Teletas purgari *quidem* dicis, sed per solum πατρικὸν νοῦν, id est Paternam mentem sive intellectum, qui paternæ est voluntatis conscius. Hunc autem Christum esse non credis. Contemnis enim eum propter corpus ex femina acceptum, et propter crucis opprobrium, excelsam videlicet sapientiam spretis atque abjectis infimis idoneus de superioribus carpere. At ille implet, quod Prophetæ sancti de illo veraciter prædixerunt. *Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo.* Non enim suam in eis perdit et reprobat, quam ipse donavit; sed quam sibi arrogant qui non habent ipsius. Unde commemorato isto prophetico testimonio, sequitur et dicit Apostolus : *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quoniam in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam quidem Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus*, inquit, *Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis verò vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : quoniam quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus.*

[1] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 28.

Hoc quasi stultum et infirmum tanquam sua virtute sapientes fortesque contemnunt. Sed hæc est gratia, quæ sanat infirmos, non superbè jactantes falsam beatitudinem, sed humiliter potiùs veram miseriam confitentes.

Prædicas [1], *ô Platonice*, Patrem, et ejus Filium, quem vocas Paternum intellectum, seu Mentem; [2]sed incarnationem incommutabilis Filii Dei, qua salvamur, ut ad illa quæ credimus vel ex quantulacumque parte intelligimus, pervenire possimus, non vultis agnoscere. Itaque videris utcumque, etsi de longinquo, etsi acie caligante patriam, in qua manendum est; sed viam, qua eundum est, non tenetis.

Deum [3] *scilicet* esse quamdam vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam hujus seculi Philosophi viderunt, veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes rationes rerum omnium creatarum. Viderunt quidem, sed de longinquo. Viderunt, sed in errore positi. Et idcirco ad eam tam magnam et ineffabilem et beatificam possessionem qua via perveniretur non invenerunt. Nam quia viderunt etiam ipsi, quantum videri ab homine potest, creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum, Paulus Apostolus testis est, cui utique debent credere Christiani. Ait enim cum de talibus loqueretur : *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent.* Numquid dixit eos non detinere veritatem? Sed veritatem in iniquitate detinent. Bonum est quod tenent, sed malum ubi tenent. Veritatem in iniquitate detinent. [4]Figuras enim animalium sibi Deos Pagani fecerunt. Invenisti Deum, et colis idolum. Invenisti veritatem, et ipsam veritatem in injustitia detines. [5]Ecce in qua iniquitate veritatem tenuerunt; et ad possessionem illam, quam viderunt, viam perducentem non invenerunt.

Hi [6] *enim* de quibus dixit *Apostolus : Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, viderunt hoc quod

[1] Ibid., cap. 29. — [2] Ibid. — [3] Serm. 55, de Verbis Domini. — [4] Ibid. — [5] Tract. 2, in Evang. Joan. — [6] Ibid.

dicit Joannes, quia *per Verbum Dei facta sunt omnia.* Nam inveniuntur ista et in libris Philosophorum. Et quia unigenitum Filium habet Deus per quem facta sunt omnia, illud potuerunt videre quid est. Sed viderunt de longè, noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua navi securi pervenirent ad id quod longè videre potuerunt; et sorduit eis crux Christi. Mare transeundum est, et lignum contemnis. O sapientia superba, irridens crucifixum Christum! Ipse est, quem longè vidisti. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Sed quare crucifixus est? Quia lignum tibi humilitatis ejus necessarium erat. Superbiâ enim tumueras, et longè ab illa patria projectus eras, et fluctibus hujus seculi interrupta est via, et qua transeatur ad patriam non est, nisi ligno porteris. [1] Sic est enim tanquam videat quisquam de longinquo patriam, et mare interjaceat. Videt quò eat, sed non habet quà eat. Sic ad illam stabilitatem nostram, ubi quod est est, quod hoc solum semper sic est ut est, volumus pervenire. Interjacet mare hujus seculi quà imus, etsi jam videmus quò imus. Nam multi nec quò eant vident. Ut ergo esset et quà iremus, venit inde ad quem ire volebamus. Et quid fecit? Instituit lignum, quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare hujus seculi, nisi cruce Christi portatus. Hanc crucem aliquando complectitur et infirmus oculus : et qui non videt longè quò eat, non ab illa recedat, et ipsa illum perducet. Itaque, fratres mei, hoc insinuaverim cordibus vestris, si vultis piè et christianè vivere, adhærete Christo secundùm id quod pro nobis factus est, ut perveniamus ad eum secundùm id quod est, et secundùm id quod erat. Accessit ut pro nobis hoc fieret : quia hoc pro nobis factus est ubi portentur infirmi, et mare hujus seculi transeant, et perveniant ad patriam, ubi jam navi non opus erit, quia nullum mare transitur. Melius est ergo non videre mente id quod est, et tamen à Christi cruce non recedere, quàm videre illud mente, et crucem Christi contemnere. Bonum est super hoc et optimum, si fieri potest, ut et videatur

[1] Tract. 2, in Evang. Joan.

quò eundum sit, et teneatur quo portetur qui pergit. *Verùm*[1] hoc *Platonicæ* litteræ non habent.

Procurasti[2] *quidem, Domine, aliquando,* mihi per quemdam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex græca lingua in latinam versos : et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; quod factum est in eo vita est, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt:* et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen, sed Verbum Dei, Deus, est *lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* et quia *in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Quia verò *in sua propria venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus;* non ibi legi. Item ibi legi quia *Deus Verbum, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est* : sed quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, non ibi legi. Indagavi quippe in illis litteris variè dictum, et multis modis, quod sit Filius in forma Patris, *non rapinam arbitratus esse æqualis Deo*, quia naturaliter idipsum est : Sed quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus eum exaltavit à mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* Jesu *omne genu flectatur cœlorum, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus* Jesus *in gloria est Dei Patris;* non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, et supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus Filius coæternus tibi, et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ,

[1] Lib. 7, Confess., cap. 9. — [2] Ibid.

ut beatæ sint, et quia participatione manentis in se patientiæ renovantur, ut sapientes sint, est ibi. Quod autem *secundùm tempus pro impiis mortuus est, et Filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum,* non est ibi. *Abscondisti enim hæc à sapientibus, et revelasti ea parvulis*; ut venirent ad eum *laborantes et onerati; et reficeret eos : quoniam mitis est et humilis corde, et dirigit mites in judicio*; *et docet mansuetos vias suas, videns humilitatem nostram et laborem nostrum, et dimittens omnia peccata nostra.*

Ubi[1] *igitur* erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus? aut quando illi libri me docerent eam? [2]Hoc illæ litteræ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis hujus, lacrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum, populi salutem, sponsam, civitatem, arrham Spiritus sancti, poculum pretii nostri. Nemo ibi cantat: *Nonne Deo subdita erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum, etenim ipse est Deus meus et salutaris meus*; *susceptor meus, non movebor amplius.* Nemo ibi audit vocantem : *Venite ad me qui laboratis.* Dedignantur ab eo discere, *quoniam mitis est et humilis corde.* [3]Pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo Spiritu docuit sapere, ac dicere : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; *quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod initium sancti Evangelii, cui nomen est secundùm Joannem, quidam Platonicus (sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit episcopus, solebamus audire) aureis litteris conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Sed ideo viluit superbis Deus ille magister, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*: ut parum sit miseris, quod ægrotant, nisi se in ipsa ægritudine etiam extollant, et de

[1] Ibid., cap. 20. — [2] Ibid., cap. 21. — [3] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 29.

medicina, qua sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt, ut erigantur; sed ut cadendo gravius affligantur.

Qui [1] enim cothurno tanquam doctrinæ sublimioris elati non audiunt dicentem : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris ;* etsi cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant aut gratias agunt; sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, *ut jam in superioribus toties monuimus.*

Certè, [2] cum dicit Porphyrius in primo juxta finem de Regressu animæ libro, nondum receptam unam quamdam sectam, quæ universalem viam animæ contineat liberandæ, vel à Philosophia verissima aliqua, vel ab Indorum moribus ac disciplina, aut inductione Chaldæorum, aut alia qualibet via, nondumque in suam notitiam eamdem viam historiali cognitione perlatam ; proculdubio confitetur esse aliquam, sed nondum in suam venisse notitiam. Ita ei non sufficiebat quidquid de anima liberanda studiosissimè didicerat, sibique vel potiùs aliis nosse ac tenere videbatur. Sentiebat enim adhuc sibi deesse aliquam præstantissimam auctoritatem, quam de re tanta sequi oporteret. Cum autem dicit vel à Philosophia verissima aliqua nondum in suam notitiam pervenisse sectam, quæ universalem contineat viam animæ liberandæ, satis, quantum arbitror, ostendit vel eam Philosophiam, in qua ipse philosophatus est, non esse verissimam, vel ea non contineri talem viam. Et quomodo jam potest esse verissima, qua non continetur hæc via? Nam quæ alia via est universalis animæ liberandæ, nisi qua universæ animæ liberantur, ac per hoc sine illa nulla anima liberatur? Cum autem addit et dicit, « vel ab Indorum moribus et disciplina, vel ab inductione Chaldæorum, vel alia qualibet via, » manifestissima voce testatur, neque illis quæ ab Indis, neque illis quæ à Chaldæis didicerat, hanc universalem viam animæ liberandæ contineri; et utique se à Chaldæis oracula divina sumpsisse, quorum assiduam commemorationem facit, tacere non potuit. Quam vult

[1] Lib. 7, Confess., cap. 9. — [2] Lib. 10, de civit. Dei, cap. 32.

ergo intelligi animæ liberandæ universalem viam nondum receptam, vel ex aliqua verissima Philosophia, vel ex earum gentium doctrinis, quæ magnæ velut in divinis rebus habebantur, quia plus apud eos curiositas valuit quorumque Angelorum cognoscendorum et colendorum, nondumque in suam notitiam historiali cognitione perlatam? Quænam ista est universalis via, nisi quæ non suæ cuique genti propria, sed universis gentibus quæ communis esset, divinitùs impertita est? Quam certè iste homo non mediocri ingenio prædítus, esse non dubitat. Providentiam quippe divinam sine ista universali via liberandæ animæ genus humanum relinquere potuisse, non credit. Neque enim ait non esse, sed hoc tantum bonum, tantumque adjutorium nondum receptum, nondum in suam notitiam esse perlatum, nec mirum. Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis : quando ista liberandæ animæ universalis via, quæ non est alia quàm Religio Christiana, oppugnari permittebatur ab idolorum Dæmonumque cultoribus regibusque terrenis, propter asserendum et consecrandum martyrum numerum, hoc est, testium veritatis, per quos ostenderetur, omnia corporalia mala pro fide pietatis et commendatione veritatis esse toleranda. Videbat ergo ista Porphyrius, et per hujusmodi persecutiones citò istam viam perituram, et propterea non esse ipsam liberandæ animæ universalem putabat, non intelligens hoc, quod eum monebat, et quod in ejus electione perpeti metuebat, ad ejus confirmationem robustioremque commendationem potius pertinere.

CAPUT XXIX.

EX DICTIS OSTENDITUR, NON ESSE PHILOSOPHUM PERFECTUM ET ABSOLUTUM NISI CHRISTIANUM : CUM SOLI CHRISTIANO SAPIENTIAM AMARE, SINE ULLO ERRORE NOSSE, POTENTERQUE SUADERE SIT CONCESSUM.

[1]Paucis *itaque* divinitus datum est veræ Philosophiæ contra miserias hujus vitæ unicum auxilium. *Si enim*, *Domine*, [2]apud te est sapientia, amor autem sapientiæ

[1] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 22. — [2] Lib. 3, Confess., cap. 4.

nomen græcum habet φιλοσοφίαν ; *si* [1] sapientia, *ut supra jam diximus*, Deus est, per quem facta sunt omnia, *ideoque* [2] verus Philosophus est amator Dei : [3] res ipsa, cujus hoc nomen est, non est in omnibus, qui hoc nomine gloriantur. Neque enim continuò veræ sapientiæ sunt amatores quicumque appellantur Philosophi. [4] Sapere *quippe* pauci possunt. [5] Hujus *quidem ipsi etiam gentiles* se amatores esse profitentur : (unde etiam Philosophi nominantur) et propterea illam videntur defendere, cum inimici sint ejus : [6] Quandoquidem Filius Dei virtus et sapientia Dei est, qua illustratur omnis quisquis veritate sapiens efficitur. [7] Arguit illos Apostolus et dicit de ipsis : Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt : quia se habere dicebant quod a Deo acceperant ; aut si cognoverunt a quo acceperunt (*ut Platonici*) non eum glorificaverunt, a quo se accepisse cognoverunt. Hoc est : dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt : [8] non enim sapientes sunt, sed esse putant.

Nunc [9] *scilicet* sapientes voco non cordatos et ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vitâ moresque congruentes : cæteros autem cujusquemodi artibus inertiisque affecti sint : quolibet victu probandi, sive improbandi, stultorum in numero deputaverim. [10] Vos sapientes voco, quos veritas vocari jubet, id est qui regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt. [11] Homo enim sapiens *est cum* ita constitutus atque ordinatus est, ut [12] id dominetur in homine cui dominatio lege debetur ea, quam æternam esse comperimus, *id est*, *cum* [13] serviens Deo animus, recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Domino Deo subdita, recte imperat libidini vitiisque cæteris. [14] Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur.

[1] Lib. 8. de Civit. Dei, cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 2, de Lib. arb. cap. 11. — [5] In Psalm. 8. — [6] Ibid. — [7] In Psalm. 57. — [8] In Psalm. 8. — [9] Lib. de Util. Cred., cap. 12. — [10] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 9. — [11] Ibid. — [12] Ib., cap. 8. — [13] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 21. — [14] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8.

Sane [1] cum mens meminit et intelligit et amat a quo facta est, sapiens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cum sui meminit, seseque intelligit ac diligit, stulta est. [2] In hominibus *igitur* fit aliquid quod vocetur eorum sapientia, cum ad sapientiam, quæ non creata, nec facta, sed genita est, convertuntur et illustrantur. *Sicque* [3] ipsa perfectio sapientiæ longe est a malis, [4] apud quos vera pietas, id est verax veri Dei cultus, unde omnia rectè vivendi duci oportet officia, non invenitur : [5] quia pietas est vera sapientia. [6] Philosophos *autem Gentiles* non vera pietate præditos *scimus, quantumvis* [7] de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes. *In civitate quippe terrena* sapientes ejus secundùm hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona, aut utriusque, sectati sunt; aut qui potuerunt cognoscere Deum, non ut Deum honoraverunt vel gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. [8] Non enim sapiens cor, quamvis cognovissent Deum, sed insipiens potiùs : quia non sicut Deum, glorificaverunt, aut gratias egerunt. Dixit enim homini, *ut supra jam vidimus* : Ecce pietas est sapientia.

Quid [9] *igitur* aliud dicendum est eis, qui cum sint iniqui, impii, [10] variarum servi libidinum, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in litteris vere liberalibus legimus : *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Per eum namque præstatur, ut ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ ab eis qui in libertatem vocati non sunt, appellantur, quid in se habeant liberale noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati. Unde ille ipse Filius, *et veritas*, inquit, *liberabit vos.* [11] Non ergo ullo modo nostræ consonant libertati [12] ipsorum etiam Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel Deum prorsus non cognoverunt,

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 12. — [2] Ibid., lib. 7, c. 3. — [3] In Psalm. 146. — [4] Epist. 52. — [5] Lib. de Spir. et lit., cap. 11. — [6] Lib. Retract., cap. 3. — [7] Tract. 45, in Joann. Evang. — [8] Lib. de Spir. et Litt., cap. 12. — [9] Epist. 131. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid.

vel *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt; et immutaverunt gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum atque quadrupedum et serpentium;* vel qui istis simulacris non dediti, aut non nimis dediti, coluerunt tamen et *servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.* Absit omnino ut istorum vanitates et insaniæ mendaces, ventosæ nugæ ac superbus error, rectè liberales litteræ nominentur hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum qua sola liberamur de corpore mortis hujus non cognoverunt, nec in eis ipsis quæ vera sunt senserunt.

Propterea [1] laus ipsa, qua Platonem vel Platonicos seu Academicos Philosophos *aliquando* tantum extuli, quantum impios homines non oportuit non immeritò mihi displicuit. *Sapientia quippe* [2] *salutaris et perfecta* longè est à cordibus sapientium superborum, et ideo non christianorum, ac per hoc nec verè sapientium. Illorum etiam dico sapientium, qui cognoverunt Deum, quia *cognoscentes Deum*, sicut dicit Apostolus, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Nosti autem in quo sacrificio dicatur : *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Cujus sacrificii humilitate longè abest typhus, et cothurnus illorum.

Nostra [3] *igitur* christiana una est vera Philosophia, quandoquidem studium vel amor sapientiæ significetur hoc nomine. *Et* [4] qui sacrarum Litterarum veraces *à nobis* agnoscuntur et tenentur auctores, ipsi *nobis sunt* Philosophi, hoc est, amatores sapientiæ, ipsi Sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis atque pietatis. Super illos [5] *montes, inquit Psalmus*, volatilia cœli inhabitabunt. [6] Sunt quædam volatilia quæ non habitant nisi super montes. Spiritales quasdam animas significat hoc nomen. Volatilia, spiritalia corda sunt : quæ aere libero perfruuntur. Gaudent serenitate cœli aves istæ : sed

[1] Lib. 1, Retract., cap. 1. — [2] Epist. 67. — [3] Lib. 4, contr. Julian. Pelag. cap. 14. — [4] Lib. 18, de Civit. Dei, cap. 41. — [5] In Psalm. 103, conc. 3. — [6] Ibid.

tamen pastus earum in montibus ; illic inhabitabunt. [1] Montes Prophetæ, montes Apostoli, montes omnes prædicatores veritatis. Quicumque vult esse spiritalis, ibi inhabitet : non in corde suo aberret, habitet, perferat volando. Habemus aves significantes aliquid spiritale. [2] *Quia* æterna meditantur, et transgrediuntur desiderio et intellectu omnia temporalia *Spiritales* viri qui *de omnibus judicant, et à nemine judicantur.* [3] Aves *itaque* videant, si aves tales sunt quæ super montes illos inhabitent : non debent sequi altitudinem cordis sui, de quibus dicitur : *Posuerunt in cœlum os suum.* Ne à ventis tollantur, in montibus requiescant. Habeant auctoritatem sanctorum, requiescant in montibus, in Apostolis, in Prophetis : illic inhabitent tales aves, quia in montibus petras inveniunt, firmamenta quædam præceptorum. Sicut enim una illa petra, Christus verbum Dei, sic multa verba Dei, multæ petræ et istæ petræ in montibus. Vide aves ibi habitantes : *Super illos volatilia cœli inhabitabunt.* Sed noli putare, quia ista volatilia cœli auctoritatem suam sequantur : vide quid dicat Psalmus : *De medio petrarum dabunt vocem suam.* Modò si dicam vobis, credite : hoc enim dixit Cicero, hoc dixit Plato, hoc dixit Pythagoras, quis vestrum non irridebit me ? Ero enim avis quæ non de petra emitto vocem meam. Quid mihi unusquisque vestrûm debet dicere ? Hoc debet dicere ille qui sic instructus est. *Si quis vobis Evangelizaverit prœterquàm quod accepistis, anathema sit.* Quid mihi dicis de Platone, et de Cicerone, et de Virgilio ? Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam. *De medio petrarum dabunt vocem suam.* Audiantur quia petræ audiuntur, audiantur quia et in illis multis petris petra auditur : *Petra* enim *erat Christus.* Audiantur ergo libenter, *de medio petrarum dantes vocem suam.* Nihil suavius tali voce alitum. Illæ sonant, et petræ resonant : sonant illæ, disputant spiritales. Resonant petræ, testimonia respondent Scripturæ. Ecce inde volatilia *de medio petrarum dant vocem suam ;* habitant enim in montibus. Ipsi montes,

[1] In Psalm. 103, conc. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

et illæ petræ unde habent vocem? Ut enim rigemur Scripturis, confugimus ad Apostolum Paulum. Ille unde habet? Confugimus ad Isaiam. Isaias unde? Audi unde : *Rigans montes de superioribus suis.* Modò si ad nos venerit homo gentilis incircumcisus, crediturus Christo, damus ei baptismum, nec revocamus ad illa opera legis. Et si nos interroget Judæus quare ita faciamus, sonamus de petra, dicimus : Hoc fecit Petrus, hoc fecit Paulus : de medio petrarum damus vocem nostram.

Quid [1] faciunt pauci aliter disputantes? Judices sunt impiorum. Sed quid ad te? Vide quid *alius Psalmus* dicat : *Absorpti sunt juxta Petram judices eorum.* Quid est : *Absorpti sunt juxta Petram ; Petra autem erat Christus, ut modo dictum est. Absorpti sunt juxta Petram. Juxta*, id est, comparati, judices magni, potentes, docti. Ipsi dicuntur judices eorum, tanquam judicantes de moribus, et sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles. Adjunge illum petræ, et absorptus est. Quid est Aristoteles? Audiat, dixit Christus : et apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. Adjunge illos petræ, compara auctoritatem illorum auctoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo. Dicamus eis : Vos litteras vestras conscripsistis in cordibus superborum, ille crucem suam fixit in cordibus regum. Postremò mortuus est et resurrexit : mortui estis, et nolo quærere quemadmodum resurgatis. Ergo, *absorpti sunt juxta petram* istam *judices eorum.* Tamdiu videntur aliquid dicere donec comparentur Petræ. [2] Videte itaque textum *sequentem* Psalmi. *Adhuc et oratio mea*, inquit Christus, *in beneplacitis eorum.* Sed erunt multi qui contradicant. *Absorpti sunt juxta petram judices eorum.* Quid ergo erit? *Audient verba mea, quoniam prævaluerunt.* Prævaluerunt verba mea verbis eorum. Dicta sunt ab eis quædam disertè, sed à me vera. Aliud est laudare loquacem, aliud laudare veracem. *Audiam verba mea, quoniam prævaluerunt.* Unde prævaluerunt? Quis eorum comprehensus est in sacrificio cùm his legibus ista prohiberentur, et non negavit? Quis

[1] In Psalm. 140. — [2] Ibid.

eorum comprehensus est adorare idolum, et non clamavit: Non feci, et timuit ne convinceretur? Tales ministros diabolus habebat.

CAPUT XXX.

EXIMIA RELIGIONIS CHRISTIANÆ COMMENDATIO.

Repudiatis[1] igitur omnibus, qui neque in sacris Philosophantur nec in Philosophia consecrantur *(id est, et qui sicut supra jam dictum est,* [2]nescientes quid sit Deus et quanta majestas semper eodem modo manentis Naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimèque perquirant; *et qui quamvis*[3] cuncta corpora, [4]omnem animam mutabilesque spiritus transcenderunt quærentes summum Deum, [5]non tamen *ipsum* ut Deum honorant), [6]tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est.

Hæc[7] est *enim, ut fusius alibi probabitur,* Religio, quæ universalem continet viam animæ liberandæ: quoniam nulla nisi hac liberari potest. Hæc est enim quodammodo regalis via, quæ una ducit ad regnum, non temporali fastigio nutabundum, sed æternitatis firmitate securum. [8]Hæc est igitur animæ liberandæ universalis via, id est universis gentibus divinâ miseratione concessa, cujus profectò notitia ad quoscumque jam venit et ad quoscumque ventura est, nec debuit, nec debebit ei dici: Quare modò? et quare serò? quoniam mittentis consilium non est humano ingenio penetrabile. Quod sensit etiam iste, *de quo supra, Porphyrius,* cum dixit nondum receptum hoc donum Dei, et nondum in suam notitiam fuisse perlatum. Nec enim propterea verum non esse judicavit, quia nondum in suam fidem receptum

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 7. — [2] Lib. de Morib. Eccl., cap. 21. — [3] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid., lib. 14, cap. 7. — [6] Lib. de Vera Relig., cap. 7. — [7] Lib. 10, de Civ. Dei., c. 32. — [8] Ibid.

fuerat, vel in notitiam nondum pervenerat. Hæc est, inquam, liberandorum credentium universalis via, de qua fidelis Abraham divinum accepit oraculum : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Qui fuit quidem gente Chaldæus, sed ut talia promissa perciperet, et ex illo propagaretur semen dispositum per Angelos in manu Mediatoris, in quo esset ista liberandæ animæ universalis via, hoc est omnibus gentibus data, jussus est discedere de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui. Tunc ipse primitus à Chaldæorum superstitionibus liberatus unum verum Deum sequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit. Hæc est universalis via, de qua in sancta prophetia dictum est : *Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri ; ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.* Unde tantò post ex Abrahæ semine carne suscepta, de se ipso ait ipse Salvator : *Ego sum via et veritas et vita.* Hæc est universalis via, de qua tantò ante prophetatum est : *Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium, et extolletur super colles et venient ad eum universæ gentes, et ingredientur nationes multæ et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini et in domum Dei Jacob, et annunciabit nobis viam suam et ingrediemur in ea. Ex Sion enim prodiet lex, et Verbum Domini ab Jerusalem.* Via ergo ista non est unius gentis sed universarum gentium. Et lex verbumque Domini non in Sion et Hierusalem remansit; sed inde processit, ut se per universa diffunderet. Unde ipse Mediator post resurrectionem suam discipulis trepidantibus ait : *Oportebat impleri quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me.* Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas , et dixit eis : *Quia oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertio die , et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem.* Hæc est igitur universalis animæ liberandæ via, quam sancti Angeli sanctique Prophetæ prius in paucis hominibus, ubi potuerunt, Dei gratiam reperientibus, et maximè in Hebræa gente, cujus erat ipsa quodammodo sacra Respublica,

in prophetationem et prænunciationem civitatis Dei ex omnibus gentibus congregandæ, et tabernaculo, et templo, et sacerdotio, et sacrificiis, significaverunt et eloquiis quibusdam manifestis plerisque mysticis prædixerunt; præsens autem in carne ipse Mediator, et beati ejus Apostoli jam Testamenti novi gratiam revelantes apertiùs indicarunt, quæ aliquantò occultiùs superioribus sunt significata temporibus, pro ætatum generis humani distributione : sicut eam Deo sapienti placuit ordinare, mirabilium operum divinorum, quorum *in Litteris nostris frequens mentio est*, contestantibus signis. Non enim tantummodò apparuerunt visiones Angelicæ, et cœlestium ministrorum sola verba sonuerunt; verumetiam hominibus Dei verbo simplicis pietatis agentibus, spiritus immundi de hominum corporibus ac sensibus, pulsi sunt; vitia corporis languoresque sanati; fera animalia terrarum et aquarum, volatilia cœli, ligna, elementa, sidera, divina jussa fecerunt, inferna cesserunt, mortui revixerunt : exceptis ipsius Salvatoris propriis singularibusque miraculis, maximè nativitatis et resurrectionis; in quorum uno maternæ virginitatis tantummodò Sacramentum, in altero autem etiam eorum, qui in fine resurrecturi sunt, demonstravit exemplum.

Hæc via totum hominem mundat, et immortalitati mortalem ex omnibus, quibus constat, partibus præparat. Ut enim non alia purgatio ei parti quæreretur, quàm vocat intellectualem Porphyrius, alia ei quam vocat spiritalem, aliaque ipsi corpori, propterea totum suscepit veracissimus potentissimusque mundator atque Salvator.

Hujus[1] viæ rectitudinem usque ad Deum videndum, eique in æternum cohærendum, in sanctuario Scripturarum esse locatam, qua prædicatur atque asseritur veritate, quicumque non credunt et ob hoc nec intelligunt, oppugnare possunt, sed expugnare non possunt.

[1] Lib. 10, de Civ. Dei, c. 32.

CAPUT XXXI.

QUÆ PHILOSOPHI MAXIMÈ PLATONICI VERA DIXERUNT, AB EIS TANQUAM INJUSTIS POSSESSORIBUS IN RELIGIONIS CHRISTIANÆ USUM ESSE VINDICANDA.

Philosophi [1] autem qui vocantur, si qua fortè vera et fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm idola habebant, et onera gravia quæ populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potius tanquam ad usum clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei ipsius, Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur : sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari atque devitare ; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent; deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos : quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, et quo perversè atque injuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro et argento, et veste suffarcinatus exierit de Ægypto

[1] Lib. 2, de Doctr. Christ, cap. 40.

Cyprianus doctor suavissimus, et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? Quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus, Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod *eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum.* Quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo, et maximè illis temporibus, cum Christi jugum recutiens Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, numquam commodaret, si eas in usum unius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus exstingueretur, conversum iri suspicaretur. Sed dederunt aurum, et argentum, et vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa, quæ dabant, in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret : quod sine præjudicio alterius, aut paris aut melioris intelligentiæ dixerim.

CAPUT XXXII.

DOCTRINAM LONGÈ COPIOSIOREM ET PURIOREM IN SACRIS CHRISTIANORUM SCRIPTURIS QUAM IN OMNIBUS PROFANORUM PHILOSOPHORUM LIBRIS, REPERIRI.

Quantum[1] autem minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione divitiarum, quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maxime in Salomone rege ostenduntur : tanta fit cuncta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur : et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur.

[1] Lib. 2, de Doctr. Christ., cap. 42.

Tanta [1] est enim Christianarum profunditas Litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere : non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet : *Cum consummaverit homo, tunc incipit.*

Mira [2] *profectò, Domine,* profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis; sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. [3] Eò *autem* mihi illa venerabilior, et sacrosancta fide dignior *apparuit* auctoritas, quò et omnibus ad legendum esset in promptu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde : ut exciperet omnes populari sinu, et per angusta foramina paucos ad se trajiceret, multò tamen plures, quàm si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret.

Huic [4] te, *Lector amicissime,* ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem humilitas.

[1] Epist. 3, ad Volus. — [2] Lib. 12, Confess., cap. 14. — [3] Ibid., lib. 6, c. 5. — [4] Epist. 56.

CAPUT XXXIII.

PARUM ESSE CURANDUM QUÆNAM VARIÆ PROFANORUM OPINIONES FUERINT, MODO VERITAS INNOTESCAT : CUM IPSA COGNITIO VERITATIS OMNIA FALSA, SI MODO PROFERANTUR, DIJUDICARE ET SUBVERTERE SIT IDONEA.

Huic[1] humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster Jesus Christus ut doceret, humiliatus est; huic, inquam, maximè adversatur quædam, ut ita dicam, imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et cæteri hujusmodi, ut docti eruditique videamur, cum hoc à vera doctrina et eruditione longè absit. Qui enim didicerit Deum non distendi atque diffundi per locos, neque finitos, neque infinitos, quasi in aliqua parte major sit, in aliqua minor sit; sed totum ubique esse præsentem, sicut veritatem, cujus nemo sobriè dicit partem esse in isto loco et partem in illo (quoniam veritas utique Deus est) nequaquam eum movebit quod de infinito aere sensit quicumque sensit, quod ipse Deus esset. [2]Nam cognitio veritatis omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, et dijudicare et subvertere idonea est. [3]Item Anaxagoras sive quilibet, [4]si sensit esse [5]apertam simplicemque sapientiam atque veritatem, quæ nullius animantis sit propria; sed qua communiter omnis, quæ id potest, anima sapiens et verax efficitur; [6]eamque Deum esse vidit, mentemque appellavit : non solum nomen Anaxagoræ, quod propter litteratam vetustatem omnes, ut militariter loquar, litteriones libenter sufflant, nos doctos et sapientes non facit, sed ne ipsa quidem ejus cognitio, qua id verum esse cognovit. Non enim mihi propterea veritas cara esse debet, quia non latuit Anaxagoram; sed quia veritas est, etiamsi nullus eam cognovisset illorum. Si igitur nec ejus hominis, qui verum forsitan vidit, cognitio nos inflare debet, ut eâ quasi

[1] Epist. 56. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

docti esse videamur, sed ipsius veri soliditate, qua verè docti esse possumus ; quantò minus eorum hominum, qui falsa senserunt, nomina et dogmata nostram possunt adjuvare doctrinam, et latentia cognita facere? Cum, si homines sumus, magis nos contristari deceat tot et tam nobilitatorum hominum erroribus, si eos audire contigerit, quàm hæc propterea studiosè quærere, ut inter eos, qui illa nesciunt, jactatione inanissima ventilemur. Quanto enim meliùs ne audissem quidem nomen Democriti, quàm cum dolore cogitarem nescio quem suis temporibus magnum putatum, qui deos esse arbitraretur imagines, quæ de solidis corporibus fluerent, solidæque ipsæ non essent : easque hac atque hac motu proprio circumeundo atque illabendo in animos hominum facere, ut vis divina cogitetur : cum profectò illud corpus, unde imago flueret, quantò solidius est, tantò præstantius quoque esse judicetur?

Resecentur [1] *hac in re, Lector carissime*, vanæ atque fallaces cupiditates tuæ, quæ tantò magis cavendæ sunt, quantò faciliùs decipiunt nescio qua umbra honestatis, et liberalium studiorum nomine velatæ atque palliatæ. [2] Ecce enim tot dialogi lecti, si ad videndum finem et capessendum omnium actionum tuarum nihil te adjuverunt, quid prosunt dic mihi? Nam ubi finem constitueris totius hujus flagrantissimi studii tui, et tibi infructuosi et nobis molesti, *responsione* tua satis indicas. [3] Ecce *enim* mihi affers et dicis : Mores hominum non ignoratis, qui proclives sunt ad vituperandum ; et quoniam si interrogatus quis non responderit, indoctus et hebes putabitur.

Hoc [4] *certè* loco exarsi ad *respondendum* [5] tibi, ut felicitatem tuam, pendentem ex linguis hominum atque nutantem, à tam infelici retinaculo abrumperem, et cuidam sedi omnino inconcussæ stabilique religarem. [6] Tot, ut superius dixi, legisti dialogos, tot Philosophorum altercationibus cor inseruisti, dic mihi quis eorum finem actionum suarum constituerit in fama vulgi ; aut in lingua hominum, vel bonorum atque sapientium? [7] Mores hominum, inquis, proclives

[1] Epist. 56. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

sunt ad vituperandum. Quid deinde? Si interrogatus quis non responderit, inquis, indoctus et hebes putabitur. Ecce ego te interrogo, non de *Philosophorum* libris aliquid, cujus sensum fortasse legentes indagare non possunt; sed de *responsione* ipsa tua, et de sententia verborum tuorum. Quæro enim cur non dixeris : Qui non responderit, indoctus et hebes manifestabitur; sed potius dixeris : Qui non responderit, indoctus et hebes putabitur, nisi quia satis etiam ipse intelligis eum, qui talia non responderit, non esse indoctum et hebetem, sed putari. At ego te admoneo eum, qui talium putatorum linguis tanquam falcibus concidi timet, lignum esse aridum; et ideo non putari tantum indoctum et hebetem, sed verè esse atque convinci.

Fortasse dixeris: Sed cum hebes animo non sim, et præcipue non esse studeam, nolo hebes animo vel putari. Rectè, sed quo fine nolis, id quæro. [1]Ne scilicet, inquis, de his interrogatus, neque respondens, ab hominibus ad vituperandum proclivibus hebes indoctusque puteris. Ego autem quæro, hoccine totum sit, cur ista desideres, an etiam indoctus et hebes putari propter aliud aliquid nolis? Si hoc totum est, cernis ut arbitror hunc esse finem tam vehementis intentionis tuæ. [2]O rem dignam vigiliis et lucubrationibus *tuis!* [3]Quod non ideo dico, quia istæ discuntur quæstiones; sed quia tali fine discuntur. Hunc enim finem jam certè sentis esse nugatorium, inanem, ventosum. Habet et tumorem, sub quo etiam tabes gignitur, et pupilla mentis ad non videndam opulentiam veritatis offunditur.

Si [4] autem ibi non finis est harum actionum, atque intentionis tuæ; sed propter aliud aliquid indoctus et hebes non vis putari, quæro quid illud sit. Si propterea, ne angustior tibi aditus ad acquirendas temporales divitias, uxorem impetrandam, honores capessendos, et cætera hujusmodi præcipiti fluxu transcurrentia atque in se lapsos in imum rapientia, neque ad hunc finem *te movere* decet. Imò decet etiam hinc te amovere. Non enim sic te prohibemus in incerto famæ finem ponere, ut tanquam de Mincio in Erida-

[1]Epist. 56. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Ibid.

num emigres, quo te ipse fortasse Mincius etiam non emigrantem impingeret. Cum enim non satiaverit avidum spiritum vanitas laudis humanæ, quia nihil ad cibandum affert nisi inane et inflatum, cogit eam ipsa aviditas referre in aliud, quasi uberius atque fructuosius: quod nihilominus, si temporali lapsu præterfluit, ita est, quasi fluvius ducat in fluvium, ut non sit finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, et securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ. An fortè istam ipsam terrenam felicitatem, quam commemoravi, si prosperi rumoris aura, aut etiam flatibus vela pandendo ad eam potueris pervenire, hanc etiam cogitas referre in aliud certum et verum et plenum bonum? At mihi non videtur, atque omnino ipsa veritas negat, vel tantis ad se anfractibus, quæ tam proxima est, vel tantis sumptibus, quæ tam gratuita est, perveniri.

Quantò [1] enim melius atque salubrius, quæso te, ipsas veritatis regulas, multò certius et brevius per seipsas accipis, quibus falsa omnia possis ipse refellere, ne quod falsum, et pudendum est, si multorum annosas et decrepitas falsitates studio jactantiore, quàm prudentiore, didiceris, doctum atque intelligentem te esse arbitreris, quod jam non existimo tibi videri. [2]*Jam enim* te istarum rerum ignorantiâ nequaquam indoctum atque hebetem judicas; sed ipsius potius veritatis, ut quisquis de istis rebus scripsit vel scripserit, aut ea sint quæ jam certus tenes; aut si falsa sunt, securus ignores : neque de diversitate cognoscenda sententiarum alienarum, ne quasi indoctus et hebes remaneas, inani sollicitudine macereris.

Cum ergo hæc ita sint, etiam illud, si placet, videamus, utrum aliorum falsa existimatio, qui sunt, ut scribis, ad vituperandum proclives, ita ut, si te ista ignorare persenserint, indoctum atque hebetem, falsò quidem, sed tamen putent, sic te movere debeat, ut etiam tibi hæc *nota esse* non

[1] Epist. 56. — [2] Ibid.

incongruenter *velis*; quandoquidem eo fine jam te ista cupere credimus, quo illis consulas ad persuadendam veritatem vitamque eorum corrigendam, qui te, si in illis *Philosophorum* libris indoctum hebetemque putaverint, indignum habebunt, à quo aliquid utilis salubrisque scientiæ sibi accipiendum esse arbitrentur? Quod non ita est, mihi crede. [1]Fac *enim* te omnibus *istis* interrogatum respondere potuisse. Ecce jam doctissimus atque acutissimus diceris. Ecce jam te laudibus in cœlum græculus flatus attollit. Tu tantùm memento gravitatis tuæ, et illam mereri laudem quo fine volueris, ut scilicet eos leviter levia ista miratos, et benevolentissimè atque avidissime jam in tua ora suspensos, gravissimum aliquid et saluberrimum doceas : id ipsum quidquid est gravissimum et saluberrimum utrum teneas et rectè tradere noveris, vellem cognoscere. Ridiculum est enim, cum propterea superflua multa didiceris, ut tibi aures hominum ad necessaria præparentur, ipsa necessaria non tenere, quibus excipiendis eas per superflua præparaveris; et dum occuparis ut discas unde facias intentos, nolle discere quod infundatur intentis. Sed si hoc te scire jam dicis, idque ipsum Christianam doctrinam esse respondes, quam te omnibus præponere novimus, et in ea sola esse præsumere spem salutis æternæ, non opus est ea cognitione dialogorum *verbi gratia* Ciceronis, et collectione emendicatarum discordantium sententiarum alienarum procurari auditores. Moribus tuis intenti fiant qui abs te aliquid tale accepturi sunt. Nolo prius aliquid doceas, quod dediscendum est, ut vera doceas. Nam si alienarum sententiarum dissidentium et repugnantium cognitio aliquid adjuvat insinuatorem Christianæ veritatis, ut noverit quomodò adversantes destruat falsitates, ad hoc duntaxat, ne quis contra disserens nonnisi in refellendis tuis figat oculum, sua vero sedulò occultet. Nam, *ut supra jam dixi*, cognitio veritatis omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, et dijudicare, et subvertere idonea est. Sed ut non solum aperta feriantur, sed etiam abscondita eruan-

[1] Epist. 56.

tur, si alienos opus est cognoscere errores, erige oculos auresque, oro te; et vide atque ausculta, utrum aliquis adversus nos de Anaximene, et de Anaxagora proferat aliquid; quando jam ne ipsorum quidem multò recentiorum, multumque loquacium Stoicorum, aut Epicureorum cineres caleant, unde aliqua contra fidem Christianam scintilla excitetur. [1] Sed et omnium *hæreticorum* errores si cognoscere piget, quid nobis est propter defensionem Christianæ Religionis quærere quid senserit Anaximenes, et olim sopitas lites inani curiositate recoquere, cum quorumdam etiam hæreticorum, qui nomine Christiano gloriari voluerunt, ut Marcionitarum, et Sabellianorum, multorumque præterea jam dissentiones quæstionesque sileantur? Tamen si opus est, ut dixi, veritati adversantes præcognoscere aliquas, et pertractatas habere sententias, de hæreticis potius, qui se Christianos vocant, quàm de Anaxagora et Democrito nobis cogitandum fuit.

Ille [2] autem, quisquis abs te *ista* quæsierit, audiat quod ea doctiùs et prudentiùs nescias. Si enim Themistocles non curavit quod est habitus indoctior, cum canere nervis in epulis recusasset, ubi cum se nescire illa dixisset, atque ei dictum esset, quid igitur nosti? respondit: Rempublicam ex parva magnam facere: dubitandum est tibi dicere te ista nescire, cum ei, qui rogarit quid noveris, respondere possis, nosse te quomodo etiam sine istis homo possit esse beatus? Quod si adhuc non tenes, tam perversè ista conquiris, quàm perversè, si aliquo corporis periculo morbo gravareris, deliciosas et tenerrimas vestes potius, quàm medicamenta medicosque conquireres. Non enim ullo modo differenda est ista cognitio, aut illa huic à te, præsertim jam in hac ætate, vel discendi ordine præferenda est.

Quid *igitur* ad nos *diversarum adeo sententiarum* cognitio, qui potius de rebus ipsis judicare debemus, quàm pro magno de hominibus quid quisque senserit scire?

[1] Epist. 56. — [2] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 3.

CAPUT XXXIV.

NON DE PLATONICORUM LIBRIS CHRISTIANOS, SED POTIUS DE LITTERIS NOSTRIS HABUISSE PLATONICOS QUÆCUMQUE BONA ET VERA DIXISSE COMPERIUNTUR.

Mirantur [1] autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt vel legunt Platonem de Deo ista sensisse, quæ multum congruere veritati nostræ Religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Ægyptum, Hieremiam audisse Prophetam, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse : quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui ; sed diligenter supputata temporum ratio, quæ Chronicà historia continetur, Platonem indicat à tempore, quo prophetavit Hieremias, centum fermè annos postea natum fuisse. Qui cum octoginta et unum vixisset, ab anno mortis ejus usque in id tempus, quo Ptolemæus rex Ægypti Scripturas Propheticas gentis Hebræorum de Judæa poposcit, et per Septuaginta viros Hebræos, qui etiam linguam græcam noverant, interpretandas habendasque curavit, anni fermè reperiuntur sexaginta. Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Hieremiam videre potuit tantò ante defunctum, nec easdem Scripturas legere, quæ nondum fuerant in græcam linguam translatæ, qua ille pollebat : nisi fortè, quia fuit acerrimi studii, sicut Ægyptias, ita et istas per interpretem didicit : non ut scribendo transferret (quod Ptolemæus pro ingenti beneficio, qui regia potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur) ; sed ut colloquendo, quid continerent, quantum capere posset, addisceret. Hoc ut existimetur, illa suadere videntur indicia, quod liber Geneseos sic incipit : *In principio fecit Deus cœlum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum, et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* In Timæo autem Plato, quem librum de mundi constitutione

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 11.

conscripsit, Deum dicit in illo opere terram primò ignemque junxisse. Manifestum est autem, quod igni tribuat cœli locum : terræ verò ipsam terram. Habet ergo hæc sententia quamdam illius similitudinem, qua dictum est : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet hæc extrema copularentur, aquam dicit et aerem : unde putatur sic intellexisse quod scriptum est : *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Parùm quippe attendens, quo more solent illa Scriptura appellare Spiritum Dei, quoniam et aer spiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata videri potest. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei esse Philosophum, nihil sic in illis sacris Litteris flagrat, et maximè illud, quod et me plurimùm adducit, ut penè assentiar Platonem illorum librorum expertem non fuisse ; quòd cùm ad sanctum Moysen ita verba Dei per Angelum perferantur, ut quærenti quod sit nomen ejus, qui eum pergere præcipiebat ad populum Hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur : *Ego sum qui sum ; et dices filiis Israël : Qui est misit me ad vos ;* tanquam in ejus comparatione qui verè est, quia incommutabilis est, ea quæ mutabilia facta sunt, non sint. Vehementer hoc Plato tenuit, et diligentissimè commendavit. Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est : *Ego sum qui sum, et dices eis : Qui est misit me ad vos.* Sed undecumque ille ista didicerit, sive præcedentium eum veterum libris, sive potiùs, quomodò dicit Apostolus, quia quod notum est Dei manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit : Invisibilia enim ejus à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.

Proinde [1] calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus, qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè antè humanum adventum Domini Platonem fuisse negari non potest, [2] consideratâ historiâ gentium, cum Platonem reperiamus [3] profectum

[1] Lib. 2, de Doctr. Christ, cap. 28. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

fuisse in Ægyptum, ubi *Judæi prius extiterant*, probabilius esse ostendimus, quod Plato potiùs nostris libris fuerit imbutus, ut illa posset docere vel scribere, quæ jure laudantur.

Ita [1] *enim* consideratis temporibus fit multò credibilius istos potiùs de Litteris nostris habuisse quæcumque bona et vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum nostrum Jesum Christum : quod dementissimum est credere. [2] Ante Litteras enim gentis Hebræorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundùm carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, à cujus posteris Platonem Theologiam didicisse isti asserunt.

CAPUT XXXV.

QUOD SAPIENTIÆ PROPHETARUM, A QUIBUS CHRISTIANI DOCTRINAM SUAM ACCEPERUNT, OMNI ORIGINE GENTILIS PHILOSOPHIÆ INVENIATUR ANTIQUIOR.

Tempore [3] igitur nostrorum Prophetarum, quorum jam scripta ad notitiam fere omnium gentium pervenerunt, Philosophi gentium nondum erant, qui hoc etiam nomine vocarentur : quod cœpit à Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Judæorum soluta est captivitas, cœpit excellere atque cognosci. Multò ergo magis cæteri Philosophi post Prophetas reperiuntur fuisse. Nam ipse Socrates Atheniensis, magister omnium, qui tunc maxime claruerunt, tenens in ea parte, quæ Moralis vel activa dicitur, principatum, post Esdram in Chronicis invenitur. Non multò post etiam Plato natus est, qui longè cæteros Socratis discipulos anteiret. Quibus si addamus etiam superiores, qui nondum Philosophi vocabantur, septem scilicet Sapientes, ac deinde Physicos, qui Thaleti successerunt, in perscrutanda natura rerum studium ejus imitati, Anaximandrum scilicet et Anaximenem et Anaxagoram, aliosque nonnullos, antequam Pythagoras se Philosophum primus profiteretur, nec illi Prophetas nostros universos temporum antiquitate præcedunt : quan-

[1] L. 2 de Doctr. Christ. c. 28. — [2] Ibid. — [3] Lib. 18, de Civit. Dei, c. 37.

doquidem Thales, post quem cæteri fuerunt, regnante Romulo emicuisse fertur, quando de fontibus Israel in eis litteris, quæ toto orbe manarent, Prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi Theologi Poetæ, Orpheus, Linus, Musæus, et si quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis, quorum scripta in auctoritate habemus, annis reperiuntur priores. Sed nec ipsi verum Theologum nostrum Moysen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc scripta in auctoritatis Canone prima sunt, tempore prævenerunt : ac per hoc, quantum ad Græcos attinet, in qua lingua litteræ hujus seculi maximè ferbuerunt, nihil habent unde sapientiam suam jactent, quo Religione nostra, ubi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. Verùm, quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in barbaris gentibus, sicut in Ægypto jam fuerat ante Moysen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur. Alioquin non scriptum esset in Libris sanctis, Moysen eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum, tunc utique, quando ibi natus est, et à filia Pharaonis adoptatus, atque nutritus, etiam liberaliter educatus est. Sed nec sapientia Ægyptiorum sapientiam Prophetarum nostrorum tempore antecedere potuit : quandoquidem et Abraham Propheta fuit. Quid autem sapientiæ esse potuit in Ægypto, antequam eis Isis, quam mortuam tanquam Deam magnam colendam putaverunt, litteras traderet ? Isis porrò Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti.

Jam [1] verò, si longè antiquiora repetam, et ante illud grande diluvium, noster erat utique Noe Patriarcha, quem Prophetam quoque non immeritò dixerim. Siquidem ipsa arca, quam fecit, et in qua cum suis evasit, prophetia nostrorum temporum fuit. Quid Enoch septimus ab Adam, nonne etiam in canonica Epistola Apostoli Judæ prophetasse prædicatur ? Quorum scripta ut apud Judæos, et apud nos, in auctoritate non essent nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris.

[1] Lib. 18, de Civ. Dei, cap. 38.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

Non [1] itaque credendum est quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantùm linguam per illum, qui vocabatur Heber, unde Hebræorum vocabulum est, fuisse servatam, atque inde pervenisse ad Abraham; Hebræas autem litteras à lege cœpisse, quæ data est per Moysen: sed potiùs per illam successionem Patrum memoratam linguam cum suis litteris custoditam. Denique Moyses in populo Dei constituit qui docendis litteris præessent, priusquam divinæ Legis ullas litteras nossent. Hos appellat Scriptura γραμματοεισαγογεῖς qui latinè dici possunt litterarum inductores vel introductores, eo quod eas inducant quodammodò in corda discentium, vel in eas potius ipsos, quos docent.

Nulla [2] igitur gens de antiquitate sapientæ suæ super Patriarchas et Prophetas nostros, quibus inerat divina Sapientia, ulla se vanitate jactaverit: quando nec Ægyptus invenitur, quæ solet falsò et inaniter de suarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicumque sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam litteras nossent, id est, antequam Isis eò venisset, easque ibi docuisset. Ipsa porrò eorum memorabilis doctrina, quæ appellata est sapientia, quid erat nisi maximè astronomia, et si quid aliud talium disciplinarum magis ad exercenda ingenia, quàm ad illuminandas vera sapientia mentes, valere solet? Nam quod attinet ad Philosophiam, quæ se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt; longè quidem ante Sapientes, vel Philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, et Isaac, et Jacob, et Joseph, nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore, quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus astrologus, Promethei frater maternus, avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus ille Mercurius.

Propterea [3] si inventus fuerit aliquis eorum hoc dixisse quod dixit et Christus, gratulamur illi, non sequimur illum.

Sed prior, *inquis*, fuit ille, quàm Christus. Falsè: si quis

[1] Lib. 18, de Civit. Dei, cap. 39. — [2] Ibid. — [3] In Psalm. 140.

vera loquitur, prior est quàm ipsa veritas? O homo, attende Christum, non quando ad te venerit, sed quando te fecerit! Potest et ægrotus dicere; sed priùs ego cecidi in lectum, quàm medicus ad me venisset. Utique, ideo ille posterior venit, quia tu prius cecidisti.

CAPUT XXXVI.

PHILOSOPHIAM IN TRES PARTES, RATIONALEM, NATURALEM ET MORALEM ADÆQUATÈ DIVIDI, SECUNDUM TRES DIVERSAS RATIONES, QUIBUS SPECTARI POTEST DEUS, UT RATIO INTELLIGENDI, CAUSA SUBSISTENDI, ET ORDO VIVENDI.

Philosophi, [1] qui utcumque conati sunt ingeniis acutissimis prædíti ratiocinando vestigare, quid in rerum natura latitaret, quid in moribus appetendum esset atque fugiendum, quid in ipsis ratiocinandi regulis certâ connexione traheretur, aut quid non esset consequens, vel etiam repugnaret, [2] sapientiæ disciplinam tripertitam esse voluerunt, imò verò tripertitam esse animadvertere potuerunt. Neque enim ipsi instituerunt ut ita esset; sed ita esse potius invenerunt. Cujus una pars appellaretur Physica, altera Logica, tertia Ethica : quarum nomina latina jam multorum litteris frequentata sunt, ut Naturalis, Rationalis, Moralisque vocarentur.

Cum enim [3] in Deo inveniatur et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi; [4] Principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum; [5] Causa omnium naturarum, lumen omnium rationum, finis omnium actionum : [6] naturæ causa, scientiæ forma, vitæ summa; [7] principium naturæ, veritas doctrinæ, felicitas vitæ; *seu demum* [8] Causa constitutæ universitatis, lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis : *horum* [9] trium unum ad Naturalem, alterum ad Rationalem, tertium ad Moralem, partem intelligitur pertinere.

Si [10] *igitur* homo ita creatus est, ut per id, quod in eo

[1] Lib. 2, de Civit. Dei, cap. 7. — [2] Ibid., lib. 11, cap. 25. — [3] Ibid., lib. 8, cap. 4. — [4] Ibid., c. 9. — [5] Ibid., c. 4. — [6] Ibid., lib. 11, cap. 25. — [7] Ib., lib. 8, cap. 9. — [8] Ibid., cap. 10. — [9] Ibid, cap. 4. — [10] Ibid.

præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum, verum, optimum Deum ; sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit : Ipse quæratur, ubi nobis omnia sunt secura ; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia ; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia.

Hìc [1] Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt ; hìc Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est ; hìc Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, [2]quàm cum commune bonum diligitur, quod summum ac verissimum Deus est.

Ipse [3]incommutabili voluntate, veritate, æternitate persistit, et inde nobis est initium existendi, ratio cognoscendi, lex amandi : inde etiam omnibus corporibus mensura, ut subsistant ; numerus, ut ornentur ; pondus, ut ordinentur. [4] Inde est Civitatis Sanctæ, quæ in sanctis Angelis sursum est, et origo et informatio et beatitudo. Nam si quæratur unde sit, Deus eam condidit : si unde sit sapiens, à Deo illuminatur : si unde sit felix, Deo fruitur. Subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur. Est, videt, amat. In æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

Quantum [5]intelligi datur, hinc Philosophi sapientiæ disciplinam tripertitam esse voluerunt, *ut supra jam advertimus.* [6]Non quod sit consequens ut isti (*sicut et Christiani*) in his tribus aliquid secundùm Deum de Trinitate cogitaverint. [7]Sed certè cum de natura rerum, et de ratione indagandæ veritatis, et de fine boni, ad quem cuncta quæ agimus referre debemus, diversi diversa sentiant, in his tamen tribus magnis et generalibus quæstionibus omnis eorum versatur intentio : ita ut cum in unaquaque earum quid quisque sectetur multiplex sit discrepantia opinionum, esse tamen aliquam naturæ causam, scientiæ formam, vitæ summam, nemo cunctetur.

Tria enim sunt quæ in unoquoque homine artifice spec-

[1] Epist. 3. — [2] Ibid. — [3] Lib. 20, contra Faust. Manich., c. 7. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 24 — [5] Ibid., cap. 25. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

tantur, ut aliquid efficiat, natura, doctrina, usus. Natura ingenio, doctrina scientiâ, usus fructu dijudicandus est. *Ex* [1]his tribus quæ in homine spectanda commonui, quæ sunt natura, doctrina, usus; ex his, *inquam*, propter obtinendam beatam vitam tripertita, ut dixi, à Philosophis inventa est disciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum.

Plato [2]*autem* primus istam distributionem reperisse et commendasse dicitur. Cui neque naturarum omnium auctor nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beateque vivatur, inspirator. [3]Cum *enim* studium sapientiæ in actione et contemplatione versetur, unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici potest, quarum activa ad agendam vitam, id est, ad mores instituendos pertinet, contemplativa autem ad conspiciendas naturæ causas et sincerissimam veritatem, Socrates in activa excelluisse memoratur, [4]quem *scilicet* in activa, qua mores informantur, omnibus *Pagani* prætulerunt : ita ut testimonio quoque Dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronunciatum esse non taceant.

Pythagoras [5]verò magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus institisse : [6]quo *Pythagora* in illa contemplativa virtute nihil tunc habuit Græcia clarius. [7]Proinde Plato, *ut alibi jam observatum est*, utrumque jungendo Philosophiam perfecisse laudatur quam in tres partes distribuit : unam Moralem, quæ maximè in actione versatur; alteram Naturalem, quæ contemplationi deputata est; tertiam Rationalem, qua verum disterminatur à falso, quæ licet utrique, id est, actioni et contemplationi sit necessaria, maximè tamen contemplatio perspectionem sibi vendicat veritatis. Ideo hæc tripertitio non est contraria illi distinctioni, qua intelligitur omne studium sapientiæ in actione et contemplatione consistere.

[1] Lib. 11, de Civ. Dei, cap. 25. — [2] Ibid. — [3] Ibid., lib. 8, c. 4. — [4] L. 1, de Consensu Evang., cap. 7. — [5] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 4. — [6] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 7. — [7] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 4.

PARS SECUNDA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS

DE

EXISTENTIA ET VERITATE DEI.

CAPUT I.

DEUM ESSE, SI QUA SIT NATURA SIMPLICITER IMMUTABILIS, ÆTERNA, INCREATA, PER SE VERISSIMA, IMMENSA, INFINITA, ET CREATURA QUALIBET INTELLECTUAL PRÆSTANTIOR.

Quæramus[1] *ergo*, si placet, quomodo manifestum est Deum esse. [2]Quid, si aliquid invenire potuerimus, quod non solum esse non dubites, sed etiam æternum, atque incommutabile, *increatum*, *immensum*, *infinitum*, *per se verissimum, et creaturâ qualibet intellectuali præstantius*, dubitabisne illud quidquid sit Deum dicere? *certè*[3] si ratio nullo adhibito corporis instrumento, nec per tactum, nec per gustum, nec per olfactum, nec per aures, nec per oculos, nec per ullum sensum se inferiorem, sed per seipsam cernit æternum aliquid et incommutabile, simul et seipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum esse fateatur. [4]Nec *enim* ILLUD AMBIGENDUM EST INCOMMUTABILEM NATURAM, QUÆ SUPRA RATIONALEM ANIMAM SIT, ESSE DEUM.

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [2] Ibid., cap. 6. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Vera Relig., cap. 31.

CAPUT II.

VERITATEM, QUAM IMMEDIATE CONSPICIMUS, CUM REGULAS ÆTERNÆ VERITATIS INTUEMUR, ESSE INCOMMUTABILEM ; IDQUE TUM EX RATIONE NUMERORUM, TUM EX SAPIENTIÆ REGULIS DEMONSTRARI.

Age, [1] nunc attende, et dic mihi, utrum inveniatur aliquid, quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente communiter videant, cum illud quod videtur præsto sit omnibus, nec in usum eorum quibus præsto est commutetur, quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumque permaneat, sive illi videant, sive non videant. An forte nihil hujusmodi esse arbitraris ? Imò multa esse vides. E quibus unum commemorari satis est, quòd ratio et veritas numeri omnibus ratiocinantibus præsto est, ut omnis eam computator sua quisque ratione et intelligentia conetur apprehendere. Et alius id faciliùs, alius difficiliùs possit, alius omnino non possit, cum tamen ipsa æqualiter omnibus se præbeat valentibus eam capere ; nec cum eam quisque percepit, in sui perceptoris quasi alimentum vertatur atque mutetur ; nec cum in ea quisque fallitur, ipsa deficiat, sed ea vera et integra permanente, ille in errore sit tanto amplius, quanto minus eam videt. [2] Quis enim rationem numerorum mutabilem esse audeat dicere ? [3] Mutabile est omne quod semper eodem modo non est. Et semper eodem modo est, duo et quatuor sunt sex. Item semper eodem modo est quod est, quod quatuor habent duo et duo : hoc autem non habent duo ; duo igitur quatuor non sunt. Est autem ista ratio immutabilis : igitur ratio est. [4] Unum ad duo, vel duo ad quatuor verissima ratio est : nec magis heri fuit ista ratio vera, quàm hodie : nec magis cras aut post annum erit vera. Nec si omnis iste mundus concidat, poterit ista ratio non esse. Ista enim semper talis est.

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [2] Lib. de Immort. Animæ c. 4. — [3] Ibid., cap. 2. — [4] Lib. 2, de Ordine, cap. 19.

Deinde[1] quàm veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus præsto esse *vidisti* : tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ. [2]Credo enim te non negare studendum esse sapientiæ, atque hoc verum esse concedere. [3]Item justè esse vivendum et deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum, et tam mihi quam tibi, atque omnibus id videntibus præsto esse communiter? [4]Quid? incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili poteris negare? [5]Item à corruptione avertendum animum, atque ad incorruptionem convertendum esse, id est, non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis cum verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, communiter præsto esse videat? [6]Quid? eam vitam, quæ nullis adversitatibus de certa et honesta sententia dimovetur, dubitabit aliquis esse meliorem, quàm eam quæ facilè incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur? [7]Quid? illa lex, quæ summa ratio nominatur, [8]qua justum est ut omnia sint ordinatissima, [9]cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? an potest aliquando injustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint? [10]num ipsa variari ullo modo potest? [11]intelligis omnino non posse; [12]vides hanc æternam esse atque incommutabilem legem; [13]neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima. [14]Ipsam quoque regulam veritatis, qua vitam incommutabiliter sapientem commutabili vita clamas esse meliorem, incommutabilem vides. [15]Jam hujusmodi plura non quæram. Satis enim est, quod istas tanquam

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 6. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ib. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Lib. 1, de Doctrina Christ., cap. 8. — [15] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10.

regulas et quædam lumina virtutum et vera, et incommutabilia, et sive singula, sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis, qui hæc valent suâ quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides, certissimumque esse concedis. [1]Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia, quæ incommutabiliter vera sunt, continentem. [2]Illud *enim* manifestum est utrumque, *sapientiam scilicet ac numerum*, verum esse et incommutabiliter verum.

CAPUT III.

ÆTERNAM ESSE VERITATEM.

Ea [3] sunt quæ nec fuerunt nec futura sunt, sed sunt, et propter æternitatem in qua sunt, et fuisse et esse et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non enim sic fuerunt ut esse desinerent, aut sic futura sunt quasi nunc non sint; sed idipsum esse semper habuerunt, semperque habitura sunt. Manent autem non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora; sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. [4]Quid *enim* tam æternum quam circuli ratio, vel si quid aliud in hujuscemodi artibus, nec non fuisse aliquando, nec non fore comprehenditur? [5]Semper *certe* est disciplina. Nam quod est, atque immutabile est, semper sit necesse est. Esse autem disciplinam nemo negat. Et quisquis fatetur fieri non posse, ut ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ non per medium ducuntur maxima, idque esse alicujus disciplinæ; immutabilem disciplinam esse non negat. [6]Non autem solùm rerum sensibilium in locis positarum sine spatiis localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes, verum etiam motionum in temporibus transeuntium,

[1] Ibid., cap. 12. — [2] Ibid., cap 11. — [3] Lib 12, de Trinit., c. 14. — [4] Lib. de Immortal. Animæ, cap. 4. — [5] Ibid., c. 1. — [6] Lib. 12, de Trinit., c. 14.

sine temporali transitu stant etiam ipsæ utique intelligibiles, non sensibiles. [1]Sicut *enim* manet verbi gratia quadrati corporis incorporalis et incommutabilis ratio : [2]*Sic* alicujus artificiosi et musici soni per moras temporis transeuntis numerositas comprehenditur, sine tempore stans in quodam secreto altoque silentio. [3]Si ergo quæramus artem rhythmicam vel metricam, qua utuntur qui versus faciunt : putasne habere aliquos numeros, secundùm quos fabricant versus? nihil aliud *potes* existimare. Quicumque isti sunt numeri, præterire tibi videntur cum versibus, an manere? manere sanè. Consentiendum est ergo ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari. Quid? hanc artem num aliud putas quàm affectionem quamdam esse animi artificis? Credisne hanc *affectionem* etiam esse in eo qui hujus artis imperitus est? nullo modo. Quid? in illo qui est oblitus eam? nec in illo quidem, quia et ipse imperitus est, etiamsi fuit peritus aliquando. Quid? si eum quisquam interrogando commemoret, remigrare ad eum putas illos numeros ab eo ipso qui interrogat, an illum intrinsecus apud mentem suam movere se ad aliquid, unde sibi quod amiserat redhibeatur? apud semetipsum *putandus est* id agere. [4]Illud *ergò*, quod mens videt, semper præsens et immortale approbatur. *Sic etiam* [5]hoc ipso quod *animus* avertit se à bono, nisi maneat in se illud bonum unde se avertit, non est quo se iterùm si voluerit emendare, convertat. *Ita* [6]ratio inspexit diligentissimè cujusmodi essent sive in rhythmica sive in ipsa modulatione *regnantes numeri*, reperitque divinos ac sempiternos. [7]Omnium *etiam* formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua : et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici supernos nume-

[1] Lib. 12, de Trinit. cap. 14. — [2]Ibid. — [3]Lib. 6, Musicæ, cap. 12. — [4]Lib. 2, de Ord., cap. 14. — [5]Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [6]L. 2, de Ord., cap. 14. — [7]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16.

ros intuenti. Quære deinde artificis ipsius membra quis moveat; numerus erit. Nam moventur etiam illa numerose. Et si detrahas de manibus opus, et de animo intentionem fabricandi, motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quære ergo quid in saltatione delectet, respondebit tibi numerus : Ecce sum. Inspice jam pulchritudinem formati corporis, numeri tenentur in loco. Inspice pulchritudinem mobilitatis in corpore, et numeri versantur in tempore. Intra ad artem unde isti procedunt, quære in ea tempus et locum; nunquam erit, nusquam erit, vivit in ea tamen numerus. Nec ejus regio spatiorum est, nec ætas dierum; et discendæ arti tamen cum se accommodant, qui se artifices fieri volunt, corpus suum per loca et tempora movent, animum vero per tempora. Accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo et animum artificis, ut numerum sempiternum videas.

CAPUT IV.

INCREATAM ESSE VERITATEM, CUM SEQUENTES RATIONES IPSAM NEC AB HOMINIBUS, NEC AB ULLO ALIO FACTAM ESSE CONVINCANT.

Jam [1] verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est quòd non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata atque inventa. Non enim sicut primam syllabam Italiæ (quam brevem pronunciaverunt veteres) voluit Virgilius, et longa facta est : ita quisquam potest efficere cum voluerit, ut ter terna aut non sint novem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum aut sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus

[1] Lib. 2, de Doctr. Christ., cap. 38.

institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas. [1]Ipsa *quoque* veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus et notata, ut eam possint vel discere vel docere. [2]Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit : et locorum situs aut naturas animalium vel stirpium vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas : et ille qui demonstrat sidera eorumque motus, non à se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat : sic etiam qui dicit, cùm falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit, verissimè dicit : neque ipse facit ut ita sit, sed tantùm ita esse demonstrat. [3]Hoc *similiter* ut consequenti ablato auferatur etiam necessariò quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt, et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum. [4]Item scientia definiendi, dividendi atque partiendi, quanquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta. [5]*Nec etiam* Philosophi sapientiæ disciplinam tripertitam esse voluerunt, sed tripertitam esse animadvertere potuerunt. Neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt, cujus una pars appellaretur Physica, altera Logica, tertia Ethica.

CAPUT V.

VERITATEM NON FIERI CUM DISCITUR, SED IN SEIPSA JAM EXISTENTEM INVENIRI PRÆSENTEM ANIMO.

Cum [6] etiam vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibusdam liberalibus artibus quædam invenimus, non alibi quam in animo nostro invenimus. Neque enim id est invenire quod facere, aut gignere : alioquin æterna gigneret animus inventione temporali, nam

[1] Ibid., cap. 32. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 35. — [5] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 25. — [6] Lib. de Immort. animæ, cap. 4.

æterna sæpe invenit. [1]Hinc admonemur esse nobis in abdito mentis quarumdam rerum quasdam notitias, et tunc quodammodo procedere in medium, atque in conspectu mentis velut apertius constitui, quando cogitantur. [2]Sed unde diu non cogitaverimus, et unde cogitare nisi commoniti non valemus, id nos nescio quo eodemque miro modo, si potest dici, scire nescimus. Denique recte ab eo qui commemorat, ei cui commemorat dicitur : Scis hoc, sed scire te nescis. Commemorabo et invenies te scientem quod te nescire putaveras. Id agunt et litteræ quæ de his rebus conscriptæ sunt, quas res, duce ratione, veras esse invenit lector : non quas veras esse credit ei qui scripsit, sicut legitur historia, sed quas veras esse etiam ipse invenit, sive apud se, sive in ipsa mentis luce veritate. [3]Numquid *autem* ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiam si omnis ratiocinator intereat, aut potius apud carnales inferos veterascat? non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur in se manent, et cum inveniuntur nos innovant.

CAPUT VI.

SCIENTIAM NON QUIDEM PLATONIS, SED ALIO QUODAM SENSU IDEO REMINISCENTIAM ESSE, QUIA VERITAS ETIAM ANTEQUAM DISCATUR JAM MENTI PRÆSTO EST, UT COGITATIONE POSSIT INTELLIGI.

Hinc[4] *fit* ut anima mihi omnes artes secum attulisse videatur : nec aliud quicquam esse id quod dicitur discere, quam reminisci et recordari. [5]*Quod* quomodo possit doceri fortasse breviter planum facio. Fac enim te aliquid esse oblitum, aliosque te velle quasi in memoriam revocare. Dicunt ergo illi : Numquidnam hoc est, aut illud? diversa velut similia proferentes. Tu vero nec illud vides quod recordari cupis, et tamen vides non hoc esse quod dicitur. Numquidnam tibi cum hoc evenit, omnimodo videtur oblivio? Nam ipsa discretio, qua non admittitur quòd

[1]Lib. 14, de Trinit., cap. 7. — [2]Ibid. — [3]Lib. de Vera Relig., cap. 39. — [4]Lib. de Quant. animæ. — [5]Lib. 2, Soliloq., cap. 19.

falsò admoneris, pars quædam recordationis est. [1]Tales ergo nondum verum vident; falli tamen decipique non possunt, et quid quærant, satis norunt. At si tibi quispiam dicat te post paucos dies risisse quàm natus es, non audes dicere falsum esse : et si auctor sit cui fides habenda est, non recordaturus, sed crediturus es. Totum enim tempus illud validissima oblivione tibi sepultum est. [2]Hæc igitur ab illa oblivione plurimum differt, sed illa media est; nam est alia recordationi revisendæque veritati propior atque vicinior, cui simile est quando videmus aliquid, certòque recognoscimus id nos vidisse aliquando atque nosse affirmamus; sed ubi, aut quando, aut quomodo, aut apud quem nobis in notitiam venerit, satagimus repetere atque recolere. Ut si de homine nobis contigerit, etiam quærimus ubi eum noverimus. Quod cum et ille commemoraverit, repente tota res memoriæ quasi lumen infunditur, nihil amplius ut reminiscamur, laboratur. [3]Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi, si quidem illas sine dubio in se oblivione obrutas eruunt discendo, et quodammodo refodiunt. [4]Quare enim cum dicerentur *ea, quæ ad disciplinas liberales spectant*, agnovi et dixi : ita est et verum est : nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota et retrusa, quasi in caveis abditioribus, ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem. [5]Quocirca invenimus nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus sicuti sunt per seipsa intus cernimus, nisi ea quæ passim atque indispositè memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius et neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant. Et quàm multa hujusmodi gestat memoria mea, quæ jam inventa sunt, et sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ et didicisse et nosse dicimur! Quæ si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, et quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut

[1] Lib. 2, Soliloq., c. 19. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Lib. 10, Confess., c. 10. — [5]Ibid., cap. 11.

denuo velut nova excogitanda sint indidem iterum (neque enim est alia regio eorum), et cogenda rursus ut sciri possint, id est, velut ex quadam dispersione colligenda, unde dictum est cogitare. Nam cogo et cogito sic est ut ago et actito, facio et factito. Verumtamen sibi animus hoc verbum propriè vendicavit, ut non quod alibi, sed quod in animo colligitur, id est, cogitur, cogitari propriè jam dicatur. [1] Unde Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hìc animas hominum, et antequam ista corpora gererent. Et hinc esse quòd ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, quàm cognoscuntur nova. Retulit enim puerum quemdam nescio quæ de geometria interrogatum, sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippe atque artificiose interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat. Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes vel penè omnes cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita geometræ fuerunt, cum tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri : sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subjuncta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus, carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. Non enim et ipse ideo sine magistro alba et nigra discernit, quia ista jam noverat antequam in hac carne crearetur. Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam, etiam si ejus ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas isto vidit in corpore constitutus, aut eis qui noverant indicantibus credidit, seu litteris cujusque seu verbis? Non enim acquiescendum est eis qui Samium Pythagoram ferunt recordatum fuisse talia nonnulla quæ non fuerat expertus, cum hic alio jam fuisset in corpore : et alios nonnullos narrant alii ejusmodi aliquid in

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 15.

suis mentibus passos. Quas falsas fuisse memorias, quales plerumque experimur in somnis, quando nobis videmur reminisci quasi egerimus aut viderimus quod nec egimus omnino nec vidimus ; et eo modo affectas esse illorum mentes etiam vigilantium, instinctu spirituum malignorum atque fallacium (quibus curæ est de revolutionibus animarum falsam opinionem ad decipiendos homines firmare vel serere), ex hoc conjici potest, quia si vere illa recordarentur quæ hic in aliis antea positi corporibus viderant, multis ac penè omnibus id contingeret : quandoquidem ut de vivis mortuos, ita de mortuis vivos, tanquam de vigilantibus dormientes, et de dormientibus vigilantes, sine cessatione fieri suspicantur. [1]Illud *ergo* quod dixi omnes artes animam secum attulisse mihi videri : nec aliud quicquam esse id quod dicitur discere, quàm reminisci ac recordari : non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur anima vel hic in alio corpore, vel alibi sive in corpore, sive extra corpus aliquando vixisse, et ea quæ interrogata respondet, cum hic non didicerit, in alia vita ante didicisse. Fieri enim potest, sicut jam in hoc opere supra diximus, ut hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est, et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, ut cum se ad eas res movet quibus connexa est, vel ad seipsam, inquantum eas videt, intantum de his vera respondeat. Nec sanè omnes artes eo modo secum attulit, ac secum habet. Nam de artibus quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hic didicerit, non potest dicere. Ea verò quæ sola intelligentia capit, propter id quod dixi, cum vel à seipsa, vel ab alio fuerit bene interrogata, et recordata respondet. [2]Item dixi quod disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, et quodam modo refodiunt. Sed hoc improbo. Credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt lumen rationis æternæ,

[1] Lib. 1, Retract., cap. 8. — [2] Ibid., cap. 4.

ubi hæc immutabilia vera conspiciunt ; non quia ea noverant aliquando et obliti sunt, quod Platoni vel talibus visum est. [1]Nonnulli *etiam* calumniantur adversus Socraticum illud nobilissimum inventum, quo asseritur, non nobis ea quæ discimus veluti nova inseri, sed in memoriam recordatione revocari : dicentes memoriam præteritarum rerum esse, hæc autem quæ intelligendo discimus, Platone ipso auctore, manere semper, nec posse interire ac per hoc non esse præterita. [2]Sed qui dicit memoriam non esse præsentium, attendat quemadmodum dictum sit in ipsis secularibus litteris, ubi majoris fuit curæ verborum integritas quàm veritas rerum :

Nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus, discrimine tanto.

Virgilius enim cum sui non oblitum diceret Ulyssem, quid aliud intelligi voluit, nisi quòd meminerit sui? Cum ergo sibi præsens esset, nullo modo suî meminisset, nisi ad res præsentes memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli et recordari : sic in re præsenti quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda est, qua sibi præsto est ut sua cogitatione possit intelligi. *Sic etiam anima veritatis æternæ* [3]reminiscitur. *Illa* quippe semper est, nec fuit et non est, nec est et non fuit ; sed sicut nunquam non erit, ita nunquam non erat, et ubique *tota* est. Propter quod ista in *illa* vivit, et movetur et est, ET IDEO REMINISCI EJUS POTEST. Non quia hoc recordatur quod, eam noverat in Adam, aut alibi alicubi ante hujus corporis vitam, aut cum primùm facta est, ut insereretur huic corpori ; nihil enim horum omnino reminiscitur : quidquid horum est, oblivione deletum est. Sed COMMEMORATUR ut convertatur ad *illam* tanquam ad eam lucem, QUA JAM, CUM AB *illa* AVERTERETUR, QUODAMMODO TANGEBATUR.

[1]Epist. 72, ad Nebridium. — [2]Lib. 14, de Trinit., cap. 11. — [3]Ibid. c. 15.

CAPUT VII.

VERITATEM, LICET ANIMO SEMPER PRÆSENTEM, IN MEMORIA TAMEN PROPRIÈ SEU REFLEXÈ NON ESSE, NISI POSTQUAM EAM DIDICIMUS; IPSAMQUE DE NOVO IN DISCIPLINAM TRAJICI, QUATENUS MEMORIÆ COMMENDATUR, NON PER ALIQUAS SUI SPECIES, QUIA NULLAS HABET, SED PER INTELLECTIONUM PRÆTERITARUM VESTIGIA QUÆDAM, QUIBUS ET NOS INTELLEXISSE, ET MODI, QUO INTELLEXIMUS VERITATEM RECORDAMUR, UT AD EAM FACILÈ LICEAT RECURRERE.

Ubi [1]ergo te inveniam, ô dulce *veritatis* lumen? ubi te inveniam? Si præter memoriam meam te invenio, immemor tui sum. Et quo modo jam inveniam te, si memor non sum tui? Perdiderat[2] enim mulier drachmam, et quæsivit eam cum lucerna, et nisi memor ejus esset, non invenisset eam. Cum enim esset inventa, unde sciret utrum ipsa esset, si memor ejus non esset? Multa memini me perdita quæsisse atque invenisse. Inde istud scio, quia cum quærerem aliquid eorum, et diceretur mihi, num forte hoc est, num forte illud? tamdiu dicebam, non est, donec id offerretur quod quærebam. Cujus nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus et invenimus. Verumtamen si forte aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile, tenetur intus imago ejus, et quæritur donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine quæ intus est recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non invenimus. Sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur. [3]Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit cum obliviscimur, et quærimus ut recordemur? Ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat quod quærimus, et cum occurrerit, dicimus: hoc est; quod non diceremus nisi agnosceremus; nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certe ergo

[1] Lib. 10, Confess., cap. 17. — [2] Ibid., cap. 18. — [3] Ibid., cap. 19.

obliti fueramus. An non totum exciderat, sed ex parte qua tenebatur pars alia quærebatur, quia sentiebat se memoria non simul volvere quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi quod deerat flagitabat? Tanquam si homo notus sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen ejus obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit non connectitur : quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et unde adest nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde ades. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus. [1]Quomodo ergo quæro vitam beatam, quia non est mihi donec dicam, sat est, illic ubi oportet ut dicam? quomodo eam quæro? utrum per recordationem, tanquam eam oblitus sim, oblitumque me esse adhuc teneam? an per appetitum discendi incognitam, sive quam nunquam scierim, sive quam sic oblitus fuerim, ut me nec oblitum esse meminerim? nonne ipsa est beata vita, quam omnes volunt : Et omnino qui nolit, nemo est? ubi noverunt eam, quod sic volunt eam? ubi viderunt, ut amarent eam? [2]Nescio quomodo noverunt eam. Ideoque habent eam nescio qua notitia, de qua satago, utrum in memoria sit : quia si ibi est, jam beati fuimus aliquando. [3]Ubi ergo et quando expertus sum vitam meam beatam, ut recorder eam, et amem, et desiderem? nec ego tantùm, aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus, quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus. [4]Beata vita est gaudium de veritate. [5]Hanc vitam beatam omnes volunt. [6] Urbi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? [7]O æterna veritas! [8]Ecce spatiatus sum in memoria

[1]Lib. 10, Confess., cap. 20. — [2]Ibid. — [3]Ibid., cap. 21. — [4]Ibid. c. 23. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]Ibid., lib. 7, cap. 10. — [8]Ibid., lib. 10, cap. 24.

quærens te, et non te inveni extra eam. Neque enim aliquid de te inveni, quod non meminissem, ex quo didici te. Nam ex quo didici te non sum oblitus tui. [1]Ubi *verò* te inveni, ut discerem te? neque enim jam eras in memoria mea, priusquam te discerem. Ubi ergo inveni te ut discerem te, nisi in te supra me? [2]Cum *enim verbi gratia* didici tria genera esse quæstionum, an sit, quid sit, quale sit, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, et vera esse approbavi : et commendavi ei tanquam reponens, unde proferrem, cum vellem. Ibi ergo erant, et antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. [3]Ex quo verò didici te, manes in memoria mea : et illic te invenio cum reminiscor tui, et delector in te. [4]Sed ubi manes in memoria mea? ubi illic manes? quale cubile fabricasti illic tibi? quale sanctuarium ædificasti tibi? tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, ut maneas in ea, sed in qua ejus parte maneas hoc considero. Transcendi enim partes ejus quas habent et bestiæ cum te recordarer, quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium; et veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras; quia sicut non es imago corporalis nec affectio viventis, qualis est cum lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, et quicquid hujusmodi est : ita nec ipse animus es, quia *præstantior animo* tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, et dignatus es habitare in memoria mea ex quo te didici. Et quid quæro quo loco ejus habites? quasi vero loca ibi sint? Habitas certe in ea, quoniam tui memini, ex quo te didici, et in ea te invenio cum recordor tui. [5]Hic sunt et illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt ; quasi remota interiore loco, non loca, nec eorum imagines, sed res ipsas gero. [6]*Intellectualium enim visionum* genus eas res continet,

[1] Lib. 10, Confess., cap. 26. — [2] Ibid., cap. 10. — [3] Ibid., cap. 24. — [4] Ibid., cap. 25. — [5] Ibid., cap. 9. — [6] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 6.

quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ. Nam homo vel arbor vel sol, et quæcumque alia corpora sive cœlestia sive terrestria, et præsentia videntur in suis formis, et absentia cogitantur imaginibus animo impressis; et faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum quo illæ imagines continentur. Dilectio autem numquid aliter videtur præsens in specie qua est, et aliter absens in aliqua imagine sui simili ? Non utique, sed quantun mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur. Si autem aliquid corporalis imaginis cogitatur, non ipsa cernitur. [1] Quid *ergo* sit litteratura, quid peritia disputandi, quot genera quæstionum, quicquid horum scio sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim : aut sonuerit et præterierit, sicut vox impressa per aures vestigio quo recoleretur, quasi sonaret cum jam non sonaret : aut sicut odor dum transit et evanescit in ventos, olfactum afficit, unde trajicit in memoriam imaginem sui, quam reminiscendo repetamus : aut sicut cibus qui certe in ventre jam non sapit, et tamen in memoria quasi sapit : aut sicut aliquid quod corpori tangendo sentitur, quod etiam separatum à nobis imaginatur memoria. Istæ quippe res non intromittuntur ad eam, sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur, et miris tanquam cellis reponuntur, et mirabiliter recordando proferuntur. [2] At verò cum audio tria genera esse quæstionum, an sit, quid sit, quale sit, sonorum quidem quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, et eos per aures cum strepitu transisse, ac jam non esse scio. Res verò ipsas quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, et in memoria recondidi, non imagines earum, sed ipsas. Quæ unde ad me intraverint, dicam si possum. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio qua earum ingressæ sint. Quippe oculi dicunt : Si coloratæ sunt, nos eas nuntiavimus. Aures dicunt : Si sonuerunt, à nobis indicatæ sunt. Nares dicunt : Si oluerunt, per nos transierunt.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 9. — [2] Ibid., cap. 10.

Dicit etiam sensus gustandi : Si sapor non est, nihil me interroges. Tactus dicit : Si corpulentum non est, non contrectavi. Si non contrectavi, non indicavi. Unde et quà hæ intraverunt in memoriam meam ? Nescio quomodo. [1]Item continet memoria numerorum dimensionumque rationes et leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit : quia nec ipsæ coloratæ sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatæ, aut contrectatæ sunt. Audivi sonos verborum quibus significantur, cum de his disseritur : sed illi alii, istæ autem aliæ sunt. Nam illi aliter græce, aliter latine sonant : istæ verò res nec græce nec latine sunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuissimas, sicut filum araneæ, sed illæ aliæ sunt, non sunt imagines earum quas mihi nuntiavit carnis oculus. Novit eas quisquis sine ulla cogitatione qualiscumque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus quos numeramus ; sed illi alii sunt quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, et ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, et ego doleam ridentem me. [2]Hæc omnia memoria teneo. *Nam* [3]intellexisse me sæpius ista memini : et quomodo ea didicerim memoria teneo : et quod nunc discerno et intelligo, recondo in memoria ut postea me nunc intellexisse meminerim. [4]Ipsa autem cogitatio quamdam suam memoriam nisi haberet, non reverteretur ad ea, quæ in memoria reliquerat, cum alia cogitaret. [5]Nonne *enim* manifestum est eum, qui alio interrogante sese citius ad *veritatem* movet, ut verum incommutabile intelligat : nisi eumdem motum suum in memoria teneat, non posse ad intuendum illud verum, nullo extrinsecùs admonente revocari ? [6] *Quoniam igitur* ad intelligibiles incorporalesque *rerum* rationes cùm pervenitur quantùm fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsa reverberata repellitur, et fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio : *illa ipsa* cogitatio transiens per disciplinas, quibus eruditur animus, memoriæ commendatur,

[1] Ibid., cap. 12. — [2] Ibid., c. 13. — [3] Ibid. — [4] Lib. 15, de Trinit., c. 21. — [5] Lib. 6, Musicæ, cap. 12. — [6] Lib. 12, de Trinit., cap. 14.

ut sit quò redire possit, quæ cogitetur inde transire : quamvis si ad memoriam cogitatio non rediret, atque quod commendaverat ibi inveniret, velut rudis ad hoc sicut ducta fuerat duceretur, idque inveniret, ubi primum invenerat, in illa scilicet incorporea veritate, unde rursus quasi descriptum in memoria figeretur. Neque enim sicut manet verbi gratia, quadrati corporis incorporalis et incommutabilis ratio : sic in ea manet hominis cogitatio, si tamen ad eam sine phantasia spatii localis potuit pervenire. Aut si alicujus artificiosi et musici soni per moras temporis transeuntis numerositas comprehendatur, sine tempore stans in quodam secreto altoque silentio, tamdiu saltem cogitari potest quamdiu potest ille cantus audiri : tamen quod inde rapuerit etsi transiens mentis aspectus, et quasi glutiens in ventrem ita in memoria reposuerit, poterit recordando quodammodo ruminare, et in disciplinam quod sic didicerit trajicere; ([1] disciplina enim à discendo dicta est). [2] Quod si fuerit omnimoda oblivione deletum, rursus doctrina duce ad id venietur quod penitus exciderat, et sic invenietur ut erat.

CAPUT VIII.

IMMENSAM ESSE VERITATEM, QUAM INCREATAM ESSE JAM OSTENDIMUS.

Deinde [3] hoc quod tenemus studendum esse sapientiæ, incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili ubi videmus? nam hoc te videre et verum esse nullo modo utique dubitaverim. Hoc ergo verum sic vides, ut cogitationem tuam, quam si mihi non enunties, ego prorsus ignoro? an ita ut intelligas et à me videri posse hoc verum, tametsi mihi abs te non dicatur? imo, *inquies*, ita ut abs te quoque etiam me invito videri posse non dubitem. Quod ergo unum verum videmus ambo singulis mentibus, nonne utrique nostrum commune est? hoc

[1] Lib. 2, Soliloq., cap. 11. — [2] Lib. 12, de Trin., cap. 14. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10.

ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cum incommutabiliter contemplandum adsit omnibus, qui hoc contemplari valent? nullus hoc vere dixerit suum esse proprium, cum tam sit unum atque omnibus commune, quàm verum est. [1]Omne *enim* quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intelligentibus præsto est ad ullius eorum propriè naturam pertinere quis dixerit? [2]Concedo *quidem* quamvis ejusdem generis, tamen singulos nos habere sensus videndi vel audiendi, vel quoslibet alios cæterorum. Non enim solum videre, sed etiam audire aliquis hominum potest, quod alius non audiat, et aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire, quod alius non sentiat. Unde manifestum est et tuum non nisi tuum, et meum sensum non esse nisi meum. [3]Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere : [4]Quandoquidem fieri potest, ut ego aliquid intelligam, cum tu id non intelligis : nec utrum intelligam tu scire possis, ego autem sciam. [5]Num etiam poteris dicere singulos soles nos habere, quos videmus, aut lunas, aut luciferos, aut cætera hujusmodi, quamvis suo quisque ac proprio sensu ista videat? Possumus ergo videre unum aliquid multi simul, cum sint sensus nostri nobis singulis singuli : quibus omnibus illud unum sentimus quod simul videmus; ut quamvis alius sensus meus sit, et alius tuus, possit tamen fieri, ut id quod videmus, non sit aliud meum, et aliud tuum, sed illud unum præsto sit utrique nostrûm, et simul ab utroque videatur. Possumus etiam unam aliquam vocem simul audire, ut quamvis alius sit auditus meus, alius tuus, non sit tamen alia mea et alia tua vox quam simul audimus, vel alia pars ejus auditu meo capiatur, et alia tuo, sed quidquid sonuerit, et unum et totum audiendum simul adsit ambobus. [6]*Ista* sensibilia quæ quamvis sentiamus, non tamen ea sentiendo in nostrum corpus corrupta mutamus, possumus ea, sive uno tempore, sive singulis vicissim temporibus ambo sentire, sic ut vel totum vel pars ipsa quam sentio, abs te etiam sentiatur :

[1]L. 2 de Lib. arb., c. 12. — [2]Ib., c. 7. — [3]Ib. — [4]Ib. — [5]Ib. — [6]Ib.

qualia sunt, sive lux, sive sonus, sive corpora quæ attingimus, non tamen lædimus. Manifestum est ergo ea quæ non commutamus, et tamen sentimus corporis sensibus, et non pertinere ad naturam sensuum nostrorum, et propterea magis nobis esse communia, quia in nostrum proprium et quasi privatum non vertuntur atque mutantur. Proprium ergo et quasi privatum intelligendum est, quod unusquisque nostrûm sibi est, et quod in se solus sentit, quod ad suam naturam proprie pertinet. Commune autem et quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus, nulla sui corruptione atque commutatione sentitur. [1]*Jam*, quæso te, quid de ipsa sapientia putas existimandum? Singulas quasque suas arbitraris singulos quosque homines habere sapientias? An vero unam præsto esse communiter omnibus, cujus quanto magis quisque sit particeps, tanto est sapientior. [2]Cum, *inquies*, id nunc agatur inter nos, ut non quid credamus respondendum sit, sed quid dilucida intelligentia teneamus, nullo modo ad id tibi quod interrogasti respondere potero, nisi quod credendo teneo, contemplando etiam et ratione cernendo noverim quæ sit ipsa sapientia. Num aliam, *inquam*, putas esse sapientiam, nisi veritatem in qua cernitur et tenetur summum bonum. [3]Summo autem bono assecuto et adepto, beatus quisque fit, quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis (per hanc enim scimus, fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle): ita etiam priusquàm sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam, per quam unusquisque nostrûm si interrogetur, velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis, se velle respondet. Quare si jam constat inter nos quæ sit sapientia, quam fortasse verbis explicare non poteras (nam si eam nullo modo animo cer-

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9. — [2]Ibid. — [3]Ibid.

neres, nullo modo scires et velle te esse sapientem, et velle debere, quod te negaturum esse non arbitror), volo jam dicas mihi, utrum etiam sapientiam sicut numeri rationem atque veritatem omnibus ratiocinantibus communem se præbere arbitreris ? An quoniam tot sunt mentes hominum quot homines sunt (unde nec ego de tua mente aliquid cerno, nec tu de mea), tot etiam putas esse sapientias, quot potuerunt esse sapientes ? Si summum bonum omnibus unum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur et tenetur, id est, sapientiam omnibus unam esse communem. [1] An *vero* dubitas summum bonum quidquid illud est omnibus hominibus unum esse? Dubito sanè, *inquies*, quia diversos diversis rebus gaudere video tanquam summis bonis suis. Vellem, *inquam*, ut de summo bono ita nemo dubitaret, ut nemo dubitat, quidquid illud est, non nisi eo adepto posse fieri hominem beatum. Sed quoniam magna quæstio est, et longum sermonem forte desiderat, putemus omnino tot summa bona esse, quot sunt ipsæ res diversæ, quæ à diversis tanquam summa bona appetuntur : num ideo sequitur, ut ipsa sapientia etiam non sit una communis omnibus, quia ea bona quæ in illa cernunt et eligunt homines, multa et diversa sunt ? Si enim hoc putas, potes et de luce solis dubitare quod una sit, quia multa et diversa sunt, quæ in ea cernimus. De quibus multis eligit quisque pro voluntate, quo fruatur per oculorum sensum. Et alius altitudinem montis alicujus intuetur libenter, et eo gaudet aspectu; alius campi planitiem, alius convexa vallium, alius nemorum viriditatem, alius mobilem æqualitatem maris, alius hæc omnia, vel quædam horum simul pulchra confert ad lætitiam videndi. Sicut ergo ista multa et diversa sunt, quæ in luce solis homines vident et eligunt ad fruendum, lux tamen ipsa una est, in qua videt et tenet quo fruatur uniuscujusque intuentis aspectus : ita etiam etsi multa sint bona eaque diversa, è quibus eligat quisque quod volet, idque videndo et tenendo ad fruendum summum sibi bonum recte vereque constituat; fieri tamen potest, ut

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9.

lux ipsa sapientiæ, in qua hæc videri et teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis. *Fateris* fieri posse, nec impedire aliquid, ut non sit omnibus communis una sapientia, etiam si multa et diversa sint summa bona. Sed *velles* scire an ita sit. [1] Utrum *nempe* sit communis una omnibus *sapientia*, an singuli sapientes suas habeant sicuti animas vel mentes suas. [2] Quod enim concedimus fieri posse ut ita sit, non continuò ita esse concedimus. [3] Quæro, *ut respondeam*, utrum hæc tibi videantur ad sapientiam pertinere, *quæ supra jam recensuimus*, [4] juste esse vivendum : [5] Incorruptum esse melius corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili : [6] Non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse : [7] Vitam *demùm* quæ nullis adversitatibus de certa et honesta sententia dimovetur esse meliorem, quàm eam quæ facilè incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur? [8] Quid? ille qui juste vivit, possetne ita vivere, nisi videret quæ inferiora quibus potioribus subdat, et quæ paria sibimet copulet, et quæ propria suis quibusque distribuat? Qui ergo hæc videt, num eum negabis sapienter videre? Quid? ille qui prudenter vivit, nonne eligit incorruptionem, et eam corruptioni præponendam esse decernit? Cum ergo id eligit quò convertat animum, quod eligendum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere? Cum ergo ad id quod sapienter eligit convertit animum, sapienter utique convertit. Et qui ab eo, quod sapienter eligit, et quò se sapienter convertit, nullis terroribus pœnisque depellitur, sapienter sine dubio facit. Manifestissimum est igitur omnes has, quas regulas diximus et lumina virtutum, ad sapientiam pertinere : quandoquidem quantò magis quisque ad agendam vitam eis utitur, et secundum hæc agit vitam, tanto magis vivit facitque sapienter. Omne autem quod sapienter fit, non potest rectè dici à sapientia esse separatum. [9] Meministi *autem*, ut opinor, quid de sensibus corporis paulò antè tractatum sit : ea scilicet quæ oculorum vel aurium

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 10. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid., c. 12.

sensu communiter tangimus, sicuti sunt colores et soni, quos ego et tu simul videmus vel simul audimus, non pertinere ad oculorum nostrorum auriumve naturam, sed ad sentiendum nobis esse communia. Sic ergo etiam illa quæ ego et tu communiter propria quisque mente conspicimus, nequaquam dixeris ad mentis alicujus nostrûm pertinere naturam. Duorum enim oculi quod simul vident, nec hujus nec illius oculos esse poteris dicere, sed aliquid tertium, in quod utriusque feratur aspectus. *Deinde* [1] etiam impii cogitant æternitatem, et multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat quisquis in eis et hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justæ, mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? unde omnis lex juxta describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Qui verò non operatur, et tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ legis. Sed etiam ipse splendore aliquoties ubique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur. [2] Ubique *enim*, veritas, præsides omnibus consulentibus te : simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. [3] Ubi *ergo* videmus *veritatem*? si hoc loco esset ubi corpus nostrum est, non eam videret, qui hoc modo in Oriente de corporibus

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 15. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 26. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 32.

judicat. Non ergo ista continetur loco ; et cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, et per potentiam nusquam non est. [1] Ubique est veritas, ubique est sapientia. Intelligit quis in oriente justitiam : intelligit alius in occidente justitiam : numquid alia est justitia quam ille intelligit, alia quam iste? separati sunt corpore, et in uno habent acies mentium suarum. Quam video justitiam hic constitutus, si justitia est, ipsam videt justus nescio quot mansionibus à me carne sejunctus, et in illius justitiæ luce conjunctus. [2] Communis est omnibus veritas. Non est mea, nec tua ; non est illius aut illius : omnibus communis est. Et fortassis ideo media est, ut in circuitu sint omnes qui diligunt veritatem. Quidquid enim omnibus commune est, in medio est. Quare in medio dicitur ? ut tantùm distet ab omnibus, et tantùm propinquet omnibus. Quod non in medio est, quasi privatum fit. Quod publicum est, in medio ponitur : ut omnes qui veniunt, percipiant, illuminentur. Nemo dicat, meum est, ne in parte sua velit facere quod in medio est omnibus. Quid est ergo, *omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera* ? omnes qui intelligunt communem esse omnibus veritatem, et non illam faciunt quasi suam superbiendo de illa, ipsi offerent munera ; quia humilitatem habent : qui autem quasi suum faciunt quod omnibus commune est, tanquam in medio positum, ad partem seducere conantur, non offerent hi munera ; quia omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera.

Habemus [3] *igitur* qua fruamur omnes æqualiter atque communiter. Nullæ sunt angustiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit, et omnibus communis est, et singulis casta est. Nemo alicui dicit : Recede, ut etiam ergo accedam : remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, ipsam omnes tangunt. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur ; nihil de ipsa bibis quod ego non possim (bibere). Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid : sed quod

[1] Tract. 35, in Joannem. — [2] In Psalm. 75. — [3] L. 2, de Lib. arb., c. 14.

tu de illa capis, et mihi manet integrum. Quod te inspirat, non expecto ut reddatur abs te, et sic ego inspirer ex eo. Non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius, aut quorumdam proprium, sed simul omnibus tota est communis. Minus ergo ea quæ tangimus, vel quæ gustamus, vel quæ olfacimus, huic sunt veritati similia, sed magis ea quæ audimus et cernimus : quia et omne verbum à quibus auditur, totum auditur ab omnibus, et simul à singulis totum. Et species omnis quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta et ab alio simul. Sed multum longo intervallo sunt ista similia : nec tota enim simul sonat quælibet vox, quia per tempora tenditur et producitur, et aliud ejus prius sonat, aliud posterius : et species omnis visibilis tanquam intumescit per locos, nec ubique tota est. Et certe omnia hæc auferuntur invito, et quo minus eis frui possimus, quibusdam impedimur angustiis. Nam et si posset esse cujusquam suavis cantus sempiternus, et studiosi ejus certatim ad eum audiendum venirent, coarctarent sese atque pugnarent de locis, quantò plures essent, ut cantanti esset quisque propinquior, et in audiendo nihil tenerent manere secum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur. Solem autem istum si vellem intueri, atque id pertinaciter possem, et in occasu me desereret, et subvelaretur nubilo, et multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum invitus amitterem. Postremo etiam si adesset semper suavitas, et lucis videnti, et vocis audienti, quid magnum ad me perveniret, cum mihi esset commune cum belluis? At illa veritatis et sapientiæ pulchritudo, tantum adsit perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. De toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna : nullo loco est, nusquam deest. Foris admonet, intus docet; cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur.

CAPUT IX.

VERITATEM ESSE INFINITAM, UT PATET EX VERITATE NUMERORUM.

Numeros *etiam* [1] infinitos esse certissimum est, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens in ipsa ratione atque scientia numerorum, non solùm duplicari, verum etiam multiplicari potest. [2]Omnes *igitur* infiniti sunt. [3]Absit *tamen* ut dubitemus quod ei notus non sit omnis numerus, *cujus intelligentiæ*, sicut in psalmo canitur, *non est numerus.* Infinitas *itaque* numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus.

CAPUT X.

VERITATEM PER SE SIC VERAM ESSE, UT VERIUS NIHIL HABEAT, QUOD IMITETUR UT VERA SIT.

Prœterea [4] quis mente tam cæcus est, qui non videat figuras, quæ in geometrica docentur, habitare in ipsa veritate, aut in his etiam veritatem? [5]An linea, vel quadratura, vel rotunditas, [6]quales illa disciplina demonstrat, [7]habent alia quæ imitentur ut vera sint? nullo modo id possum credere, nisi forte aliud sit linea, quàm longitudo sine latitudine, et aliud circulus, quàm linea circumducta undique ad medium æqualiter vergens. Quid ergo cunctamur? an ubi ista sunt, veritas non est? [8]Talesne in cor-

[1]Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 18. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Lib. 2, Soliloq., cap. 18. — [5]Ibid., cap. 19. — [6]Ibid., cap. 18. — [7]Ibid., cap. 19. — [8]Ibid., cap. 18.

poribus figuræ inveniuntur? imò incredibile est quantò deteriores esse convincuntur. [1]Quis enim non videat illas corporis figuras, siquidem quasi ad istas tendere videntur, habere nescio quam imitationem veritatis? *Adeo ut* [2]corpus non sit verè verum, id est, non in eo sit veritas, sed quasi quædam imago veritatis. [3]Imitatione *igitur* aliqua verum est, et ob hoc non ad liquidum verum.

Profecta [4]est *ratio* in oculorum opes, et terram cœlumque collustrans, sensit nihil aliud quàm pulchritudinem sibi placere, et in pulchritudine figuras, et in figuris dimensiones, et in dimensionibus numeros : quæsivitque ipsa secum, utrum ibi talis linea talisque rotunditas, vel quælibet alia forma et figura esset, qualem intelligentia contineret. Longe deteriorem invenit, et nulla ex parte quod viderent oculi, cum eo quod mens cerneret, comparandum. [5]Occurrebant ei omnia numerosa, quæ tamen in illis dimensionibus manifestiùs eminebant, quas in se ipsa cogitando atque volvendo intuebatur verissimas : in his autem, quæ sentiuntur, umbras earum potius atque vestigia recolebat. [6]Facilius autem cognoscet ista, qui numeros simplices atque intelligibiles comprehenderit, *et* [7]quid sit unum in numeris, quantumque valeat. [8]Omne quippe corpus verum corpus est, sed falsa unitas. Non enim summè unum est, aut in tantum id imitatur, ut impleat. [9]Propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur, et non implet unitatem. [10]Sed cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse qua putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. [11]Ubi *autem* verum est quod mente conspicitur? ita cogitanti jam dici potest : illa lux vera, est qua hæc omnia *corpora* non esse vera cognoscis. Per hanc illud unum vides, quo judicas unum esse quidquid aliud vides, nec tamen hoc esse quod illud est, quidquid mutabile vides.

[1]Lib. 2, Soliloq., cap. 19. — [2]Ibid., cap. 18. — [3]Ibid. — [4]Lib. 2, de Ord., cap. 15. — [5]Ibid. — [6]Ibid., cap. 16. — [7]Ibid., cap. 18. — [8]Lib. de Vera Relig., cap. 34. — [9]Ibid. — [10]Lib. de Vera Relig., cap. 36. — [11]Ibid., cap. 34.

CAPUT XI.

VERITATEM ESSE BONUM IPSUM SINE PARTICIPATIONE BONUM.

Ecce [1] iterum vide, si potes. Non amas certè nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium, et temperamento collium, et planitie camporum, et bonum prædium, amœnum ac fertile, et bona domus paribus membris disposita, et ampla et lucida, et bona animalia, animata corpora, et bonus aer modestus et salubris, et bonus cibus suavis atque aptus valetudini, et bona valetudo sine doloribus et lassitudine, et bona facies hominis dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata, et bonus animus amici consensionis dulcedine et amoris fide, et bonus vir justus, et bonæ divitiæ, quia facilè expediunt, et bonum cœlum cum sole et luna et stellis suis, et boni Angeli sancta obedientia, et bona locutio suaviter docens, et congruenter monens auditorem, et bonum carmen canorum numeris, et sententiis grave. Quid plura et plura? Bonum hoc, et bonum illud, tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur sive cogitantur, diceremus aliud alio melius cum vere judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. [2] HÆC EST VERITAS ET SIMPLEX BONUM. Non enim est aliud aliquid, quàm ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est.

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [2] Ibid.

CAPUT XII.

VERITATEM ESSE CREATURA QUALIBET INTELLECTUALI PRÆSTANTIOREM, IDQUE PROBATUR PRIMO, QUIA IMMUTABILIS EST VERITAS ; SECUNDO, QUIA CREATURA QUÆLIBET INTELLECTUALIS JUDICAT SECUNDUM ILLAM, NEC DE ILLA JUDICAT.

Hanc [1] veritatem de qua jamdiù loquimur, et in qua una tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse quàm mens nostra est, an æqualem mentibus nostris, an etiam inferiorem? Sed si esset inferior, non secundum illam, sed de illa judicaremus, sicut judicamus de corporibus, quia infra sunt, et dicimus ea plerumque non tantùm ita esse vel non ita, sed ita vel non ita esse debere : sic et de animis nostris, non solum ita esse animum novimus, sed plerumque etiam ita esse debere. Et de corporibus quidem sic judicamus, cum dicimus minus candidum esse quàm debuit, aut minus quadrum, et multa similiter. De animis vero, minus aptus est quàm debeat, aut minus lætus, aut minus lenis, aut minus vehemens, sicut nostrorum morum se ratio tulerit. Et judicamus hæc secundum illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus : de ipsis verò nullo modo quis judicat. Cum enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem et tria decem esse, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantùm ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantùm lætatur inventor. Si autem esset æqualis mentibus nostris hæc veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostræ aliquando eam minus, aliquando plus vident, et ex hoc fatentur se esse mutabiles : cum illa in se manens nec proficiat cum plus à nobis videtur, nec deficiat cum minus; sed integra et incorrupta et conversos lætificet lumine, et aversos puniat cæcitate. Quid, quòd etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam judicamus, cum de illa nullo modo judicare possimus? Dicimus enim, minus intelligit quàm debet, aut tantum quantum debet intelligit.

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 12.

Tantum autem mens debet intelligere, quantum propius admoveri atque inhærere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior nec æqualis est, restat ut sit superior atque excellentior.

Attendamus iterum[1] quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit, quæ profectò quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscumque moles, quanquam ista visibili luce præfulgeat, si vita careat, magni æstimanda est. Quælibet namque viva substantia, cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur. Sed quia irrationabilia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutius, et cæteris corporis sensibus acrius corpora attingunt pleræque bestiæ quàm homines : sed judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis est, qua illæ carent, nos excellimus. Jam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quàm illa res est de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat : cur in aqua remum infractum oporteat apparere cum rectus sit, et cur ita per oculos sentire necesse sit. Nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare. [2]Cum ergo eam naturam quæ tantùm est, nec vivit nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura quæ non tantùm est, sed etiam vivit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum : et rursus hanc præcedat ea quæ simul et est et vivit et intelligit, sicuti in homine mens rationalis; num arbitraris in nobis, id est, in iis in quibus natura nostra completur, ut homines simus, aliquid inveniri posse præstantius, quàm hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur (quæ duo etiam in bestiis agnoscimus), et tertium

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 29. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 6.

quiddam quasi animæ nostræ caput, aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius.

Si [1] rationalis vita secundum seipsam judicat, nulla jam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur, tantò autem melius judicat quantò est peritior : et tantò est peritior, quantò alicujus artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est, ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum novit, qui novit ea impensa, quæ calce et arena confit, tenaciùs lapides cohærere, quàm luto? Aut qui tam eleganter ædificat, ut quæ plura sunt, paria paribus respondeant, quæ autem singula sunt, medium locum teneant? Quanquam iste sensus jam sit rationi veritatique vicinior. Sed certe quærendum est cur nos offendat, si duabus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minorve sit, cum æquales esse potuerint. Si vero super invicem fuerint, ambæque de medio quamvis impares, non ita offendat illa inæqualitas : et cur non multum curemus, quantò sit una earum aut major aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus ipse videtur expetere, ut aut impares non sint, aut inter maximam et minimam ita sit media, ut tantò præcedat minorem, quantò à majore præceditur. Ita enim primò quasi natura ipsa consulitur quid probet. Ubi potissimum notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuerit, in melioris comparatione respuatur : ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, usu quodam corporis atque operationis adjuncto : quo si careas, judicare de operibus possis, quod multò est excellentius, quamvis operari artificiosa non possis. Sed cum in omnibus artibus convenientia placeat, quâ unâ salva et pulchra sunt omnia;

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 30.

ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium, quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere cum diligenter consideraverit quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse : cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, et partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera et prima unitas, non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longe plurimum differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est mente videretur : si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est? Et cùm omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata, locis et temporibus sint pulchra, ut corpus et corporis motus : illa æqualitas et unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio judicatur, nec loco tumida est, nec mutabilis tempore. Non enim rectè dici potest secundum eam judicari rotundum canthum, et non secundum eam rotundum vasculum; aut secundum eam rotundum vasculum, et non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum, ridiculè dicitur, secundùm eam judicari æquales annos, et non secundùm eam æquales menses; aut secundùm eam æquales menses, et non secundùm eam æquales dies. Sed sive per hæc spatia, sive per horas, sive per breviora momenta convenienter moveatur aliquid, eâdem una et incommutabili æqualitate judicatur. Quòd si minora et majora spatia figurarum atque motionum, secundum eam legem parilitatis, vel similitudinis, vel congruentiæ judicantur, ipsa lex major est his omnibus, sed potentiâ. Cæterùm spatio aut loci aut temporis, nec major nec minor : quia si major esset, non secundùm totam judicaremus minora : si autem minor esset, non secundùm totam judicaremus majora. Nunc verò cùm secundùm totam quadraturæ legem judicetur, et forum quadratum, et lapis

quadratus, et tabella, et gemma quadrata : rursus secundùm totam æqualitatis legem judicentur convenire sibi motus pedum currentis formicæ, et secundùm eam gradientis elephantis : quis eam dubitet locorum intervallis ac temporum, nec majorem esse, nec minorem, cum potentiâ superet omnia? Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis appareret supra mentem nostram esse legem quæ veritas dicitur.

Itaque[1] cum se anima sentiat, nec corporum speciem motumque judicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat: præstare autem sibi eam naturam secundum quam judicat, et de qua judicare nullo modo potest. Possum enim dicere quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cujusque corporis debeant, quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor. Quapropter tantò meliora esse judico quæ oculis cerno, quantò pro sui natura viciniora sunt iis, quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere. Nec ita debere esse quisquam sobriè dixerit, quasi possint esse non ita. Quare autem nobis placeant, et cur ea quantò meliùs sapimus, vehementissimè diligamus, ne id quidem quisquam, si ea ritè intelligit, dicere audebit. Ut enim nos et omnes animæ rationales secundùm veritatem de inferioribus rectè judicamus; sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa Veritas judicat. [2] Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Hoc autem interest, quòd ad cognoscendum satis est, ut videamus ita esse aliquid, vel non ita : ad judicandum verò addimus aliquid, quo significemus posse esse et aliter : velut cum dicimus, ita esse debet, aut ita esse debuit, aut ita esse debebit ; ut in suis operibus artifices faciunt.

Sed[3] multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut judicent cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, uno arcu constructo, cur

[1] Lib de Vera Relig., cap. 31. — [2] Ibid. — [3] Ibid., 32.

alterum parem contra in alteram partem moliatur? Respondebit, credo, ut paria paribus ædificii membra respondeant. Porrò si pergam quærere, idipsum cur eligat; dicet hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes. Nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, et unde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, et invisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, ut judex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundum ipsam, sed ipsam judicat. Et si prius quæram, utrum ideo pulchra sint, quia delectant: an ideo delectent, quia pulchra sunt: hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra; et si titubabitur, subjiciam, utrum ideo, quia similes sibi partes sunt, et aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur. Quod cum ita esse compererit, interrogabo, utrum hanc ipsam unitatem, quam convincuntur appetere, summè impleant, an longè infra jaceant, et eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est, quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus, quod non habeat unitatis qualecumque vestigium; neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessariò aliud alibi habeat, posse assequi eam, quam sequitur unitatem? quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat: quam si non videret, unde cognosceret, et quid imitaretur corporum species, et quid implere non posset? Nunc verò cum dicit corporibus: Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis: et rursus si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis, rectè illi dicitur: Unde illam nosti unitatem, secundùm quam judicas corpora, quam nisi videres, judicare non posses quod eam non impleant: si autem his corporeis oculis eam videres, non verè diceres, quanquam ejus vestigio teneantur, longè tamen ab ea distare? nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vides. Mente igitur eam videmus.

Item [1] cum arcum pulchrè ac æquabiliter intortum, quem

[1] Lib. 9, de Trinit., cap. 6.

vidi, verbi gratia, Carthagine, animo revolvo, res quædam menti nuntiata per oculos, memoriæque transfusa, imaginarium conspectum facit. Sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet : unde etiam si displiceret, corrigerem. Itaque de istis secundum illam judicamus, et illam cernimus rationalis mentis intuitu. Ista verò aut præsentia sensu corporis tangimus, aut imagines absentium fixas in memoria recordamur, aut ex earum similitudine talia fingimus, qualia nos ipsi, si vellemus atque possemus, etiam opere moliremur. Aliter enim figurantes animo imagines corporum, aut per corpus corpora videntes : aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes. [1] Unde etiam phantasias rerum corporalium per corporis sensum haustas, et quodammodo infusas memoriæ, ex quibus etiam ea quæ non visa sunt, ficto phantasmate cogitantur, sive aliter quàm sunt, sive fortuitu sicuti sunt, aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare convincimur, cum rectè aliquid approbamus aut improbamus. Nam et cum recolo Carthaginis mœnia, quæ vidi, et cum fingo Alexandriæ mœnia, quæ non vidi, easdemque imaginarias formas quasdam quibusdam præferens, rationabiliter præfero, viget et claret desuper judicium veritatis, ac sui juris incorruptissimis regulis firmum est. [2] In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundùm quam sumus, et secundùm quam vel in nobis vel in corporibus verâ et rectâ ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus. [3] Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines, *ut jam dixi superiùs*, in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua : et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici supernos numeros intuenti.

[1] Lib. 9, de Trinit., c. 6. — [2] Ib., c. 7. — [3] L. 2, de Lib. arb., c. 16.

Illud [1] etiam, quod animus, tantum quia est animus, etiam nondum eo modo bonus, quo se convertit ad incommutabile bonum : sed, ut dixi, tantùm animus, cum ita nobis placet, ut eum omni etiam luci corporeæ, cum bene intelligimus, præferamus, non in seipso nobis placet, sed in illa arte, quâ factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus. Hæc est veritas, et simplex bonum. [2] Hoc est bonum nostrum, ubi videmus utrum esse debuerit aut debeat quicquid esse debuisse aut debere comprehendimus : et ubi videmus esse non potuisse nisi esse debuisset, quicquid etiam quomodo esse debuerit comprehendimus.

Aliter [3] *igitur* unusquisque homo loquendo enuntiat mentem suam, quid in seipso agatur attendens, aliter autem humanam mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cum mihi de sua propria loquitur, utrum intelligat hoc aut illud, aut non intelligat, et utrum velit aut nolit hoc aut illud, credo. Cum verò de humana specialiter aut generaliter verum dicit, agnosco et approbo. Unde manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat : aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri, quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate consistere. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam : sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.

Reprehensor [4] *certè* iniquitatis esse non potest qui non cernit justitiam, cui comparatam reprehendat iniquitatem. Unde enim scis quia hoc injustum est, nisi scias quid sit justum ? quid si enim justum est et hoc, quod dicis injustum ? absit, inquies, injustum est, et clamas quasi videntibus oculis, videns hoc injustum esse utique ex aliqua

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid., lib. 9, cap. 6. — [4] In Psalm. 61.

regula justitiæ, cui comparans hoc quod vides pravum, et cernens non convenire rectitudini regulæ tuæ, reprehendis; tanquam artifex discernens justum ab injusto. Ergo quæro à te: Justum hoc esse unde vides? ubi, inquam, videbis hoc justum, quo viso, reprehendis injustum? unde illud nescio quid, quo aspergitur anima tua ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc quod coruscat menti tuæ? unde hoc justum? itàne non habet fontem suum?

Conspicimus [1] *itaque* incommutabilem formam justitiæ secundum quam hominem vivere oportere judicamus. [2] Nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat bene. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quæ ab ipsâ unâ fiunt singulæ sapientes, et non de ipsa, sed per ipsam de cæteris judices, sine dubitatione esse potiorem.

CAPUT XIII.

PROBATUR TERTIO VERITATEM ESSE QUALIBET INTELLECTUALI CREATURA PRÆSTANTIOREM, QUIA IPSAM PERFICIT SECUNDUM INTELLECTUM, QUEM INCREATA SUA LUCE FORMALITER ILLUSTRAT.

Transcende [3] *igitur* teipsum, sed memento, cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. [4] Omnis *enim* qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. *Nam* [5] obsecro te, cum ab exterioribus interiora distinguis, atque illa istis ineffabiliter anteponis; cumque istis foris relictis in illis intrinsecùs demoraris, et ea suis quibusdam incorporalibus finibus metiendo judicas, in nulla te putas, an in aliqua luce versari? Ego *certè* existimo quod tanta tibi et talia tam vera, tam clara, tam certa videri sine luce non possunt. [6] Convenienter *enim* lucem hanc dici concedit, quisquis concedit rectè dici lucem, qua res quæque manifesta est.

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 9. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 14. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 39. — [4] In Psalm. 41. — [5] Epist. 112, cap. 17. — [6] Lib. de Genes. ad Litt. Imperf., cap. 5.

Hoc [1] ergo lumen ubi hæc cuncta dijudicantur, non utique sicut hujus solis et cujusque corporei luminis fulgor per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram quasi visibili candore illustrat, sed invisibiliter et ineffabiliter, et tamen intelligibiliter lucet, tamque nobis certum est, quàm nobis efficit certa quæ secundùm ipsum cuncta conspicimus. [2] *Quapropter* cum cogitat et ratiocinatur *anima*, quicquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat. [3] Ideo nulla ratiocinatio *est*, *quando* non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare festinemus et ambulemus cum dies præsto est : ne nos tenebræ comprehendant. [4] Tenebræ *enim* metuendæ sunt, morum, non oculorum : et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum : unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum. [5] Dies *autem* est præsentia illius luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. [6] Animæ fiunt participes illius incommutabilis lucis non corpora. [7] Non enim *lucem* illam sapientiæ sentit corpus, sed mens rationalis. *Nam* nec omnis anima potest sentire sapientiam ; habet enim et pecus animam, sed pecoris anima non potest sentire sapientiam. [8] Ex ipsa homines illuminantur : pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam. [9] Licet eorum quibusdam ad istam lucem contuendam, multò quàm nobis sit acrior sensus oculorum : sed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens nostra quodammodo irradiatur ut de his omnibus rectè judicare possimus. Nam in quantum eam capimus, in tantum id possumus. [10] Est *ergo* quædam lux hominum, unde distant homines à pecoribus. Videamus, et tunc intelligemus quid sit lux hominum. Non distas à pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriari. Si ergo ideo

[1] Epist. 85. — [2] Lib. 2, de Ser. Dom. in monte. — [3] L. de Vera Relig., c. 52. — [4] Tract. 35, in Joann. — [5] Lib. de Vera Relig., c. 52. — [6] Tract. 23, in Joann. — [7] Ibid., Tract. 19. — [8] Ibid., Tract. 1. — [9] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27. — [10] Tract., 3, in Joann.

melior es pecude, quia habes mentem, quà intelligas, quod non potest pecus intelligere, [1] quà possis capere veritatem, quà possis justum ab injusto discernere : [2] inde autem homo, quia melior pecore : lux hominum est lux mentium. Lux mentium supra mentes est, et excedit omnes mentes, [3] quoniam lumen quod illuminat incomparabiliter excellentius est illo quod illuminatur. [4] Potest quidem *intellectus* dici lumen et bene dicitur et ipse lumen, sed illuminatum, non illuminans. Aliud est enim lumen quod illuminat, et aliud lumen quod illuminatur. [5] Nam et oculi nostri lumina dicuntur, et unusquisque ita jurat, tangens oculos super lumina sua : Sic vivant, lumina mea; usitata juratio est. Quæ lumina, si lumina sunt, desit lumen in cubiculo tuo clauso, pateant et luceant tibi : non utique possunt. Quomodo ergo ista in facie quæ habemus et lumina nuncupamus, et quando sana sunt et quando patent, indigent extrinsecùs adjutorio luminis : quo ablato et non illato, sana sunt, aperta sunt, nec tamen vident : sic mens nostra, quæ est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo *quod* illuminat, nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam, nec ad justitiam poterit pervenire. [6] Lumen autem illuminans à se ipso lumen est, et sibi lumen est et non indiget alio lumine ut lucere possit, sed ipso indigent cætera ut luceant. [7] Lumen ergo illud unde animæ tanquam lucernæ accenduntur, non alieno sed proprio splendore fulget, quod est ipsa veritas.

Illa [8] lux oculos cordis inquirit. [9] Est *enim* mentis oculus, est interior oculus. Non enim nullos oculos habebat et Tobias, quando cæcus oculis corporeis filio dabat præcepta vitæ. Ille patris manum tenebat ut pedibus ambularet, ille filio consilium dabat, ut viam justitiæ teneret. Et hìc oculos video, et hìc oculos intelligo. Et meliores oculi dantis vitæ consilium, quam oculi tenentis manum. [10] Tobias cæcus erat, et filium suum viam *justitiæ* docebat. Nostis enim, quia

[1] In Psalm. 36. — [2] Tract. 3, in Joann. — [3] Epist. 35. — [4] Tract. 14, in Joann. — [5] Ibid., Tract. 35. — [6] Tract. 14, in Joann. — [7] In Psalm. 7. — [8] In Psalm. 42. — [9] Tract. 13. — [10] In Psalm. 96.

Tobias filium suum admonebat et dicebat : *Fili, fac eleemosynas, quia eleemosynæ non permittunt ire in tenebras*; et loquebatur ille qui in tenebris erat. Videtis quia est alia lux quæ oritur justo, et rectis corde jucunditas? oculos non habebat, et filio suo dicebat : Fac eleemosynas, quia eleemosynæ non sinunt ire in tenebras? quare ille dicebat ista cum fiducia, nisi quia aliam lucem videbat? filius patri manum tenebat ut ambularet : sed pater filium viam docebat ut viveret. Est ergo alia lux, quæ oritur justo. [1]O lux quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, et ei præibat pede charitatis nusquam errans : aut quam videbat Isaac prægravatis et opertis senectute carneis luminibus, cum filios non agnoscendo benedicere, sed benedicendo agnoscere meruit : aut quam videbat Jacob, cum et ipse prægrandi ætate captus oculis, in filiis præsignata futuri populi genera luminoso corde radiavit : et nepotibus suis ex Joseph divexas mysticè manus non sicut pater eorum foris corrigebat, sed sicut ipse intus discernebat, imposuit. Ipsa est lux, una est, et alia non est, et unum omnes qui vident et amant eam.

Itaque [2] illud quod in Evangelio positum est, erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur nisi illo lumine veritatis, ne quisquam putaret ab eo se illuminari à quo aliquid audit ut discat, non dico si quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei contingat habere doctorem. [3]Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum, sed ut sentiat et cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 34. — [2] Lib. de Peccat. meritis et remiss., c. 25. — [3] Ibid.

CAPUT XIV.

VERITATEM, ET QUIDEM SOLAM DOCERE NOS, EX DICTIS OSTENDITUR, CUM IPSA SIT ET SOLA QUIDEM, QUAM INTUS MENS NOSTRA CONSULIT CUM APUD SEMETIPSAM, UTRUM VERUM SIT ALIQUID, AN FALSUM, ATTENTE CONSIDERAT; HOMINES AUTEM ESSE TANTUM MONITORES.

De [1] universis *igitur* quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est, id est, incommutabilis ac sempiterna Sapientia : quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam sive malam sive bonam voluntatem potest. Et si quando fallitur non fit vitio consultæ veritatis, ut neque hujus quæ foris est lucis vitium est, quòd corporei oculi sæpe falluntur : quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis quantum cernere valemus, ostendat. Quod si et de coloribus lucem, et de cæteris, quæ per corpus sentimus, elementa hujus mundi eademque corpora sentimus, sensusque ipsos quibus tanquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur : de iis autem quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus: quid dici potest, unde clareat, verbis nos aliquid discere, præter ipsum qui aures percutit sonum? namque omnia quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus. Illa sensibilia, hæc intelligibilia, sive ut more nostrorum auctorum loquar, illa carnalia, hæc spiritalia nominamus. De illis dum interrogamur, respondemus, si præsto sunt ea quæ sentimus: velut cum à nobis quæritur intuentibus lunam novam, qualis aut ubi sit. Sic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, et sæpe non credit. Discit autem nullo modo, nisi et ipse quod dicitur videat; ubi jam non verbis quæ sonuerunt, sed rebus ipsis et sensibus discit. Nam verba eadem sonant videntī, quæ non videnti etiam sonue-

[1] L. de Magistro, cap. 11.

rant. Cum vero non de iis, quæ coram sentimus, sed de iis quæ aliquando sensimus quæritur, non jam res ipsas, sed imagines ab eis impressas memoriæque mandatas loquimur: quæ omnino quomodo vera dicamus, cum falsa intueamur, ignoro; nisi quia non nos ea videre ac sentire, sed vidisse ac sensisse narramus. Ita illas imagines in memoriæ penetralibus rerum ante sensarum quædam documenta gestamus, quæ animo contemplantes bona conscientia non mentimur, cum loquimur; sed nobis sunt ista documenta : is autem qui audit, si ea sensit atque affuit, non discit meis verbis, sed recognoscit allatis secum et ipse imaginibus. Si autem ille non sensit, quis non eum credere potius verbis quàm discere intelligat? cum vero de iis agitur quæ mente conspicimus, id est, intellectu atque ratione, ea quidem loquimur quæ præsentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur et fruitur : sed tunc quoque noster auditor, si et ipse illa secreto ac simplici oculo videt; novit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem doceo vera dicens, vera intuentem; docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo intùs pandente, manifestis. Itaque de his etiam interrogatus respondere posset. Quid autem absurdiùs, quàm eum putare locutione mea doceri, qui posset antequam loquerer, ea ipsa interrogatus exponere? nam quod sæpe contingit, ut interrogatus aliquid neget, atque ad id fatendum aliis interrogationibus urgeatur, fit hoc imbecillitate cernentis, qui de re tota illam lucem consulere non potest : quod ut partibus faciat admonetur, cum de istis partibus interrogatur, quibus illa summa constat, quam totam cernere non valebat. Quo si verbis perducitur ejus qui interrogat, non tamen docentibus verbis, sed eo modo inquirentibus, quomodo est ille, à quo quæritur, intus discere idoneus : velut si abs te quærerem hoc ipsum quod agitur, utrumnam verbis doceri nihil possit, et absurdum tibi primo videretur non valenti totum conspicere. Sic ergo quærere oportuit, ut tuæ sese vires habeant ad audiendum illum intus magistrum, ut dicerem : Ea quæ me loquente vera esse confiteris et certus es, et te illa nosse confirmas, unde didicisti ? res-

ponderes fortasse quòd ego docuissem. Tum ego subnecterem : Quid si me hominem volantem vidisse dicerem, itane te certum verba mea redderent, quemadmodum si audires sapientes homines stultis esse meliores? negares profectò, et responderes, illud te non credere, aut etiam, si crederes, ignorare, hoc autem certissime scire. Ex hoc jam nimirum intelligeres, neque in illo quod me affirmante ignorares, neque in hoc quod optime scires aliquid te didicisse verbis meis, quandoquidem etiam interrogatus de singulis, et illud ignotum, et hoc tibi notum esse jurares. Tum vero totum illud quod negaveras fatereris, cum hæc ex quibus constat clara et certa esse cognosceres, omnia scilicet quæ loquimur, aut ignorare auditorem utrum vera sunt, aut falsa esse non ignorare, aut scire vera esse. Horum trium in primo aut credere, aut opinari, aut dubitare : in secundo adversari atque renuere : in tertio attestari : nusquam igitur discere. Quia et ille qui post verba nostra rem nescit, et qui se falsa novit audisse, et qui posset interrogatus eadem respondere quæ dicta sunt, nihil verbis meis didicisse convincitur.

Quamobrem in iis etiam quæ mente cernuntur, frustra cernentis loquelas audit quisquis ea cernere non potest, nisi quia talia quamdiu ignorantur utile est credere. Quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris judex loquentis, vel potius ipsius locutionis. Nam plerumque scit illa quæ dicta sunt, eo ipso nesciente qui dixit : veluti si quisquam Epicureis credens, et mortalem animam putans, eas rationes quæ de immortalitate ejus à prudentioribus tractatæ sunt, eloquatur, illo audiente qui spiritalia contueri potest; judicat iste eum vera dicere. At ille qui dicit, utrum vera dicat ignorat, imò etiam falsissima existimat. Num igitur putandus est ea docere, quæ nescit? Atqui iisdem verbis utitur, quibus uti etiam sciens posset. Quare jam ne hoc quidem relinquitur verbis, ut his saltem loquentis animus indicetur. Siquidem incertum est utrum ea quæ loquitur sciat. Adde mentientes atque fallentes, per quos facilè intelligas non modo non aperiri, verum etiam occultari animum verbis. Nam nullo modo ambigo id conari

verba veracium, et id quodammodo profiteri, ut animus loquentis appareat; quòd obtinerent omnibus concedentibus, si loqui mentientibus non liceret. Quanquam sæpe experti fuerimus et in nobis et in aliis, non earum rerum quæ cogitantur verba proferri : *adeo ut* [1] verbis liquidissimè aure perceptis et latinis non valeamus, cum ejusdem linguæ simus, loquentium cogitata cognoscere. [2] Sed ecce jam remitto et concedo, cum verba ejus audita cui nota sunt, accepta fuerint, posse illi esse notum de iis rebus, quas significant loquentem cogitavisse : num ideo etiam quod nunc quæritur, utrum vera dixerit, discit? [3] Num hoc magistri profitentur, ut cogitata eorum, ac non ipsæ disciplinæ, quas loquendo se tradere putant, percipiantur atque teneantur? Nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in scholam, ut quid magister cogitet discat? At istas omnes disciplinas, quas se docere profitentur, ipsiusque virtutis atque sapientiæ cum verbis explicaverint; tum illi qui discipuli vocantur, utrum vera dicta sint apud semetipsos considerant, interiorem scilicet illam veritatem pro viribus intuentes. Tunc ergo discunt. Et cum vera dicta esse intùs invenerint, laudant, nescientes non se doctores potius laudare, quàm doctos, si tamen et illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, ut eos qui non sunt magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis et tempus cognitionis, nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis cito intùs discunt, foris se ab eo qui admonuit, didicisse arbitrantur.

CAPUT XV.

PROBATUR QUARTO VERITATEM ESSE CREATURA QUALIBET INTELLECTUALI PRÆSTANTIOREM, QUIA IPSAM PERFICIT SECUNDUM VOLUNTATEM; CUM CREATURA INTELLECTUALIS BONA, JUSTA, SAPIENS, AC BEATA NON FIAT, NISI VIRTUTIBUS INCREATIS INHÆRENDO, QUÆ IN ÆTERNA VERITATE FULGENT.

Quæramus [4] *iterum* quid sit homine, *proindeque creaturâ etiam intellectuali,* melius. Quod profecto invenire difficile

[1] Lib. de Magistro, cap. 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid., c. 14. — [4] Lib. de Moribus Eccles., cap. 4.

est, nisi prius considerato atque discusso quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis à me postulandam puto. Illud est magis quod mihi hoc loco quærendum videtur, cum inter omnes penè constet, aut certe id quod satis est, inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conveniat, ex anima et corpore nos esse compositos. Quid est ipse homo? utrumque horum quæ nominavi, an corpus tantummodo, an tantummodo anima? [1]Difficile est istam controversiam dijudicare, aut si ratione facile, oratione longum est. Quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Sive enim utrumque, sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corporis simul et animæ, aut soli animæ optimum est, id est optimum hominis.

Corporis autem si quærimus quid optimum sit, id certe ratio cogit fateri: per quod fit ut sese corpus quàm optime habeat. Nihil est autem omnium quæ vegetat corpus, anima melius atque præstantius. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indolentia, non vires, non pulchritudo, non velocitas, et si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam et ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, et quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, sive animam simul et corpus, sive animam solam hominem dicimus. [2]Ut enim corporis summum bonum id invenit ratio, quod est corpore melius, et quo ei vigor et vita præbetur : ita sive corpus et anima, sive anima ipsa per se homo sit, inveniendum est si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quantum potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profecto quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

Nemo [3] autem dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissime quæri potest, utrum ista virtus etiam per se, an nisi in anima esse non possit. Oboritur

[1] Lib. de Moribus Eccles., cap. 4. — [2] Ibid., cap. 5. — [3] Ibid., cap. 6.

iterum altissima et longissimi sermonis indigens quæstio : sed hoc bene utar fortasse compendio : spero Deum adfuturum, ut quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modo dilucidè, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per se esse possit virtus sine anima, sive nisi animæ inesse non possit, proculdubio aliquid anima sequitur, ut virtutem assequatur. Id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si seipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur. Stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur assequatur. Aut igitur optabit non assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius et perversius dici potest : aut cum se sequitur stulta, eamdem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens, quomodo sequitur id quod non est? aut quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam, aut si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum, et quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci : quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis compos fit, aut homo sapiens est, aut *ipsa Sapientia.* Sed supra dictum est, tale quiddam esse debere, quod inviti amittere nequeamus. Quis vero cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modo recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? *Sapientia* igitur restat, quam si sequimur, bene : si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus.

Beati [1] *certè* omnes esse volumus. Quod nisi certa notitia nosceremus, non tam certa voluntate vellemus. Sed quid est hoc, quod si quæratur à duobus, utrum militare velint, fieri possit ut alter eorum velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quæratur, utrum beati esse velint, uterque

[1] Lib. 10, Confess., cap. 21.

statim se sine ulla dubitatione dicat optare; nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi ut beati sint? Nam fortè quoniam alius hinc, alius inde gaudet; ita se omnes beatos esse velle consonant, quemadmodum consonarent, si hoc interrogarentur, se velle gaudere, atque ipsum gaudium vitam beatam vocant. Quod etsi alius hinc, alius illinc assequitur, unum est tamen quò pervenire omnes nituntur ut gaudeant. [1] Quæro *etiam* ab omnibus, utrum malint de veritate quàm de falsitate gaudere : tam non dubitant dicere de veritate se malle, quàm non dubitant dicere beatos esse se velle. Beata quippe vita est gaudium de veritate. [2] Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum qui velint fallere, qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? amant enim et ipsam, quia falli nolunt. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quàm de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem. [3] Quid *ergo* fortiùs desiderat anima, quàm veritatem?

Ecce tibi [4] est ipsa veritas. Amplectere illam si potes, et fruere illa, et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius, quàm ut beatus sis? et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate? an vero clamant homines beatos se esse, cum pulchra corpora magno desiderio concupita, sive conjugum, sive etiam meretricum amplexantur; et nos in amplexu veritatis beatos esse dubitamus? clamant homines se beatos esse, cum æstu aridis faucibus ad fontem abundantem salubremque perveniunt, aut esurientes prandium cœnamve ornatam copiosamque reperiunt : et nos negabimus beatos esse, cum irrigamur pascimurque veritate? solemus audire voces clamantium se beatos, si jaceant in rosis aliisque floribus , vel unguentis odoratissimis perfruantur. Quid fragrantius, quid jucundius inspiratione

[1] Lib. 10, Confess. , cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Tract. 26 , in Joann. — [4] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 13.

veritatis? et dubitamus nos cum ab illa inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, et nervorum, et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt, se miseros judicant, cum autem assunt, efferuntur lætitia : et nos cum mentibus nostris sine ullo strepitu, ut ita dicam, canorum et facundum quoddam silentium veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, et tam certa et præsente non fruimur? luce auri et argenti, luce gemmarum et aliorum colorum, sive ipsius lucis quæ ad hòs oculos pertinet, sive in ignibus terrenis, sive in stellis et luna vel sole, claritate et jucunditate delectari homines, cum ab ista lætitia nullis molestiis, nulla indigentia revocantur, beati sibi videntur, et propter hæc semper volunt vivere : et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? imò vero quoniam in veritate cognoscitur et tenetur summum bonum, eaque veritas sapientia est, cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono. Hæc enim veritas ostendit omnia bona, quæ vera sunt. [1]Eique inhærens anima tanquam obliviscitur cætera , et in illa simul omnibus fruitur. Quicquid enim jucundum est in cæteris veris, ipsa utique veritate jucundum est. Hæc est libertas nostra, cum isti subdimur veritati. [2]Ipsa enim Veritas etiam homo cum hominibus loquens ait, credentibus sibi : Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Nulla enim re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in iis bonis quæ potest invitus amittere : veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest : sed ea quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens.

Veritate [3] *igitur* atque sapientia, quæ communis est omnibus, omnes sapientes et beati fiunt inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus, quia et

[1]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 13. — [2]Ibid. — [3]Ibid., cap. 19.

cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur : sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiâque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.

Aliud [1] *certè* est castitas, aliud castum, et multa in hunc modum. Quid horum duorum putas esse præstantius? [2] cogitemus, si possumus, quid est amplius, verax an veritas? de quibusdam quæramus plus est, pius homo an pietas? Sed plus est ipsa pietas; pius enim à pietate, non pietas à pio; potest enim esse pietas, etsi ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit. Quid item pulcher et pulchritudo? plus est pulchritudo, quàm pulcher; pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem. Castus et castitas? castitas plane plus est, quàm castus; si enim castitas non esset, unde esset iste castus non haberet : si autem noluerit esse castus, castitas integra perseverat. [3] Quid *enim* cum castus aliquis moritur, censes mori etiam castitatem? nonne tibi videtur non mori casto mortuo castitatem?

Virtus [4] igitur incommutabilis est, anima mutabilis. Quando capit anima ex *aliquo* unde sit bona, participando fit bona, quomodo tuus oculus participando videt : nam lumine subtracto non videt, cujus particeps factus videt. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet cujus erat particeps bona : bonitatis enim cujusdam particeps facta est cum bona esset, quâ mutatâ in pejus, integra bonitas permanet. Si recedat anima et mala fiat, non minuitur bonitas : si revertatur et bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis hujus, et vides : clausus est? hanc lucem non minuisti : apertus est? hanc lucem non auxisti.

[1] Lib. 1, Soliloq., cap. 15. — [2] Tract. 39, in Joann. — [3] Lib. 1, Soliloq., cap. 15. — [4] Tract. 39, in Joann.

Non [1] est verò aliunde sapiens Angelus, aliunde homo; aliunde ille verax, aliunde homo; sed ab una incommutabili sapientia et veritate. [2] Lumen quippe verum quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat et omnem Angelum mundum, ut sit lux non in se ipso, sed in *illo lumine*, à quo si avertitur Angelus fit immundus, sicut sunt omnes qui vocantur immundi spiritus, nec jam lux in *lumine veritatis*, sed in seipsis tenebræ privati participatione lucis æternæ. [3] *Quapropter* omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat; non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat.

CAPUT XVI.

PROBATUR QUINTO, VERITATEM ESSE QUALIBET INTELLECTUALI CREATURA PRESTANTIOREM, QUIA CREATURA QUÆLIBET INTELLECTUALIS FIT PULCHRA SUMMAM ET PERFECTAM PULCHRITUDINEM DILIGENDO, QUÆ IN IPSA CONSPICITUR, ET EX CUJUS AMORE MOVEMUR AD HOMINES, QUOS JUSTOS ESSE CREDIMUS, DILIGENDOS; LICET PLERUMQUE CORPORE SINT DEFORMES.

Nihil [4] *etiam* est pulchrius ipsâ intelligibili atque incommutabili veritate, [5] qua ipse animus informatur, et per quam omnia sapientis facta pulchra esse judicamus. [6] Quid, *quæso*, est, quod in sensibili numerositate diligimus? num aliquid præter parilitatem quamdam et æqualiter dimensa intervalla? An pyrrhichius pes, sive spondeus, sive anapæstus, sive dactylus, sive proceleumaticus, sive dispondeus nos aliter delectaret, nisi partem suam parti alteri æquali divisione conferret? quid vero iambus, trochæus, tribrachus pulchritudinis haberent, nisi quod minore sua parte majorem suam partem in tantas duas æqualiter dividunt? Jam porrò sex temporum pedes, num aliunde blandius sonant atque festivius, nisi quod utraque lege partiuntur, scilicet, aut in

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 55. — [2] Lib. 11, de Civit., cap. 9. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 55. — [4] Epist. 56. — [5] Ibid. — [6] Lib. 6, Musicæ, cap. 10.

duas æquales partes terna tempora possidentes, aut in unam simplam ex æqualibus partem et alteram duplam, id est, ut major habeat bis minorem, et eo modo ab illa dividatur æqualiter, duobus temporibus quatuor tempora in bina dimetiente atque secante. [1]Ita in omnibus pedibus nulla pars minima est alicujus dimensionis articulo notata, cui non cæteræ quanta possunt æqualitate consentiant. Age in conjunctis pedibus, sive libera perpetuitate porrigatur ista conjunctio, sicut in rhythmis : sive ab aliquo certo fine revocetur, sicut in metris : sive etiam in duo membra quadam lege sibimet congruentia tribuatur, sicut in versibus; qua tandem alia re nisi æqualitate pes pedi amicus est? [2]Cur in silentiorum intervallis nulla fraude sensus offenditur : nisi quia eidem juri æqualitatis, etiam si non sono, spatio tamen temporis quod debetur exsolvitur? cur sequente silentio etiam brevis syllaba pro longa accipitur, non instituto, sed ipso naturali examine, quod auribus præsidet; nisi quia in spatio temporis longiore sonum coarctare in angustias eadem illa æqualitatis lege prohibemur? Itaque syllabam ultra duo tempora producere, ut jam sono impleatur quod silentio impleri potest, admittit natura audiendi et tacendi. Ut autem minus quàm duo tempora occupet syllaba dum restat spatium tacitis nutibus, quædam fraus æqualitatis est, quia minus quàm in duobus esse æqualitas non potest. Jam vero in ipsa æqualitate membrorum qua variantur illi ambitus, quos Græci περιόδους vocant, versusque figurantur, quomodo ad eamdem æqualitatem secretius reditur, nisi ut in ambitu brevius membrum majori æqualibus pedibus ad plausum conveniat, et in versu occultiore consideratione numerorum, ea quæ in æqualia membra junguntur, vim æqualitatis habere inveniantur. [3]An *etiam* aliud quam æqualitatem numerosam esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent : quæ autem singula sunt, medium locum tenent, ut ad ea de utraque parte paria intervalla serventur? [4]Hæc igitur pulchra numero placent, in quo jam ostendimus æqualitatem appeti. Non

[1] Lib. 6, Musicæ, cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 13. — [4] Ibid.

enim hoc tantum in ea pulchritudine quæ ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur, sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus jam usitatius dicitur pulchritudo. *Nam* [1] rationabile *quidem* esse dixerunt doctissimi viri, quod ratione factum esset, aut dictum, *quia* cum aliquid videmus congruentibus sibi partibus figuratum, non absurde dicimus rationabiliter apparere. Itemque cum aliquid bene concinere audimus, non dubitamus dicere quod rationabiliter sonat : *cum* [2] nemo non rideatur, si dixerit, rationabiliter olet, aut rationabiliter sapit, aut rationabiliter molle est; nisi forte in iis, quæ propter aliquid ab hominibus procurata sunt ut ita olerent, vel saperent, vel ferverent, vel quid aliud. Ut si quis locum, unde gravibus odoribus serpentes fugantur, rationabiliter dicat ita olere, causam intuens quare sit factum : aut poculum quod medicus confecerit, rationabiliter amarum esse vel dulce : aut quod temperari languido solium jusserit, calere rationabiliter aut tepere. [3] Sicque tenemus quædam vestigia rationis in sensibus et quod ad visum atque auditum pertinet, in ipsa etiam voluptate : *cum* alii sensus non in voluptate sua, sed propter aliquid aliud soleant hoc nomen exigere : id autem est rationalis animantis factum propter aliquem finem. Sed ad oculos quod pertinet, in quo congruentia partium rationabilis dicitur, pulchrum appellari solet. [4] Quid *enim* est corporis pulchritudo, *nisi* congruentia partium cum quadam coloris suavitate? [5] Quod vero ad aures, quando rationabilem concentum dicimus, cantumque numerosum rationabiliter esse compositum : suavitas vocatur proprio jam nomine. Sed neque in pulchris rebus cum nos color illicit, neque in aurium suavitate, cum pulsa chorda quasi liquide sonat atque pure, rationabile illud dicere solemus. Restat ergo ut in istorum sensuum voluptate, id ad rationem pertinere fateamur, ubi quædam dimensio est atque modulatio. Itaque in hoc ipso ædificio singula bene considerantes, non possumus non offendi quod

[1] Lib. 2, de Ord., cap. 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Epist. 151. — [5] Lib. 2, de Ord., cap. 11.

unum ostium videmus in latere, alterum propè in medio, nec tamen in medio collocatum. Quippe in rebus fabricatis, nulla cogente necessitate, iniqua dimensio partium facere ipsi aspectui velut quamdam videtur injuriam. Quod autem intus tres fenestræ, una in medio, duæ a lateribus, paribus intervallis solis lumen infundunt, quàm nos delectat diligentius intuentes, quamque in se animum rapit, manifesta res est, nec multis verbis vobis aperienda. Unde ipsi architecti jam suo verbo, rationem istam vocant : et partes discorditer collocatas dicunt non habere rationem. Quod late patet, ac pene in omnes artes operaque humana diffunditur. Jam in carminibus, in quibus item dicimus esse rationem ad voluptatem aurium pertinentem, quis non sentiat dimensionem esse totius hujus suavitatis opificem? *Sed et* [1]ordinem diligit anima etiam numeris sensualibus attestantibus. [2]Nonne *enim* sensualibus numeris dandum est, quod cum tantum temporis occupent, verbi gratia, octo longæ syllabæ, quantum sedecim breves, in eodem tamen spatio breves, longis potius misceri expectant? de quo sensu cum ratio judicat, et ei proceleumatici pedes esse æquales spondei pedibus renunciantur, nihil aliud hic valere invenit, quàm ordinationis potentiam, quia nec longæ syllabæ nisi brevium comparatione longæ sunt, nec breves rursum breves sunt, nisi comparatione longarum : ideoque iambicus, versus quamlibet productius pronunciatus, non amissa regula simpli et dupli, nec nomen amittit : at ille versus qui pyrrhichiis pedibus constat, paulatim addita pronuntiandi mora, fit repente spondaicus, si non grammaticam, sed musicam consulas. At vero si dactylicus aut anapæsticus sit, quoniam longæ mixtarum brevium comparatione sentiuntur, qualibet mora pronuntietur, servat nomen suum. Quid additamenta semipedum? non eadem lege in capite qua in fine servanda, nec omnia quamvis ad eumdem plausus coaptentur, adhibenda. Quid duarum aliquando brevium, potius quam unius longæ in fine positio ? nonne ipso sensu modificantur? nec in his æqualitatis numerus,

[1]Lib. 6, Musicæ, cap. 14. — [2]Ibid.

cui nihil deperit, sive illud sive aliud sit, sed ordinis vinculum reperitur. Longum est percurrere cætera ad eamdem vim pertinentia in numeris temporum. Sed nempe etiam formas visibiles sensus ipse aspernatur, aut pronas ultra quàm decet, aut capite deorsum, et similia in quibus non inæqualitas, manente partium parilitate, sed perversitas improbatur. Postremò in omnibus sensibus et operibus nostris, cum insolita pleraque, et ob hoc injucunda quibusdam gradibus appetitui nostro conciliamus, et ea primo tolerabiliter, deinde libenter accipimus, nonne ordine conteximus voluptatem, et nisi priora mediis et media postremis concorditer nexa sint, abhorremus.

Nihil[1] *igitur* est horum sensibilium, quod nobis non æqualitate, aut similitudine placeat. [2]Numerus enim æqualitate ac similitudine pulcher est.

Hæc[3] *autem æqualitatis ac similitudinis* forma ubi vera melior, an ubi falsa? quis dubitet ubi vera est, esse meliorem? ubi ergo vera est? in animo scilicet. [4]Quærit *enim* ratio, et carnalem animæ delectationem, quæ judiciales partes sibi vendicabat, interrogat, cum eam spatiorum temporalium numeris æqualitas mulceat, utrum duæ syllabæ breves quascumque audierit vere sint æquales : an fieri possit ut una earum edatur productius, non usque ad longæ syllabæ modum, sed infra quantumlibet, quo tamen excedat sociam suam? Num negari potest fieri posse, cum hæc delectatio ista non sentiat, et inæqualibus velut æqualibus gaudeat? quo errore et inæqualitate quid turpius? [5]Cum etiam, *ut alibi jam dictum est*, in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva et pulchra sunt omnia, ipsa vero convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium : quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse : cum omnia vel de specie in speciem, vel

[1] Ibid., cap. 13. — [2] Ibid., cap. 17. — [3] Epist. 151. — [4] Lib. 6, Musicæ, cap. 10. — [5] Lib. de Vera Relig., c. 30.

de loco in locum transeundo mutentur, et partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera et prima unitas, non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. [1]In qua *igitur* parte animi est ista veritas? in mente atque intelligentia. [2]Ex quo admonemur ab his avertere gaudium, quæ imitantur æqualitatem, et utrum impleant, comprehendere non possumus : imo quod non impleant fortasse comprehendimus. Et tamen inquantum imitantur, pulchra esse in suo genere et ordine suo, negare non possumus. [3]Hæccine amare facile est animæ, in quibus nihil nisi æqualitatem ac similitudinem appetit, et paulo diligentius considerans, vix ejus extremam umbram vestigiumque cognoscit : *Illud* [4] verò amare difficile est, *quod* inquantum potest, adhuc saucia et sordida cogitans, nihil in eo inæquale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur? an extruere moles ædificiorum, et hujuscemodi operibus delectat extendi, in quibus quid nisi numeri placent? non enim aliud invenio quod in his æquale ac simile dicatur, quod non derideat ratio disciplinæ. Quod si ita est, cur ab illa verissima æqualitatis arce ad ista delabitur, et ruinis suis terrenas machinas erigit?

CAPUT XVII.

EJUSDEM ARGUMENTI CONTINUATIO.

Dic [5]*rursus*, oro te, num possumus amare nisi pulchra? nam etsi quidam videntur amare deformia, quos vulgo Græci σαπροφίλους vocant, interest tamen quanto minus pulchra sint quàm illa quæ pluribus placent. Nam ea neminem amare manifestum est, quorum fœditate sensus offenditur. [6]Quod *autem* non videtur hoc plus amatur; constat

[1]Epist. 151. — [2]Lib. 6, Musicæ, cap. 10. — [3]Ibid., cap. 14. — [4]Ibid. — [5]Ibid. cap. 13. — [6]Tract. 32, in Joann.

enim plus amari hominem interiorem quàm exteriorem : unde hoc constat? Unusquisque in seipso probet. Quamvis enim qui malè vivunt, animos suos corpori addicant, vivere tamen volunt, quod non est nisi animi : magisque seipsos indicant qui regunt, quàm illa quæ reguntur. Regunt enim animi, reguntur corpora. Gaudet unusquisque voluptate, et capit de corpore voluptatem : sed separa animum, nihil restat in corpore quod gaudeat, et si de corpore gaudet, animus gaudet. Si gaudet de domo sua, de se non debet gaudere ? et si habet animus unde delectetur extrinsecus, sine deliciis manet intrinsecus ? Omnino constat plus amare hominem animam suam quàm corpus suum. Sed et in alio homine plus amat homo animam quàm corpus. Quid enim amatur in amico, ubi est amor sincerior et castior? quid amatur in amico, animus an corpus? si fides amatur, animus amatur : si benevolentia amatur, benevolentiæ sedes animus est. Si hoc amas in altero, quia et ipse amat te, animum amas, quia non caro, sed animus amat. Ideo enim amas, quia te amat : quære unde te amet, et vides quid amas : plus ergo amatur et non videtur. Aliquid etiam volo dicere, ubi magis appareat Dilectioni vestræ quantum ametur animus, et quemadmodum corpori præponatur. Illi ipsi lascivi amatores, qui pulchritudine corporum delectantur, et forma membrorum accenduntur, tunc amant amplius quando amantur : nam si amet et sentiat quia odio habetur, magis irascitur quàm diligit. Quare magis irascitur quam diligit? quia non ei redditur quod impendit. *Atque ita cum* [1]per certos numeros temporum in locorum numerum moles coaptatur, ut suas regiones quæque membra occupent, et si modum parilitatis servaverint, luce coloris adjuncta nascitur corpus quod formosum vocatur, et à suis dilectoribus amatur acerrime : non tamen in eo plus placet forma quæ movetur, quàm vita quæ movet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentius : si oderit autem, succensemus, et ferre non possumus, etiam si formam ipsam præbeat fruenti. [2]Si ergo ipsi corporum amatores redamari se volunt, et

[1] Lib de Vera Relig., cap. 40. — [2] Tract. 32, in Joann.

hoc magis eos delectat si amentur ; quales sunt amatores animorum? et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores *illius, quod* pulchros animos facit? sicut enim animus facit decus in corpore, sic *virtus* in animo. Non enim facit corpori unde ametur nisi animus : qui cum migraverit, cadaver horrescis, et quantumcumque pulchra illa membra dilexeris, sepelire festinas. Decus ergo corporis animus : decus animi *virtus*? [1]*Sicque* homo interior exteriorem respicit, et in sua comparatione fœdum videt, in proprio tamen genere pulchrum. [2]Et ille quidem interior invisibilis, exterior autem visibilis : sed melior interior, quàm exterior.

[3]Habes duos servos, unum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas, et video te amare invisibilia. Quid ergo ? quando plus amas servum fidelem, licet corpore deformem, quam pulchrum infidelem, errasti, et fœda pulchris præposuisti? utique non ; sed pulchriora fœdis præposuisti. Contempsisti enim oculos carnis, et erexisti oculos cordis. Interrogasti oculos carnis, et quid tibi renuntiaverunt? ille pulcher est, ille fœdus. Repulisti eos, eorum testimonium reprobasti, erexisti oculos cordis in servum fidelem, et non in servum pulchrum. Illum invenisti fœdum carne, illum pulchrum, sed pronuntiasti et dixisti, quid fide pulchrius ? quid infidelitate deformius ?

[4]Interrogo jam utrum ames justitiam? respondebis amo. [5]Consideremus *enim* cur diligamus Apostolum. Numquidnam propter humanam speciem quam notissimam habemus, eo quòd credimus eum hominem fuisse ? non utique. Alioquin nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille jam non est. Anima enim ejus à corpore separata est. Sed id quod in illo amamus, etiam nunc vivere credimus. Amamus enim animum justum. Ex qua ergo generali aut speciali regula, nisi quia scimus et quid sit animus, et quid sit justus ? Et animus quidem quid sit, non incon-

[1]Lib. de Vera Relig., cap. 40. — [2]Tract. 32, in Joann. — [3]Serm. 17, de Verbis Apost. — [4]Ibid. — [5]Lib. 8, de Trinit., cap. 6.

gruè nos dicimus ideo nosse, quia et nos habemus animum. Neque enim unquam oculis vidimus, et ex similitudine visorum plurium, notionem generalem specialemve percepimus, sed potius ut dixi, quia et nos habemus. Quid enim tam intime scitur, seque ipsum esse sentit, quam id quo etiam cætera sentiuntur, id est, ipse animus? Nam et motus corporum, quibus præter nos alios vivere sentimus, ex nostra similitudine agnoscimus : quia et nos ita movemus corpus vivendo, sicut illa corpora moveri advertimus. Neque enim cum corpus vivum movetur, aperitur ulla via oculis nostris ad videndum animum, rem scilicet quæ oculis videri non potest : sed illi moli aliquid inesse sentimus, quale nobis inest ad movendum similiter molem nostram, quod est vita et anima. Neque enim quasi humanæ prudentiæ rationisque proprium est. Et bestiæ quippe sentiunt vivere, non tantùm seipsas, sed etiam se invicem atque alterutrum, et nos ipsos. Nec animas nostras vident, sed ex motibus corporis, idque statim et facillimè quadam conspiratione naturali. Animum igitur cujuslibet ex nostro novimus, et ex nostro credimus quem novimus. Non enim tantum sentimus animum, sed etiam scire possumus quid sit animus consideratione nostrî : habemus enim animum. Sed quid sit justus, undè novimus? Dixeramus enim nos Apostolum non alia causa diligere, nisi quòd sit justus animus. Novimus ergo et quid sit justus, sicut et quid sit animus. Sed quid sit animus (ut dictum est) novimus ex nobis, inest enim animus nobis : quid autem sit justus unde novimus, si justi non sumus? Quod si nemo novit quid sit justus nisi qui justus est, nemo diligit justum unquam nisi justus : non enim potest diligere quem justum esse credit, ob hoc ipsum, quia justum esse credit, si quid sit justus ignorat : secundum quòd superius demonstravimus neminem diligere quod credit et non videt, nisi ex aliqua regula notitiæ generalis sive specialis. Ac per hoc si non diligit justum nisi justus, quomodo volet quisque justus esse qui nondum est? Non enim vult quisquam esse quod nondum diligit. Ut autem sit justus qui nondum est, volet utique justus esse : ut autem velit, diligit justum. Diligit ergo justum et qui

nondum justus est. Diligere autem justum non potest, qui quid sit justus, ignorat. Proinde novit quid sit justus, etiam qui nondum est : ubi ergo novit? num oculis vidit? An ullum corpus justum velut album, aut nigrum, aut quadrum, aut rotundum? Quis hoc dixerit? At oculis non vidit nisi corpora. Justus autem in homine non est, nisi animus. Et cum homo justus dicitur, ex animo dicitur, non ex corpore. Est enim quædam pulchritudo animi justitia qua pulchri sunt homines, plerique etiam qui corpore distorti atque deformes sunt. Sicut autem animus non videtur oculis, ita nec pulchritudo ejus. Ubi ergo novit quid sit justus, qui nondum est, atque ut sit diligit justum? An signa quædam per motum corporis emicant, quibus ille aut ille homo esse justus apparet? Sed unde novit illa signa esse animi justi, nesciens quid omnino sit justus? Novit ergo. Sed ubi novimus quid sit justus, etiam cum justi nondum sumus? Si extra nos novimus, in corpore aliquo novimus. Sed non est ista res corporis. In nobis igitur novimus quid sit justus. Non enim alibi hoc invenio cum quæro ut hoc eloquar, nisi apud meipsum. Et si interrogem alium quid sit justus, apud seipsum quærit quid respondeat. Et quisquis hinc verum respondere potuit, apud seipsum quid responderet, invenit. Et Carthaginem quidem cum eloqui volo, apud meipsum quæro ut eloquar, et apud meipsum invenio phantasiam Carthaginis. Sed eam per corpus accepi, id est per corporis sensum, quoniam præsens in ea corpore fui, et eam vidi atque sensi, memoriaque retinui, ut apud me invenirem de illa verbum, cum eam vellem dicere. Ipsa enim phantasia ejus in memoria mea, verbum ejus, non sonus iste trisyllabus cum Carthago nominatur, vel etiam cum tacite nomen ipsum per spatia temporum cogitatur, sed illud quod in animo meo cerno, cum hoc trisyllabum voce profero, vel antequam proferam. Sic et Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, præsto est apud me phantasma ejus. Cum enim à multis audissem et credidissem magnam esse illam urbem, sicut mihi narrari potuit, finxi animo meo imaginem ejus quam potui : et hoc est apud me verbum ejus, cum eam volo dicere antequam voce quinque syl-

labas proferam, quod nomen ejus ferè omnibus notum est. Quam tamen imaginem si ex animo meo proferre possem ad oculos hominum qui Alexandriam noverunt, profecto aut omnes dicerent : Non est ipsa ; aut si dicerent : Ipsa est, multum mirarer, atque intuens in animo meo ipsam, id est imaginem quasi picturam ejus, ipsam tamen esse nescirem, sed eis crederem qui visam tenerent. Non autem ita quæro quid sit justus, nec ita invenio, nec ita intueor cum id eloquor; nec ita probor cum audior; nec ita probo cum audio, quasi tale aliquid oculis viderim, aut ullo corporis sensu didicerim, aut ab eis qui ita didicissent audierim. Cum enim dico et sciens dico : Justus est animus qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, non aliquam rem absentem cogito, sicut Carthaginem, aut fingo ut possum, sicut Alexandriam, sive ita sit, sive non ita ; sed præsens quiddam cerno, et cerno apud me, etsi non sum ipse quod cerno, et multi si audiant approbabunt. Et quisquis me audit atque scienter approbat, apud se et ipse hoc idem cernit, etiamsi non sit et ipse quod cernit. Justus verò cum id dicit, id quod ipse est cernit et dicit. Et ubi etiam ipse cernit, nisi apud seipsum? sed hoc mirum non est. Ubi enim se cerneret, nisi apud seipsum? Illud mirabile est, ut apud se animus videat quod alibi nusquam vidit, et verum videat, et ipsum verum scilicet justum animum videat, et sit ipse animus, et non sit justus animus, quem apud seipsum videt. Num est alius animus justus in animo nondum justo? Aut si non est, quem ibi videt, cum videt et dicit quid sit animus justus, nec alibi quam in se ipso videt, cum ipse non sit animus justus? An illud quod videt, veritas est interior præsens animo qui eam valet intueri ? Neque omnes valent : et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus ? [1] Nam hinc est quòd etiam impii cogitant æternitatem, et multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 15.

vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit : nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit. Qui verò non operatur, et tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ legis. Sed etiam ipse splendore aliquoties ubique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur. [1] Quid *igitur* est quæso quòd exardescimus, cum audimus et legimus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* : *nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum, sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei* : *per arma justitiæ à dextris et sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores et veraces, ut qui ignoramur et cognoscimur* : *quasi morientes, et ecce vivimus* : *ut coerciti et non mortificati* : *ut tristes, semper autem gaudentes* : *sicut egeni, multos autem ditantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes?* Quid est enim quòd accendimur in dilectionem Pauli apostoli, cum ista legimus, nisi quòd credimus eum ita vixisse? Vivendum

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 9.

tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intùs apud nos, vel potiùs supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam, cum in carne viveret, huic formæ coaptatam et congruentem fuisse, fide retinemus. [1] Cur *enim* alium diligimus quem credimus justum, et non diligimus ipsam formam, ubi videmus quid sit justus animus, ut et nos justi esse possimus? An verò nisi et istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista, sed dum justi non sumus, minus eam diligimus quàm ut justi esse valeamus? Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit : ipsa verò forma et veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est credendo diligamus, ex eo quòd jam tale aliquid novimus. Quicquid enim tale aliquid perspexeris ipsa est : et non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

Unde [2] *etiam* in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulchritudine et firmitate acria tormenta tolerasse ? et si mihi digito ostendatur ipse homo, studeo mihi conjungere, notum facere, amicitiâ colligare. Itaque si facultas datur, accedo, alloquor, sermonem confero, affectum meum in illum quibus verbis possum exprimo, vicissimque in eo fieri quem in me habeat atque exprimi volo, spiritalemque complexum credendo molior, quia pervestigare tam citò et cernere penitùs ejus interiora non possum. Amo itaque fidelem et fortem virum amore casto atque germano. Quod si mihi inter nostras loquelas fateatur, aut incautius aliquo modo sese indicet quòd vel de Deo credat incongrua, atque in illo quoque carnale aliquid desideret, et pro tali errore illa pertulerit, vel speratæ pecuniæ cupiditate, vel inani aviditate laudis

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 6. — [2] Ibid., lib. 9, cap. 6.

humanæ ; statim amor ille quo in eum ferebar, offensus, et quasi repercussus, atque ab indigno homine ablatus, non in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaveram. Nisi fortè ad hoc amo jam, ut talis sit, cum talem non esse comperero. At in illo homine nihil mutatum est : mutari tamen potest, ut fiat quod eum jam esse credideram. In mente autem mea mutata est utique ipsa existimatio, quæ de illo aliter se habebat, et aliter habet : idemque amor ab intentione perfruendi ad intentionem consulendi, incommutabili desuper justitia jubente deflexus est. Ipsa verò forma inconcussæ ac stabilis veritatis, et in qua fruerer homine, bonum eum credens, et in qua consulo ut bonus sit, eadem luce incorruptibilis sincerissimæque rationis, et meæ mentis aspectum, et illam phantasiæ nubem, quam desuper cerno, cum eumdem hominem quem videram cogito, imperturbabili æternitate perfundit. [1]Cogita si potes, *illius* pulchritudinem sapientiæ, occurrat tibi pulchritudo justitiæ. Forma est ? statura est ? color est ? [2]dicatur mihi quem colorem habeat sapientia ? cum cogitamus justitiam qua ejus intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur ? quid tanquam sonus ad aures ? quid tanquam vaporeum surgit ad nares ? quid odori infertur ? quid manu tractatur et delectat? [3]Nihil horum est : et tamen est : nam si non esset, non amaretur, nec meritò laudaretur, nec amata, nec laudata corde moribusque teneretur. Nunc vero fiunt homines sapientes; unde fierent nisi esset sapientia ? [4]Et intus est, et pulchra est, et laudatur et videtur, et si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat ?

Ipsa [5]*igitur* justitia qualis est? quis illam pingit? Sapientia Dei quam pulchritudinem habet ? per illam pulchra sunt omnia, quæ oculis placent. Ei videndæ, complectendæ, corda mundanda sunt. Hujus nos amatores profitemur : ipsa nos componit, ut ei non displiceamus. Et quando nos

[1] Tract. 40, in Joann. — [2] In Psalm. 41. — [3] Tract. 40, in Joann. — [4] In Psalm. 41. — [5] In Psalm. 32.

reprehendunt homines in his rebus, in quibus ei quam diligimus placemus, quomodo pravi habemur apud reprehensores nostros? Quomodo ab illis contemnimur et omnino nihili pendimur? Amatores lubrici et damnabiles feminarum, quando amatæ ipsorum componunt illos secundum oculos suos, si ipsis placeant, non curant eos quibus displiceant, putantes sibi sufficere quod earum oculis placent, ad quas affectant : et plerumque gravibus displicent, imo semper gravibus displicent, et meliore judicio reprehenduntur. Non bene tonsus es, dicit vir gravis lascivo adolescenti, non te decet cum talibus cincinnis incedere. Novit autem ille capillos suos placere nescio cui : odit te reprehendentem vero judicio, et servat in se quod placet perverso consilio. Inimicum te putat, quia turpitudinem demis, fugit oculos tuos, et omnino non curat qua regula justitiæ reprehendatur. Si ergo illi non curant reprehensores veraces, ut sint formosi fallaces, non in his rebus in quibus placemus sapientiæ, non debemus curare irrisores injustos, non habentes oculos unde videant quod amamus. [1] Est enim quædam pulchritudo justitiæ. [2] Habet justitia formam suam, oculos quærit, accendit amatores suos. [3] Multi *enim* usque adeo *illius* amore flagrant, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet. Quid est, quæso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, et tamen possunt hominem non videre? PROFECTÒ ILLUD QUIDQUID EST, PRÆSTANTIUS EST REBUS HUMANIS, CUJUS CONTEMPLATIONE POTEST HOMO SINE HOMINE VIVERE.

Pro [4] hac *pulchritudine justitiæ* Martyres seculum calcantes sanguinem fuderunt. Quid amabant, quando istis omnibus renuntiabant ? Num enim illi non erant amatores? aut hoc vobis dicimus, ut non ametis. [5] Ipsa dilectio vacare non potest. Quid enim de quoquam homine etiam malè operatur, nisi amor? Da mihi vacantem amorem et nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes,

[1] In Psalm. 32. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Moribus Eccles., cap. 30 et 31. — [4] In Psalm. 32. — [5] In Psalm. 31.

nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum : aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum. [1]Non *enim* vobis dicitur, nihil ametis. Absit. Pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. [2]Qui non amat friguit, obriguit. [3]Amate, sed quid ametis videte. [4]Ametur, sed illa pulchritudo quæ cordis oculos quærit. Ametur, sed illa pulchritudo quæ laudata justitia incendit animos. Justitia accensi promunt verba, edunt voces, undique dicunt, bene, optime. Quid viderunt? Justitiam viderunt in qua pulcher est curvus senex. Non enim si procedat senex justus, est aliquid in ejus corpore quod ametur, et tamen amatur ab omnibus. Ibi amatur ubi non videtur ; imo ibi amatur ubi corde videtur. [5]Nonne Martyres amati sunt vehementer, et quando eos commemoramus, inardescimus in amore? quid in illis amamus fratres? membra laniata à feris? quid fœdius, si oculos carnis interroges? quid pulchrius, si oculos mentis interroges? Quid tibi videtur adolescens pulcherrimus, fur? Quomodo horrent oculi tui? Numquid oculi carnis horrent? Si ipsos interroges, nihil illo corpore compositius, nihil ordinatius ; et parilitas membrorum, et coloris delectatio illicit oculos : et tamen cum audis, quia fur est, fugis hominem animo. Vides ex alia parte senem curvum, baculo innitentem, vix se moventem, rugis undique exaratum : quid vides quod oculos delectet? audis quia justus est, amas, amplecteris. [6]Intus *autem* est oculus unde videatur pulchritudo justitiæ. Si nulla est pulchritudo justitiæ, unde amatur justus senex? quid affert in corpore quod oculos delectet? curva membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem undique querelis plenam. Sed forte quia tuos oculos non delectat senex iste decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus? quo cantu? et si forte adolescens bene cantavit, omnia cum ætate defecerunt. An forte sonus verborum ejus delectat aures tuas, quæ verba vix plene enuntiat lapsis dentibus? Tamen si justus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si

[1] In Psalm. 31. — [2] Ibid., 32. — [3] Ibid., 30. — [4] Ibid., 32. — [5] Tract 3, in Joann. — [6] In Psalm. 64.

bene monet, et rectum sapit, si integre credit, si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere (multi enim martyres etiam senes), unde illum amamus, quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo est pulchritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, et amamus, et exardescimus : quam multum dilexerunt homines in ipsis martyribus, cum eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cum sanguis fœdaret omnia, cum morsibus belluinis viscera funderentur, non habebant oculi nisi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum, integra pulchritudo justitiæ. [1] Quid *enim* est aliud justitia cum in nobis est, vel quælibet virtus, qua rectè sapienterque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo? *Justi autem* [2] unde esse potuerunt *qui justi sunt*, nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur et sint justi animi, non tantùm cernentes aut dicentes justum esse animum qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit : sed etiam ut ipsi justè vivant, justeque morati sint, sua cuique distribuendo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligant. Et unde inhæretur illi formæ, nisi amando?

Illam [3] diligendo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis et distorta facie, si amet pulchram? aut quid facit femina deformis et distorta et nigra, si amet pulchrum? numquid amando poterit esse pulchra? et numquid et ille amando poterit esse formosus? Amat pulchram, et quando se in speculo videt, erubescit faciem suam levare ad illam formosam suam quam amat. Quid facit ut pulcher sit? Exspectat ut veniat pulchritudo? Imò exspectando senectus additur, et turpiorem facit. Non est ergo quid agere, non est quomodo illi des consilium, nisi ut compescat se, et non audeat amare impar imparem : aut si forte amat, et ducere uxorem optat, optet ut illa castitatem amet, non carnis faciem. Anima verò nostra, fratres mei, fœda est per iniquitatem :

[1] Epist. 222, ad Consent. — [2] Lib. 8, de Trinit., cap. 6. — [3] Tract. 9, in Epist. Joann.

amando *formam justitiæ* pulchra efficitur. Qualis amor est, qui reddit pulchram amantem ? *Justitia* autem semper *pulchra* est, nunquam deformis, nunquam commutabilis. [1] Quomodo *igitur* erimus pulchri ? amando *eam, quæ* semper est pulchra. [2] Habet *enim* justitia quamdam lucem suam, perfundit et illustrat animam inhærentem sibi. Anima verò avertens se à luce justitiæ, quantò magis quærit quod inveniat contra justitiam, tantò plus à luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. [3] Si *ergo* non in mole, neque in distantibus per loca sua partibus, sicut corpora, sive cernuntur, sive cogitantur, sed in virtute intelligibili, qualis est justitia, mentem dicimus, seu novimus, seu volumus pulchram, [4] profectò ipsius *incommutabilis justitiæ* [5] non aliqua mole corporea suspicanda est pulchritudo ; eoque justorum mentibus *credenda* est incomparabiliter pulchrior, quò est incomparabiliter justior. [6] Quod autem rationali anima melius est, omnibus consentientibus Deus est.

CAPUT XVIII.

EX DICTIS DEUM EXISTERE COLLIGITUR, ET IPSUM A VERITATE NON DISTINGUI QUAM QUIDEM NON ESSE NIHIL, SED VERÈ AC SUMMÈ ESSE DEMONSTRATUR.

Deum [7] *igitur* esse negare non poteris: quæ nobis erat ad disserendum et tractandum quæstio constituta. [8] Quid *enim* est illud in corde tuo, quando cogitas quamdam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubique præsentem, ubique totam, nusquam inclusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo, in corde tuo : numquid autem hoc est sonus ille, qui quatuor litteris constat et duabus syllabis? Ergo quæcumque dicuntur et transeunt,

[1] Tract. 9, in Epist. Joann. — [2] In Psalm. 63. — [3] Epist. 85. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Immortal. Animæ, cap. 13. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., c. 15. — [8] Tract. 1, in Joann.

soni sunt, litteræ sunt, syllabæ sunt. Hoc verbum transit, quod sonat. Quod autem significavit sonus, et in cogitante est, qui dixit, et in intelligente est, qui audivit, manet hoc transeuntibus sonis. [1] Superior ista lux, qua mens humana illustratur Deus est.

Intravi [2] in intima mea. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni ; nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat ; sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam : et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas. Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primùm cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, et nondum me esse qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore, et inveni longe me esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso : Cibus sum grandium, cresce et manducabis me : nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et cognovi quoniam pro iniquitate erudisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam meam, et dixi : Numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est ? Et clamasti de longinquo : Imò vero, *Ego sum qui sum.* Et audivi sicut auditur in corde, et non erat prorsus unde dubitarem. Faciliusque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur.

Ea [3] *enim* quæ intelligit animus cum se avertit à corpore,

[1] Ibid., Tract. 15. — [2] Lib. 7, Confess., c. 10. — [3] Lib. de Immort. animæ, cap. 10.

non sunt profectò corporea, et tamen sunt maximè quæ sunt. Nam eodem modo semper sese habent. *Quæ* [1] quanta essent, *quia* negligenter *olim* attendi, hoc mihi gemendum, hoc deflendum puto. *Nam* [2] si mecum sobriè diligenterque considerassem mente in Deum supplici et piâ, [3] illud inspicere fortasse voluissem, quod omni homini sese sine studio partium bene consideranti manifestissimè apparet, omne quod scire et nosse dicimur, aut sensu corporis, aut intelligentiâ nos habere comprehensum. Sensus autem corporis etiam vulgo quinque numerari, visum, auditum, odoratum, gustum, atque tactum, quibus omnibus intelligentiam longè latèque præstare et excellere, quis mihi non vel ingratus impiusque concederet? quo constituto atque firmato illud consequi, ut cuncta quæ tactu et visu, vel quolibet alio modo corporaliter sentirentur, tantò essent inferiora his quæ intelligendo assequeremur, quantò ipsos sensus intelligentiæ cedere videremus. [4] Quod si *veritatem* percipere nisi intelligendo non possem, credo veniret in mentem, tantò esse *veritatem iis*, *quæ* per hos sentimus oculos, præferendam, quantò intelligentiam ipsis oculis præferremus. [5] Volverem mecum hæc, loquerer mecum, deferrem ad alios : quæ vis esset intelligendi, quoniam nihil esset in homine, quod huic excellentiæ possemus conferre, præponerem. Ubi mihi hoc homines, si modò essent homines, concessissent, quærerem utrum his oculis videre, id est, intelligere ? Ubi negavissent, colligerem primò longè esse sensui oculorum istorum intelligentiam mentis anteponendam : deinde subjungerem, id quod re meliore perciperemus, necessariò melius judicandum. Quis hoc non daret? Ergo pergerem quærere, *veritas* illa, quam *nihil esse* dicerent, oculisne sentiretur istis, an mente intelligeretur? Mente faterentur. Quibus omnibus inter nos convenientibus atque confirmatis, quid conficeretur ostenderem ; *veritatem* illam scilicet, quam *contemnerent* luce ista quam *mirarentur* esse meliorem : quandoquidem illa intel-

[1] Lib. de Duabus animab., cap. 3. — [2] Ibid., cap. 1. — [3] Ibid., cap. 2. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 3.

lectu mentis, hæc sensu corporis innotescit. Hic verò hærerent fortasse, ducemque rationem sequi recusarent: tanta est vis veternosarum opinionum, et diu defensæ atque creditæ falsitatis. Sed ego instarem magis hærentibus, non asperè, non pueriliter, non pervicaciter; repeterem quæ concessa sunt: et quæ essent concedenda monstrarem. Hortarer ut in commune consulerent, viderent certè quid nobis negandum esset; utrum intellectum istis carneis luminibus præferendum, an excellentius esse, quod animi excellentiâ, quàm quod vili sensu corporis cognoscitur, falsum putarent: an illas *veritatis regulas*, quas *immutabiles* crederent, tantùm intelligendo, id est, ipsa animæ excellentiâ sciri posse nollent fateri. [1] Quod si nihil horum nisi absurdissimè atque impudentissimè negari posse animadverterent, suaderem non eos oportere dubitare istam lucem, quam *aliquid esse* prædicarent, esse *veritate* illa viliorem, quam *nihil esse putandam* monerent. *Itaque* [2] si omnes fatentur per corpus ista *corporalia* sentiri, et animum meliorem esse quàm corpus, nihil ne per se animus ipse conspiciet, aut quod conspiciet potest esse, nisi multò excellentius longèque præstantius? [3] Nam nihil absurdius dici potest, quàm ea esse, quæ oculis videmus, ea non esse, quæ intelligentiâ cernimus: cum dubitare dementis sit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri.

Deinde [4] si non sunt, videri omnino non possunt. [5] Neque enim potest videri, id quod non est. [6] Videri, nisi quod est, non potest. *Veritatem autem* [7] videmus ambo singulis mentibus. [8] Nemo est enim tam impudenter insulsus qui dicat: Unde scis immutabiliter sapientem vitam commutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum ejus tam claræ ac præsentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt ac refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam aciem mentis gerit.

[1] Lib de Duabus animab., cap. 3. — [2] Lib. de Vera Relig., c. 52. — [3] Lib. de Immor. animæ, c. 10. — [4] Lib. 11, Confess., c. 18. — [5] Ibid., c. 17. — [6] Ib., c. 18. — [7] L. 2, de Lib. arb., c. 10. — [8] L. 1, de Doctr. Christ., c. 9.

Mentis [1] *etiam* aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno; quia spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est : quia et quod præterit esse desinit, et quod futurum est, nondum esse cœpit. Æternitas autem tantummodo est; nec fuit quasi jam non sit; nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissime dicere potuit humanæ menti : *Ego sum qui sum.* Et de illa verissime dici potuit : *Qui est, misit me.* Cui si nondum possumus inhærere, objurgemus saltem nostra phantasmata, et tam nugatorios et deceptorios ludos de spectaculo mentis ejiciamus. Utamur gradibus quos nobis divina providentia fabricare dignata est.

Est [2] *igitur* quod videas, sed non est unde videas. [3] Scis certè esse quod videas, sed idoneum non te esse, qui videas. [4] Quamobrem vellem quidem, ut tam serenam mentis aciem homines ad hæc investiganda deferrent, ut possent videre illud summum bonum, quo non est quidquam melius aut superius cui rationalis anima pura et perfecta subjungitur. Hoc enim intellecto atque perfecto, simul viderent id esse, quod summe ac primitus esse rectissime dicitur. Hoc enim maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omni modo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subjacet tempori, quod aliter nunc se habere quàm habebat antea, non potest. Id enim est quod esse verissime dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio. Hanc nihil aliud quàm Deum possumus dicere. [5] Ille enim summè ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, et qui plenissimè dicere potuit. *Ego sum qui sum;* et : *Dices eis : Qui est misit me ad vos.*

Ipsa [6] *est* Sapientia, *quæ* nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. Quam si non viderent *homines*, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem com-

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 49. — [2] Tract. 18, in Joann. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Moribus Manich., c. 1. — [5] L. 1, de Doctr. Christ. c. 32. — [6] Ibid., c. 8.

mutabili vitæ anteponerent. [1] Cum *autem* illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter vivit, et in ea Trinitas Deus auctor et conditor universitatis, rebus quas condidit, consulat ; purgandus est animus, ut perspicere illam lucem valeat et inhærere perfectè. [2] Quod non possemus, nisi ipsa Sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, et vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quam in homine, quoniam et nos homines sumus. [3] Cum ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam. [4] Et cum sano et puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum, qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est.

Ratio [5] *quoque* numerorum violari et commutari nullo pacto potest, nec ulla natura quâlibet violentiâ effecerit, ut post unum qui sequitur numerus non duplo ei concinat. Hoc commutari nullo pacto potest. [6] *Quapropter* cum multa alia possent occurrere, quæ communiter et tanquam publicè præsto sunt ratiocinantibus, et ab eis videantur mente atque ratione singulorum quorumque cernentium, eaque inviolata et incommutabilia maneant; non tamen invitus acceperim quod ratio et veritas numeri *mihi* potissimum occurrerit. [7] Non enim frustra in sanctis Libris, sapientiæ conjunctus est numerus, ubi dictum est : *Circuivi ego et inclinavi cor meum, ut scirem et considerarem, et quærerem sapientiam et numerum.*

CAPUT XIX.

REFELLITUR RESPONSIO, QUA FORTÈ RESPONDERI POSSET, VERITATEM, DE QUA LOQUIMUR, NON ESSE NATURAM PER SE SUBSISTENTEM, SED SENSIBILIUM DUNTAXAT IMAGINES PER SENSUS ATTRACTAS IN ANIMAM.

At, inquies, [8] si tibi aliquis diceret, numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex iis rebus quas sensu corporis attingimus, impressos esse animo nostro quasi quasdam

[1] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 10. — [2] Ibid., cap. 11. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 12. — [5] Lib. de Moribus Manich., cap. 11. — [6] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

imagines quorumque visibilium, quid responderes? an tu quoque id putas? Nullo modo id putaverim. Non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quisquis vel in addendo vel in retrahendo dum computat, falsam summam renuntiaverit. Et quicquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum, et hæc terra, et quæcumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio. Septem autem et tria, decem sunt, et non solum nunc, sed etiam semper. Neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri naturam, dixi mihi et cuilibet ratiocinanti esse communem. [1] Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus attractos esse facilè videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari quoties unum habuerit. Verbi gratia : si bis habuerit unum, duo vocantur : si ter, tria. Et si decies habet unum, tunc vocantur decem. Et quilibet omnino numerus quoties habet unum, hinc illi nomen est, et tot appellatur. Unum vero quisquis verissime cogitat, profectò invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quicquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur. Corpus enim est, et ideo habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quamque minusque articulatas non persequar, quantulumcunque illud corpusculum sit, habet certè aliam partem dexteram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, aut aliam ulteriorem, aliam citeriorem, aut alias finales, aliam mediam. Hæc enim necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur. Et propterea nullum corpus vere pureque unum esse concedimus, in quo tamen non possent tam multa numerari, nisi illius unius cognitione discreta. Cum enim quæro unum in corpore, et me non invenire non dubito, novi utique quid ibi quæram, et quid ibi non inveniam, et non posse inveniri, vel potius omnino ibi non esse. Ubi ergo novi quòd non

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8.

est corpus unum, quid sit unum novi : unum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Ubicumque autem unum noverim, non utique per corporis sensum novi, quia per corporis sensum non novi, nisi corpus, quod vere pureque unum non esse convincimus. Porrò si unum non percepimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus, eorum duntaxat numerorum quos intelligentiâ cernimus. Nullus enim est ex his, qui non tot vocetur, quoties habet unum, cujus perceptio corporis sensu non fit. Cujuslibet enim corpusculi pars dimidia, quamvis duabus totum constat, habet et ipsa dimidiam suam. Sic ergo sunt illæ duæ partes in corpore, ut nec ipsæ simpliciter duæ sint. Numerus autem ille qui vocatur duo, quoniam bis habet illud quod simpliciter unum est, pars ejus dimidia, id est, illud ipsum quod simpliciter unum est, non potest rursus habere dimidiam partem, vel tertiam, vel quotamlibet, quoniam simplex et vere unum est. Deinde quoniam tenentes ordinem numerorum, post unum duo videmus, qui numerus ad unum collatus, duplus invenitur : duplus duorum non consequenter adjungitur, sed interposito ternario, quaternarius sequitur, qui duplus est duorum. Et hæc ratio per omnes cæteros numeros certissimâ et incommutabili lege pertenditur, ut post unum, id est post primum omnium numerorum, ipso excepto primus sit, qui duplum ejus habet. Duo enim sequuntur. Post secundum autem, id est, post duo, ipso excepto secundus sit qui duplum ejus habet. Post duo enim primus est ternarius, secundus quaternarius, duplus secundi. Post tertium, id est, ternarium, ipso excepto tertius sit, qui duplus est ejus : post tertium enim, id est, post ternarium, primus est quaternarius, secundus quinarius, tertius senarius, qui duplus est tertii. Atque ita post quartum, ipso excepto, quartus habet duplum ejus. Post quartum enim, id est quaternarium, primus est quinarius, secundus senarius, tertius septenarius, quartus octonarius, qui duplex est quarti. Atque ita per omnes cæteros reperies hoc quod in prima copula numerorum, id est, uno et duobus inventum est : ut quotus quisque numerus est ab ipso principio, totus

post illum sit duplus ejus. Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum, incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit; innumerabiles enim sunt: undè ergo novimus per omnes hoc esse, aut quâ phantasiâ vel phantasmate tam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat?

Deinde [1] consideremus senarii numeri perfectionem in ipsa interiori naturâ numerorum, quam mente intuentes, ea quæ sensibus etiam corporis adjacent numeramus, numeroseque disponimus. [2] Invenimus ergo senarium numerum primum esse perfectum ea ratione quod suis partibus compleatur. [3] Tamen istam senarii numeri perfectionem nec extra nos ipsos cernimus, sicut oculis corpora; nec intra nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias, et visibilium imagines rerum, sed alio quodam longe differenti modo. Quamvis enim se objectent mentis aspectui quasi corpusculorum quædam simulacra, cum senarii numeri compositio vel ordo vel partitio cogitatur: tamen validior et præpotentior desuper ratio non eis annuit, interiùs quæ numeri vim contuetur, per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse, nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles dividi, et faciliùs cœlum et terram transire quæ secundum senarium numerum fabricata sunt, quàm effici posse ut senarius numerus non suis partibus compleatur.

His [4] et talibus multis documentis coguntur fateri, quibus disputantibus Deus donavit ingenium, et pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum, et ad sensus corporis non pertinere, et invertibilem sinceramque consistere, et omnibus ratiocinantibus ad videndum esse communem. [5] Genus *quidem aliquod* imaginum numeris maximè atque dimensionibus agitur, quod est *etiam* [6] in disciplinis, tanquam in figuris geometricis et rhythmicis

[1] Lib. 4, de Genesi. ad Litt., cap. 1. — [2] Ibid., cap. 2. — [3] Ibid., cap. 7. — [4] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [5] Epist. 72. — [6] Ibid.

musicis, et infinita varietate numerorum : quæ quamvis vera (sicut ego autumo) comprehenduntur, gignunt tamen falsas imaginationes, quibus ipsa ratio vix resistit : tametsi nec ipsam disciplinam disserendi carere hoc malo facile est, cum in divisionibus et conclusionibus quosdam quasi calculos imaginamur. [1]In illo *tamen* genere quodlibet spatium corporale animo figuravero, quanquam id rationibus disciplinarum minimè fallentibus cogitatio peperisse videatur, ipsis rursum rationibus arguentibus, falsum esse convinco. [2]Cum *igitur* ex his *disciplinis* quidam falsi colores atque formæ, velut in speculum cogitationis se fundunt, falluntque inquirentes sæpe ac decipiunt, putantes illud totum esse quod norunt, vel quod inquirunt; ipsæ sunt illæ imaginationes magna cautione vitandæ, quæ deprehenduntur fallaces, cum cogitationes variato quasi speculo variantur, cum illa facies veritatis una et immutabilis maneat. Tum enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum sibi cogitatio depingit, et quasi ante oculos præfert : sed mens interior, quæ vult verum videre, ad illud se potius convertat si potest, secundum quod judicat illa omnia esse quadrata. *Sed* quid, si nobis quispiam dicat secundùm id eam judicare, quod videre oculus solet? Quare ergo jurat, si tamen bene erudita est, quantamvis pilam veram vera planitie puncto tangi? quid tale unquam oculus vidit, aut videre potest, cum ipsa imaginatione cogitationis fingi tale quicquam hujusmodi non potest? Annon hoc probamus, cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, et ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias jam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginariâ ducere, ut ad centrum sine ulla commixtione perveniant : cum clamet ratio innumerabiles posse duci, nec sese in illis incredibilibus angustiis, nisi centro posse contingere, ita ut in omni earum intervallo scribi etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque quàm ipsi oculi deficiat, siquidem per ipsos est animo inflicta, manifestum

[1]Epist. 72. — [2]Lib. 2, Soliloq., cap. 19.

est et multum eam differre à veritate, et illam, dum hæc videtur, non videri. [1]*Animus autem* etsi corporalium imaginum quasi quodam nubilo subtexitur, non tamen involvitur atque confunditur. Sed interest utrum ego sub illa vel in illa caligine tanquam à cœlo perspicuo secludar : an sicut in altissimis montibus accidere solet, inter utrumque aere libero fruens, et serenissimam lucem supra, et densissimas nebulas subtus aspiciam. [2]Sensu quippe corporis, corporalia sentiuntur : æterna verò et incommutabilia spiritalia ratione sapientiæ intelliguntur. [3]Sublimioris *autem* rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas : quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profecto non essent; atque in his nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundùm eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum , quam incommutabiliter manere mens novit. [4]Ex qua *autem* parte conspectam *humana mens* consulit veritatem, imago Dei est; ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei. Et quoniam quantumcumque se extenderit in id quod æternum est, tantò magis inde formatur ad imaginem Dei , [5]apparet cum secundùm Deum vivimus , mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate, proficienter debere formari: quiddam verò rationalis intentionis nostræ, hoc est, ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliumque rerum, sine quo hæc vita non agitur dirigendum : non ut conformemur huic seculo, finem constituendo in bonis talibus, et in ea detorquendo beatitudinis appetitum : sed ut quicquid in usu temporalium rationabiliter facimus , æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus, per ista transeuntes, illis inhærentes.

[1] Lib. 9 , de Trinit., cap. 6. — [2] Ibid., lib. 12 , cap. 12. — [3] Ibid., c. 2. — [4] Ibid., cap. 7. — [5] Ibid., cap. 13.

CAPUT XX.

IIS TANTUM, QUI SIMPLICITER INCOMMUTABILIS NATURÆ QUANTA SIT MAJESTAS NON ATTENDUNT, VILIOREM VIDERI VERITATEM, QUAM UT INCREATA SAPIENTIA, HOC EST, IPSE DEUS ESSE CREDATUR.

Sed, *inquies rursus*, [1] pervellem scire, utrum uno aliquo genere contineantur hæc duo, sapientia scilicet et numerus, quia conjuncta etiam in Scripturis sanctis hæc posita esse commemorasti. An alterum existat ab altero, ut alterum in altero consistat, veluti numerus à sapientia, vel in sapientia. Nam sapientiam existere à numero, aut consistere in numero, non ausim dicere. Nescio enim quomodo, quia multos novi numerarios aut numeratores vel si quo alio nomine vocandi sunt, qui summe atque mirabiliter computant, sapientes autem perpaucos, aut forsitan neminem, longe venerabilior mihi occurrit sapientia quàm numerus. Rem dicis quam ego quoque mirari soleo. Nam cum incommutabilem veritatem numerorum mecum ipse considero, et ejus quasi cubile ac penetrale vel regionem quamdam, vel si quod aliud nomen aptum inveniri potest, quo nominemus quasi habitaculum quoddam sedemque numerorum, longe removeor à corpore : et inveniens fortasse aliquid, quod cogitare possim, non tamen aliquid inveniens quod verbis proferre sufficiam, redeo tanquam lassatus in hæc nostra, ut loqui possim, et ea quæ ante oculos sita sunt dico, sicut dici solent. Hoc mihi accidit et jam cum de sapientia, quantum valeo, vigilantissime atque intentissime cogito. Et propterea multum miror, cum hæc duo sint in secretissima certissimaque veritate, accedente etiam testimonio Scripturarum, quò commemoravi conjunctè illa posita, plurimum miror (ut dixi) quare numerus vilis sit multitudini hominum, et cara sapientia. Sed nimirum illud est, quòd una quædam eademque res est. Verumtamen quoniam nihilominus in divinis Libris de sapientia dicitur, quòd attingit à fine

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 11.

usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, ea potentia, qua fortiter à fine usque ad finem attingit, numerus fortasse dicitur : ea vero, qua disponit omnia suaviter, sapientia proprie jam vocatur : cum sit utrumque unius ejusdemque sapientiæ. Sed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis, et in fine rerum locatis (et corpora enim omnia quamvis in rebus extrema sint, habent numeros suos), sapere autem non dedit corporibus neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locaverit, de qua disponat omnia illa etiam infima, quibus numeros dedit : itaque quoniam de corporibus facilè judicamus, tanquam de rebus quæ infra nos ordinatæ sunt, quibus impressos numeros infra nos esse cernimus, et eos propterea vilius habemus. Sed cum cœperimus tanquam sursum versus recurrere, invenimus eos etiam nostras mentes transcendere, atque incommutabiles in ipsa manere veritate. Et quia sapere pauci possunt, numerare autem etiam stultis concessum est, mirantur homines sapientiam, numerosque contemnunt, [1]nescientes quid sit Deus, et quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ. [2]Docti autem et studiosi, quantò remotiores sunt à labe terrena, tantò magis et numerum, et sapientiam in ipsa veritate contuentur, et utrumque carum habent : et in ejus veritatis comparatione non solùm eis aurum et argentum, et cætera de quibus homines dimicant, sed ipsi etiam vilescunt sibi. Nec mireris numeros ideo vilescere hominibus, et caram esse sapientiam, quia faciliùs possunt numerare quàm sapere, cum videas cariùs illos habere aurum quàm lumen lucernæ, cui comparatum aurum ridetur. Sed honoratur amplius res longe inferior, quia lucernam sibi et mendicus accendit, aurum vero pauci habent : quanquam sapientia absit ut in comparatione numeri inveniatur inferior, cum eadem sit, si oculus quo cerni possit, inquirat. Sed quemadmodum in uno igne consubstantialis (ut ita dicam) sentitur fulgor et calor, nec separari ab invicem possunt, tamen ad ea calor pervenit, quæ propè admoventur, fulgor

[1] Lib. de Moribus Eccles , cap. 21. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 11.

vero etiam longiùs latiùsque diffunditur : sic intelligentiæ potentiâ, quæ inest sapientiæ, propinquiora fervescunt, sicuti sunt animæ rationales : ea vero quæ remotiora sunt, sicuti corpora, non attingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum ; quod tibi fortassis obscurum est : non enim ulla visibilis similitudo invisibili rei potest ad omnem convenientiam coaptari.

CAPUT XXI.

EORUM OBJECTIO REFELLITUR, QUI JUSTITIAM, HOC EST, JUSTITIÆ, SEU VERITATIS AC SAPIENTIÆ REGULAS IMMUTABILES NON ESSE VIVENTES, IDEOQUE NEC ESSE DEUM OBJICIUNT.

Ipsa [1] *igitur* veritas Deus est. [2] Dominus justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus, et ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia. [3] Amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia et veritas, et sanctitas, et justitia, et charitas, et si quid aliquid tale dicitur, non quemadmodum sunt ista in hominibus ; SED QUEMADMODUM SUNT IN IPSO FONTE INCORRUPTIBILIS ET INCOMMUTABILIS SAPIENTIÆ. [4] ALITER *enim* JUSTITIA DESCRIBITUR IN VERITATE INCOMMUTABILI, aliter in anima justi : sicut aliter scitur rectitudo linearum seu veritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter cum in pulvere scribitur.

[5] Quod verò *dicis* videri tibi, « nihil vivum secundum substantiam inesse justitiæ, ideòque te non posse adhuc Deum, id est, viventem naturam justitiæ similem cogitare : quia justitia (sicut dicis) non in se, sed in nobis vivit ; imò nos potius secundum illam vivimus, ipsa vero per se justitia nequaquam vivit ; [6] nisi fortè non hæc humanæ æquitatis, sed illa quæ Deus est, sola esse asseratur justitia. » [7] Ad hoc

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 15. — [2] Serm. 17, de Ver. Apost. — [3] Lib. de Catechiz. rud., cap. 27. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 29. — [5] Epist. 85, ad Consent. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

ut tibi ipse respondeas, illud intuere, utrum rectè dici possit, vitam ipsam non vivere, qua fit ut vivat quicquid non falsò dicimus vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur, et vita non vivat. Porrò si vita ipsa præcipue vivit, qua vivit omne quod vivit : recole, obsecro, quas dicit Scriptura divina animas mortuas ; profecto invenies injustas, impias, infideles. Nam licet per illas vivant corpora impiorum, de quibus dictum est quòd *mortui sepeliant mortuos suos*, et ibi intelligantur etiam iniquæ animæ non esse sine aliqua vita (non enim aliter ex eis possent corpora vivere, nisi qualicumque vita, qua omnino animæ carere non possunt, unde immortales meritò vocantur) : non tamen ob aliud amissâ justitiâ dicuntur mortuæ, nisi quia et animarum licet immortaliter vita qualicumque viventium, verior et major vita justitia est tanquam vita vitarum : quæ cum sunt in corporibus, etiam ipsa corpora viva sunt, quæ per seipsa vivere nequeunt. Quapropter si animæ non possunt, nisi etiam in seipsis utcumque vivere, quia ex eis vivunt et corpora, à quibus deserta moriuntur : quanto magis vera justitia etiam in seipsa vivere intelligenda est, ex qua sic vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacumque vita non desinant vivere? Ea porro justitia quæ vivit in se ipsa, procul dubio Deus est, atque incommutabiliter vivit. Sicut autem cum sit in seipsa vita, etiam nobis fit vita, cum ejus efficimur participes : ita cum in seipsa sit justitia, etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo justè vivimus : et tantò magis minusve justi sumus, quantò magis illi minusve cohæremus. Unde scriptum est de unigenito Filio Dei, cum sit utique Patris Sapientia atque Justitia, et semper in seipso sit, quod factus sit nobis à Deo sapientia et justitia, et sanctificatio et redemptio ; ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quod quidem et ipse vidisti addendo atque dicendo : « Nisi forte non hæc humanæ æquitatis, sed illa quæ Deus est, sola esse asseratur justitia. » Est planè ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia ; quam profecto esurire et sitire ea nostra est in hac peregrinatione justitia : et

qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia. Non ergo Deum nostræ justitiæ similem cogitemus, sed cogitemus nos potius tantò similiores Deo, quantò esse poterimus ejus participatione justiores.

[1]*Sic de sapientia.* An *enim* sapientia non se intelligit, non se diligit? quis hoc dixerit? Aut quis est, qui non videat ubi nulla scientia est, nullo modo esse sapientiam? Aut verò putandum est sapientiam scire alia et nescire seipsam, vel diligere alia, nec diligere seipsam? [2]Scire autem non nisi viventis est. *Deinde* [3]sicut absurdum est dicere candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere sapientem non esse sapientiam. [4]Sapientia *igitur* et sapiens est, et seipsa sapiens est. Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiæ fit sapiens, si rursus desipiat, manet tamen in se sapientia : nec cum anima fuerit in stultitiam commutata, illa mutatur : non ita est in eo qui ex ea fit sapiens, quemadmodum candor in corpore, quod ex illo candidum est. Cum enim corpus in alium colorem fuerit mutatum, non manebit candor ille, sed omnino esse desinet. [5]Vivens *autem* et intelligens est utique sapiens. [6]Neque enim esset sapiens qui non esset intelligens. [7]Illa *itaque* vita, quæ non aliquando desipit, aliquando sapit est ipsa sapientia.

CAPUT XXII.

ILLAM SEU SAPIENTIAM SEU VERITATEM, QUAM IMMUTABILEM ESSE CONSPICIMUS, ESSE QUIDEM A DEO, SED ITA UT ÆQUALIS IPSI GENITA SIT.

Est [8]*et ipsa sapientia* Deus : et vere summeque est, quod jam non solum indubitatum, quantùm arbitror, fide retinemus, sed etiam certâ, quamvis adhuc tenuissimâ formâ cognitionis attingimus, quod quæstioni susceptæ sufficit.

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 6. — [2] Enchir. ad Laurent., cap. 20. — [3] Lib. 7, de Trinit., cap. 1. — [4] Ibid. — [5] Ibid., lib. 15, cap. 5. — [6] Ibid., cap. 7. — [7] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 8. — [8] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 15.

[1]Nam si te hoc movet quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse Patrem sapientiæ : memento nos etiam hoc in fide accepisse, quod æterno Patri sit æqualis, quæ ab ipso genita est sapientia. Unde nunc nihil quærendum est, sed inconcussa fide retinendum. [2]Quæ est *enim* dicenda sapientia, nisi quæ Dei sapientia est? Accepimus autem et auctoritate divina, Dei Filium nihil esse aliud quàm Dei Sapientiam : et est Dei Filius profecto Deus. [3]Quid *etiam* putatis esse sapientiam nisi veritatem? etiam hoc enim dictum est : *Ego sum veritas.* Veritas autem ut sit, fit per aliquem summum modum, à quo procedit, et in quem se perfecta convertit. Ipsi autem summo modo nullus alius modus imponitur. Si enim summus modus per summum modum modus est, per seipsum modus est. Sed etiam summus modus necesse est ut verus modus sit. Ut igitur veritas modo gignitur, ita modus veritate cognoscitur. Neque igitur veritas sine modo, neque modus sine veritate unquam fuit. Quis est Dei Filius? dictum est : *Veritas.* Quis est qui non habet patrem? Quis alius quàm summus modus? [4]Admonitio autem quædam quæ nobiscum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulso omni fastidio sitiamus, de ipso ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris jubar sol ille secretus infundit. Hujus est verum omne quod loquimur, etiam quando adhuc vel minus sanis vel repente apertis oculis audacter converti, et totum intueri trepidamus : nihilque aliud etiam hoc apparet esse quàm Deum, nulla degeneratione impediente perfectum. Nam ibi totum atque omne perfectum est, simulque est omnipotentissimus Deus.

Nam [5]si corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, à quo principio unum est quicquid est, ad cujus similitudinem quicquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quicquid ab unitate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit : datur intelligi esse aliquid quod illius

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 15. — [2] Lib. de Beata vita sub Finem. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. de Vera Relig., cap. 36.

unius solius, à quo Principio unum est quicquid aliquo modo unum est, ita simile sit ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et hæc est Veritas et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur unum, non inquantum id imitantur, sed inquantum adimplere non possunt : illa est Veritas quæ id implere potuit, et id esse quod est illud : ipsa est quæ illud ostendit sicut est : unde et Verbum ejus et Lux ejus rectissimè dicitur. Cætera illius unius similia dici possunt inquantum sunt, intantum enim et vera sunt : hæc autem ipsa ejus similitudo, et ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam intantum vera sunt inquantum sunt; intantum autem sunt, inquantum principalis unius similia sunt : ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo Principii : et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.

[1]De ipsa *ergo* nec Pater *judicat*, non enim minor est quàm ipse, et ideo quæ Pater judicat, per ipsam judicat. Omnia enim quæ appetunt unitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit; quoniam sola ejus similitudinem à quo esse accepit, implevit, si tamen, accepit, non incongruè dicitur, pro ea significatione, qua Filius appellatur : quia non de seipso est, sed de primo summoque principio, qui Pater dicitur; ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur. Pater ergo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio : et spiritalis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur, id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege secundum quam judicat omnia, quoniam et illud verissimè dictum est : Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo judicat, quia super omnia est quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissimè intelligit, et tota charitate, quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, et de qua judicare nullus potest.

[1]Ibid., cap. 31.

CAPUT XXIII.

ISTA SAPIENTIÆ CUM SUO PRINCIPIO EX SCRIPTURIS SACRIS DEMONSTRATUR ÆQUALITAS; ET OMNIBUS ALIIS REBUS IPSA PRÆFERTUR, QUONIAM LUX EJUS CLARISSIMA, QUÆ MENTIBUS NOSTRIS, UT VIDEATUR, EST INTIMÈ PRÆSENS, INEXTINGUIBILIS SEU PRORSUS IMMUTABILIS EST.

Quid [1] *etiam* aliud ostendit quod dictum est : *Generositatem magnificat, contubernium habens Dei?* an verò generositas solet significare aliud, quàm parentes? contubernium verò nonne cum ipso patre æqualitatem clamat atque asserit? [2] cumque *in Novo Testamento* dictum sit, Dei Filium Dei Virtutem esse atque Sapientiam; cumque virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinere intelligatur: unde in Evangelio duo ipsa signantur, cum dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*; nam hoc operationis atque virtutis est. Deinde quod ad disciplinam verique cognitionem attinet, *et vita*, inquit, *erat lux hominum* : potuitne quicquam magis concinere his testimoniis novi Testamenti, quàm illud quod in Vetere dictum est de sapientia : *Attingit autem à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter?* namque attingere fortiter, magis virtutem significat : disponere autem omnia suaviter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quæ sequuntur : *Et omnium,* inquit, *Dominus dilexit illam* : *doctrix est enim disciplinæ Dei, et electrix operum illius.* Videtur hìc nihil adhuc de operatione dictum, nec enim hoc est intelligere opera, quod operari; ergo hæc ad disciplinam pertinent; opus virtuti debetur, ut sit plena, quam volumus demonstrare, sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est : *Quòd si honesta est*, inquit, *possessio quæ concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius quæ omnia operatur?* Potestne quicquam præclarius, aut manifestius, aut vero etiam uberius proferri?

Audite [3] itaque aliquando, et advertite, quæso, sine pertinacia quid per Prophetam dicatur : *Clara est,* inquit, *et*

[1] Lib. de Moribus Eccles., cap. 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 17.

quæ nunquam marcescit sapientia, et facilè videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis qui quærunt illam : præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se ostendat. Qui vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare enim de illa sensus est consummatus; et qui vigilaverit propter illam, citò erit securus, quia dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et omni providentiâ occurrit illis. Initium enim illius verissimum disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo disciplinæ dilectio est, et dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis est : incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia autem sapientiæ deducit ad regnum perpetuum, etc. Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua ; et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, etc. *Omnibus mobilibus mobilior et sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera : et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest : et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.*

Itane[1] tandem adhuc adversus ista latrabitis? nonne ita posita et nondum intellecta, cuivis significant altum se quiddam et ineffabile continere? O utinam possetis intelligere quæ dicta sunt! Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imaginationes corporum.

[1] Lib. de Moribus Eccles., cap. 16.

CAPUT XXIV.

FALSUM ESSE QUOD VELUT INDUBITATUM VULGO SUPPONITUR, IN HOC SCILICET VIÆ STATU, NIHIL NISI CORPOREUM ET PER CORPORUM SIMILITUDINES INTELLIGI, IDEOQUE NEC INCREATAM VERITATEM, NEC ALIAM QUAMLIBET NATURAM INTELLIGIBILEM IN SE PERCIPI.

Poteram [1]pro mea mediocritate discutere singula, et eruere ac demonstrare quæ accepi, in quorum excellentia et altitudine plerumque verba deficiunt. [2]*Sed* crassas omnino mentes et corporeorum simulacrorum pestifero pastu morbidas ad divina judicanda defertis, quæ multò altiora sunt, quàm putatis. *Nam et ab ipso Platone persuasum est* [3]non corporeis oculis, sed purâ mente veritatem videri; cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam : ad quam percipiendam nihil magis impedire, quam vitam libidinibus deditam et falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones erroresque generarent : quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam et eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa vere summeque sit : cætera nasci, occidere, fluere, labi; et tamen inquantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata consistere : in quibus animæ tantum rationali et intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur atque afficiatur, ornetur-que ex ea, æternamque vitam possit mereri. Sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, et dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irridet eos qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo

[1] Lib. 2, de Moribus Eccles., cap. 16. — [2] Ibid., c. 17. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 3.

phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat. [1]Tali enim *sensibilium* amore plerumque decipitur *anima*, ut aut nihil putet esse nisi corpus : aut etiam si auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, et tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit.

Nullam[2] *scilicet* aliam causam cujuslibet cogitationis nostræ opinantur *aliqui*, nisi cum ab his corporibus quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros : quasi non multa ac propè innumerabilia cogitentur incorporabiliter atque intelligibiliter ab eis qui talia cogitare noverunt, sicut ipsa sapientia et veritas. Quam si isti non cogitant, miror quomodo de illa utcumque disputent. Si autem cogitant, vellem mihi dicerent, vel de quo corpore, vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis.

Deinde[3] si, ut alia omittam, ipsa æternitas semper manet, nec aliqua imaginaria figmenta requirit, quibus in mentem quasi vehiculis veniat, nec tamen venire posset nisi ejus meminissemus, potest esse quarumdam rerum sine ulla imaginatione memoria. *Nam et* [4]justitiam et sapientiam, et quicquid ejusmodi est, non aliter imaginamur, aliter contuemur : sed hæc invisibilia simplici mentis atque rationis intentione intellecta conspicimus sine ullis formis et molibus corporalibus, sine ullis lineamentis figurisque membrorum, sine ullis localibus finibus, sine spatiis infinitis. Ipsumque lumen quo cuncta ista discernimus, in quo nobis satis apparet, quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus, quam formam sensu corporis recordemur, quam cogitatione fingamus, quid corporis sensus attingat, quid imaginetur animus simile corpori, quid certum et omnium corporum dissimile intelligentia contempletur. Hoc ergo lumen ubi hæc cuncta dijudicantur, non utique sicut hujus solis et cujusque corporei luminis fulgor per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram quasi visibili candore illustrat. [5]Sed invisibiliter et ineffabiliter, *ut supra dicebamus*, et tamen intelligibiliter lucet.

[1] L. de Moribus Eccl., c. 21. — [2] Epist. 56. — [3] Epist. 72. — [4] Epist. 85. — [5] Ib.

Est [1] ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum; [2] quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur *enim* mihi quem colorem habeat sapientia? cum cogitamus justitiam, ejusque intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid tanquam sonus ad aures? quid tanquam vaporeum surgit ad nares? quid ori infertur? quid manu tractatur et delectat?

Quid [3] *igitur* amo, *Domine*, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum, non florum et unguentorum et aromatum suaveolentiam, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo cum amo Deum meum; et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei : ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit satietas. *Nam* [4] et ipsa mens nostra, hoc est, homo interior, cui uniformiter scienti per hos quinque veluti nuntios corporis diversa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, et lumen videt de quo dicitur : *Erat lumen verum;* et verbum audit de quo dicitur : *In principio erat Verbum;* et odorem capit de quo dicitur : *Post odorem unguentorum tuorum currimus;* et fontem bibit, de quo dicitur : *Apud te est fons vitæ;* et tactu fruitur, de quo dicitur : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* : nec aliud atque aliud, sed una intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur.

[1] In Psalm. 41. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, Confess., cap. 6. — [4] Tractat. 99, in Joann.

Tria [1] *itaque* sunt rerum genera quæ viduntur, unum corporalium, sicut hoc cœlum et terra, et quicquid in eis corporeus sensus cernit et tangit : alterum simile corporalibus, sicut sunt ea quæ spiritu cogitata imaginamur, sive recordata vel oblita quasi corpora contuemur, unde sunt etiam visiones quæ vel in somnis, vel in aliquo mentis excessu his localibus quantitatibus ingeruntur : tertium ab utroque discretum, quod neque sit corpus, neque habeat ullam similitudinem corporis : sicut est sapientia, quæ mente intellecta conspicitur, et in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur. [2] Primum appellemus corporale, quia per corpus recipitur, et corporis sensibus exhibetur. Secundum spiritale; quicquid enim corpus non est, et tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur : et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. Tertium verò intellectuale, ab intellectu; quia mentale, à mente, ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est ut dicamus. [3] In illo *autem* genere intellectualium visorum alia sunt, quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria, [4] neque enim *ipsæ* aut corpora sunt, aut species habent similes corporum. Aliud autem est ipsum lumen quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat : nam illud ipse Deus est, hæc autem creatura, quamvis rationalis et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, et minus valet. Inde est tamen quicquid intelligit sicut valet. Cum ergo illuc rapitur, et à carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuta videt quicquid etiam se intelligendo videt. [5] Si *enim* quemadmodum *rapta* est à sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur : ita et ab ipsis rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subvehatur, ubi sine ulla corporis simili-

[1] Epist. 85 — [2] Lib. 12, de Genesi ad Litt., cap. 7. — [3] Ibid., cap. 31. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 26.

tudine perspicua veritas cernitur; nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur. Ibi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ. [1] In illo firmamento disciplinæ *homo* spiritales intelligentias operatur atque distinguit; videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tanquam sol fulget in anima : et quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat.

Sic [2] enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem, corporalibus instrepens auribus, ut inter sonantem et audientem aerea spatia verberentur ; neque per ejusmodi spiritalem quæ corporum similitudinibus figuratur, sicut in somniis vel quo alio tali modo ; nam et sic velut corporeis auribus loquitur, et velut interposito corporalium locorum intervallo : multum enim similia sunt talia visa corporalibus. Sed loquitur ipsâ veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cæteris, quibus homo constat, est melius, et quo ipse Deus solus est melior.

CAPUT XXV.

EXPLICATUR ILLE SCRIPTURÆ LOCUS, NON VIDEBIT ME HOMO ET VIVET.

Potest [3] *enim* movere quomodo jam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vita positis, propter illud quod dictum est ad Moysen : *Nemo potest faciem meam videre, et vivere* : nisi quia potest humana mens divinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne solvatur. Sic enim raptus est qui audivit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. [4] Ita fit ut et illud verum sit quod dictum est : *Nemo potest faciem meam videre et vivere*, quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur. *Ita* [5] *enim* ipsum oculum purgat *anima*, quo

[1] Lib. 1, de Genesi contra Manich. cap. 25. — [2] Lib. 11, de Civit. Dei, c. 2. — [3] Epist. 112, cap. 13. — [4] Ibid. — [5] Lib. 2, de Doctr. Christ., cap. 7.

videri Deus potest, quantùm potest ab iis qui hoc seculo moriuntur quantùm possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic seculo. In quantum autem huic vivunt, non vident. [1]Quis enim bene se inspiciens, non expertus est tantò se aliquid intellexisse sinceriùs, quantò removere atque subducere intentionem mentis à corporis sensibus potuit? *Et certè* [2] cum ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit, nisi qui intelligit : nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore intelligit : quia cum intelligere vult, à corpore avertitur. Quod enim intelligit, ejusmodi est semper; nihilque corporis ejusmodi est semper.

Hinc est quod sapientiæ [3] contemplatio quia interior est et secretior, et ab omni sensu corporis remotissima, convenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. *Sicque* [4]quoniam hæc, *quæ intelliguntur*, secretiore sapientia videt *animus*, ipsam visionem secretam nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adam, quando ei mulier facta est. Ut enim hoc videatur, non est opus oculis istis corporeis, sed quantò quisque ab istis visibilibus rebus in interiora intelligentiæ secesserit, hoc est autem quasi obdormiscere, tantò meliùs et sinceriùs illud videt.

De [5]hac visione loquens ejus etiam ipse amator et desiderator Ambrosius, [6]nec Deus, inquit, in loco videtur, sed mundo corde; nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. [7] Vides quomodò vir sanctus enitatur nostras mentes ab omnibus carnis sensibus sevocare, ut aptas faciat ad videndum Deum; *de qua visione* [8] dicebamus talia, si non isto modo, et his verbis: tamen, Domine, tu scis, quod illo die [9]imminente, quo ex hac vitâ erat exitura mater, [10]talia loqueremur et mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis. [11]Colloquebamur ergo soli valde dulciter, et præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos

[1] Lib. de Immortal. animæ, c. 10. — [2] Ibid., c. 1. — [3] Lib. 2, de Genesi contra Manich., cap. 12. — [4] Ibid. — [5] Epist. 112, cap. 11. — [6] Ibid., cap. 6. — [7] Ibid., cap. 11. — [8] Lib. 9, Confess., c. 10. — [9] Ib. — [10] Ib. — [11] Ib.

apud præsentem Veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ qui est apud te, ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur: erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cœlum, unde sol et luna et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interiùs cogitando et loquendo te, et mirando opera tua; et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt: et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper: quin potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est. Nam fuisse et futurum esse non est æternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis, et suspiravimus et reliquimus ibi religatas primitias spiritus, et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur. Et quid simile Verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ et aquarum et aeris, sileant et poli, et ipsa sibi anima sileat, et transeat se non se cogitando, sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua et omne signum, et quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino: quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: *Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum.* His dictis si jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, et loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine

his audiamus : sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam Sapientiam super omnia manentem ; si continuetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat, et recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus; nonne hoc est : *Intra in gaudium Domini tui*? et istud quando? [1] *Unam*, inquit, *petii à Domino, hanc requiram.* Quid est hoc? quæ est illa una? *Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ. Ut contempler delectationem Domini*, etc. Excedat cor vestrum omnia visa, et excedat intentio universas cogitationes vestras solemnes ex carne, eductas à sensibus carnis, et imaginatas nescio quo phantasmate. [2] Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? omnis boni bonum, unde omne bonum, cui non addatur quid sit, nisi ipsum bonum. Bonum simplex, ipsum bonum, quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona ; hæc est delectatio Domini, hanc contemplabimur.

Sequitur [3] *autem* hujus visionis eximius concupitor Ambrosius, dicens : « Et cum absens putatur, videtur : et cum præsens est, non videtur. » Non dixit « cum absens est, » sed « cum absens putatur. » Nusquam enim absens est, qui cœlum et terram implet : nec spatiis includitur parvis, magnisque diffunditur, sed ubique totus est, et nullo continetur loco. Hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum, et cum absens putatur ; [4] à quo *scilicet* ita creatus est ut hoc possit videre quod avium nulla, nulla bestiarum, quæ tamen nobiscum vident et cœlum, et terram, et omnia quæ in eis sunt.

CAPUT XXVI.

ALIUS ISTE SCRIPTURÆ LOCUS EXPONITUR, DEUM NEMO VIDIT UNQUAM.

Quid [5] est ergo quod *divina* dicit auctoritas : *Deum nemo vidit unquam, quod* [6] Apostolus planiùs explicans, *quem*

[1] In Psalm. 26. — [2] Ibid. — [3] Epist. 112, cap. 12. — [4] Lib. 4, de Genesi ad lit., cap. 7. — [5] Epist. 112, cap. 5. — [6] Ibid.

nemo, inquit, *hominum vidit, nec videre potest?* [1] si nemo hominum videt, quomodò locutus est cum Moyse os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suum ? irruit quæstio non parva. Ait enim Dominus : Non quomodò cum aliis per ænigmata, ita loquar ad Moysen famulum meum, sed os ad os loquar illi. [2] Si os ad os loqueretur cum eo, et videbat eum, quomodò verum est illud apostolicum, quòd *Deum nemo vidit unquam, nec videre potest?* [3] Videbat Moyses Deum non oculis corporeis, sed oculis mentis. Et quia lux illa perpetua, quæ Deus est, plus eum quàm cæteros illustraverat, ideo dictum est : *Os ad os loquebatur illi*, ac si diceretur : Plus omnibus manifestatus est illi. In eo autem quod dictum est : Non enim quis poterit videre faciem meam et vivere : ostensum est neminem his oculis corporeis Deum posse videre. [4] Quia enim corpora consuetudine loquendi visibilia nominantur, propterea Deus invisibilis dicitur ne corpus esse credatur : non quia corda munda suæ substantiæ contemplatione fraudavit. *Proinde* [5] sicut videntur ista visibilia, corporis sensibus nota, *Deum nemo vidit unquam ;* quoniam si aliquando eo modo visus est, non sicut ista natura videtur, sed voluntate visus est, specie qua voluit apparens, latente natura atque in se incommutabiliter permanente. [6] *Deum nemo vidit unquam*, res est invisibilis ; non oculo, sed corde quærendus est. Sed quemadmodum si solem istum videre vellemus, oculum corporis purgaremus, unde videri lux potest : volentes videre Deum, oculum quo Deus videri potest purgemus. Et ubi est iste oculus? Audi Evangelium : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed nemo sibi pro concupiscentia oculorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem, distendit per loca velut lucem istam quam videt his oculis, auget per campos quantum potest ; aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. [7] Non *enim* percipiens quæ

[1] Lib. 4, de Symb. ad Catechum., cap. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Epist. 112, cap. 20. — [5] Ibid., cap. 9. — [6] Tract. 7 in Epist. Joann. — [7] Tractat. 102, in Joann.

sunt Spiritus Dei homo animalis, sic audit quæcumque audit de Dei natura, ut aliud quàm corpus cogitare non possit, quamlibet amplissimum vel immensum, quamlibet lucidum ac speciosum, corpus tamen; ideo proverbia illi sunt quæcumque dicta sapientiæ de incorporea immutabilique substantia; non quod ea tanquam proverbia deputat, sed quia sic cogitat, quomodò qui proverbia solent audire neque intelligere. [1] Omnino nihil horum cogitet humana mens. *Veritas est Deus.* Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa. Ubique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat. [2] Si *quis* aereum vel etiam æthereum corpus diceret esse naturam Dei, profectò irrideretur ab omnibus, qui sapientiæ veritatisque naturam per nulla locorum spatia distentam atque diffusam, sine mole magnam et magnificam, nec in parte minorem, et in parte majorem, sed per omnia æqualem summo Patri, nec aliud habentem hic et aliud alibi, sed ubique integram, ubique præsentem qualicumque acie serenioris mentis intueri valent. Est [3] quod cogites, si vis videre Deum, *Deus dilectio est.* Qualem faciem habet dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? nemo potest dicere. [4] Quid enim, fratres mei? quare, quando laudatur charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? Quid vobis ostendi? aliquos colores protuli? aurum et argentum proposui? gemmas de thesauris effodi? Quid tale ostendi oculis vestris? numquid facies mea mutata est cum loquor? Carnem gero, in ipsa forma sum in qua processi. In ipsa forma estis, in qua venistis. Laudatur charitas et clamatis. Certè nihil videtis.

Ideo [5] *etiam Deum nemo vidit umquam*, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. [6] Non *enim* Dei plenitudinem quisquam, non solùm oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. [7] Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quan-

[1] In Psalm. 30. — [2] Contra Epist. Fundament., c. 15. — [3] Tract. 7, in Epist. Joann. — [4] Ibid. — [5] Epist. 112, cap. 6. — [6] Ibid., cap. 7. — [7] Ibid., c. 8.

doquidem id videtur, quod præsens utcunque sentitur : totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt; sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui. Exempli gratia duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet : visus enim ad utrumque referendus est, id est et ad oculos et ad mentem. [1] Propterea *ergo* Deum nemo vidit unquam, quia [2] plenitudinem divinitatis ejus nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. *Denique* [3] illud *quoque* dictum est : *Deus habitat lucem inaccessibilem* : et audivimus tamen : *Accedite ad eum et illuminamini.* Quæ utique sic solvitur quæstio, ut inaccessibilis sit viribus nostris, accedatur autem ad Deum muneribus suis. *Sicque* [4] quia non ad eam *lucem* potest accedere, nisi cui Deus ipse donaverit, ut accedat : ideo per seipsam inaccessibilis est. Nemo enim ad eam potest accedere, quem Deus noluerit ut accedat : cui autem donaverit ipse accedet.

Sic [5] *etiam* dictum est. *Nemo novit Filium nisi Pater* : *neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*, ut intelligamus et Patrem et ipsum Filium per Filium revelari : quia et ipse est mentis nostræ lumen. [6] *Unde* respondemus eo ipso, quod in Evangelio scriptum est : *Deum nemo vidit unquam*, NISI UNICUS FILIUS, *qui est in sinu Patris ; ipse annuntiavit nobis de eo*, totam *istam* solvi posse quæstionem : quia ipse Filius, qui est Verbum Dei, non solum novissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est, sed etiam prius à constitutione mundi, cui voluit de Patre annuntiavit, [7] quia ipse est in omnibus veritas. [8] Per quamlibet *enim* creaturam dicatur veritas, non nisi ab illo dicitur, qui unus est verax.

[1] Ibid., cap. 8. — [2] Ibid. — [3] Concio 6, in Psalm. 118. — [4] Lib. 2, de Actis cum Felice manich., c. 7. — [5] Lib. 1, qq. Evang. q. 1. — [6] Lib. contra Adimant., cap. 9. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

CAPUT XXVII.

NULLAM VERITATEM IMMUTABILEM POSSE INTELLIGI, NISI DEO ADJUVANTE ATQUE DONANTE ; AC PROINDE NON POSSE DEUM AB INTELLECTU CREATO CONSPICI NISI PER LUCEM INCREATAM FORMALITER ILLUSTRATO, CUM INTELLECTUI CREATO PER SEIPSAM IMMEDIATÈ LUX INCREATA NECESSARIO LUCERE, IDEOQUE INTELLECTUM CREATUM ILLUSTRARE DEBEAT, UT EI PER SEIPSAM CLARA SIT AC MANIFESTA : NEC ULLAM DARI SPECIEM VEL IMAGINEM QUÆ DEUM REPRÆSENTET.

Ipsa [1] *quippe* visio intellectus conficitur ex intelligente et eo quod intelligitur : ut in oculis videre quod dicitur ex ipso sensu constat atque sensibili, quorum detracto quolibet, videri nihil potest. [2] Quid, *quæso*, prodest patens et sanus oculus si lumen desit ? *certè* [3] sine lumine non potest videri lumen : *Deus autem* [4] internum *est* lumen æternum. [5] Quod enim mente conspicimus, id est intellectu atque ratione, [6] illud certè manifestum est, clarum est ; [7] omne autem quod manifestatur lumen est ; [8] nec tibi aliter manifestum esset *lumen divinum*, [9] clarum *tibi* esse non posset, [10] nisi Deus tibi luceret, et ejus veritas *se* tibi ostenderet. [11] Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei ? aut quid veritas Dei, nisi lux Dei ? Hæc [12] veritas ostendit omnia quæ vera sunt.

Sic igitur [13] Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, [14] ut ex quantulacumque parte possit intelligi : *quatenus nempe* [15] mentibus sese manifestat, et tanquam miris modis secretum et publicum lumen præsto est ac se præbet communiter. [16] Ita videtur claritas Domini per speciem, [17] si se ille mentibus *nostris* veritatis

[1] Lib. 1, Soliloq., cap. 6. — [2] Serm., de Verb. Dom. — [3] Tract. 35, in Joan. — [4] L. 9, Confess., cap. 4. — [5] Lib. de Magist., cap. 4. — [6] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [7] Epist. ad Ephes., cap. 5. — [8] Lib. 2, de Lib. arbit., cap. 3. — [9] Ibid., cap. 11. — [10] Tract. 12, in Joan. — [11] In Psalm. 42. — [12] Lib. 2, de Lib. arb., c. 12. — [13] Lib. 2, de Peccat. merit., cap. 5. — [14] Lib., cont Epist. fundam., cap. 2. — [15] Lib. 2, de Lib. arbit., cap. 11. — [16] Ibid., cap. 12. — [17] L. 12, de Genes. ad lit., c. 26.

fulgor aperiat, [1] *si* se *nobis* ostendere dignatur : [2] novit enim illa pulchritudo quando se ostendat, cum [3] faciat quod placet, *et* quando placet sese ostendat. *Ita cum anima* [4] videt quæ sit immutabilis veritas, *ipsa* tanquam sol fulget in anima. [5] Fulget animæ quod non capit locus : [6] invisibiliter et ineffabiliter, sed tamen intelligibiliter *animæ* lucet. [7] Sic *enim* mens nostra, quæ est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo qui illuminat nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam, nec ad justitiam, poterit pervenire. [8] Proinde qui potest Deum invisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere, [9] quia inter mentem nostram, qua *ipsum* intelligimus, nulla interposita creatura est. [10] Videntur enim quæ præsto sunt, unde et præsentia nominantur, vel animi vel corporis sensibus. [11] Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est. [12] *Ac per hoc* quæ intelliguntur eodem modo sese habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse conjunctum miro quodam, eodemque incorporali modo, scilicet non localiter : *quoniam eorum* [13] non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus sicuti sunt per seipsa intus cernimus. *Ipsum enim intellectualium genus*, [14] quo dilectio *verbi gratia* intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sint quod ipsæ ; *sicque* [15] ipsa veritas non est quomodo aliunde *cognoscatur*. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale perspexeris, ipsa est. Et non est quidquam tale ; quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

Videsis etiam nonnulla cogitata sancti Augustini quibus hæc thesis astruitur, suprà, cap. 5, *part. prim.*, p. 14.

[1] Lib., in Soliloq., cap. 12. — [2] Ibid., cap. 14. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Genes., contr. Manich., c. 9. — [5] Lib. 10, Confess., cap. 6. — [6] Epist. 85. — [7] Tract. 35, in Joann. — [8] Epist. 112, cap. 15. — [9] Lib. 6, de Musica, cap. 2. — [10] Epist. 112, cap. 2. — [11] Lib. de Util. credendi, cap. 13. — [12] Lib. de Immort. anim., cap. 10. — [13] L. 10, Confess. cap. 11. — [14] Lib. 12, de Genes. ad lit., cap. 6. — [15] Lib. 8, de Trinit., cap. 6.

CAPUT XXVIII.

DEO, NON AUTEM MENTI NOSTRÆ TRIBUENDUM ESSE VERUM OMNE QUOD LOQUIMUR.

Hujus[1] est verum omne quod loquimur, etiam quando adhuc vel minus sanis vel repente apertis oculis audacter converti, et totum intueri trepidamus. [2]Qui loquitur mendacium, de suo loquitur : qui loquitur veritatem de Deo loquitur. *Unde*[3] nemo debet aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi fortè mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui ait : *Ego sum veritas.* Quid enim habemus quod non accepimus? *Sicque Moyses*[4] consilium regendi atque administrandi tam magni populi à socero suo, alienigena scilicet homine, et maximè providus et minimè superbus accepit. Noverat enim ille vir ex quâcumque animâ verum consilium processisset, non ei, sed illi, qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse. [5]Quia nemo hominum potest dicere quod veritatis est, nisi illuminatus ab eo qui mentiri non potest.

CAPUT XXIX.

MAGISTRUM NOSTRUM ESSE DEUM SOLUM, NON HOMINEM.

Quapropter[6] invenitur magistrum non esse qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundùm illud etiam quod in Evangelio scriptum est : *Unus est magister vester Christus.* [7]Nunc enim ne plus *verbis* quàm oportet tribueremus, admonui te : ut jam non crederemus tantùm, sed etiam intelligere inciperemus, quàm verè scriptum sit auctoritate

[1] Lib. de Beata vita sub finem. — [2] In Psalm. 102. — [3] Lib. 1, de Doctr. Christ. in Prolog. — [4] Ibid. — [5] Tractat. 14, in Joann. — [6] Lib. 1, Retractat., cap. 12. — [7] Lib. de Magistro, cap. 14.

divina, ne nobis quemquam magistrum dicamus in terris, quòd unus omnium magister in cœlis sit. Quid sit autem in cœlis, docebit ipse à quo etiam per homines signis admonemur et foris, ut ad eum intro conversi erudiamur, quem diligere ac nosse beata vita est. [1] Qui te docet, intus est : quando tu doces tanquam foras exis ad eos, qui foris sunt. Ab interiore enim audivimus veritatem, et ad eos qui foris à nostro corde sunt, loquimur.

Novit [2] *ergo* Charitas vestra omnes nos unum magistrum habere, et sub illo condiscipulos esse. Nec ideo magistri sumus, quia de loco superiore loquimur vobis, sed magister est omnium qui habitat in nobis omnibus. [3] Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno magistro in hac scholâ vobiscum condiscipuli sumus. *Nam et* [4] ego interrogo *Dominum.* Interrogo autem inquantum possum super me effundere animam meam, ubi non sonantem et tamen docentem audiam. [5] Audite me interrogantem potius quàm disputantem, magis quærentem quàm præsumentem, potius discentem, quàm docentem, et certè in me vel per me etiam vos interrogate. Præsto est etiam ipse Dominus qui ubique est, audiat interrogandi affectum, et intelligendi præstet effectum. [6] Ipso magis inspirante, quàm hominum aliquo commonente perdiscetis; *nam* eo ipso quod forinsecus bene admonentem judicio non errante approbamus, quid aliud quàm internum lumen, magistrum nos habere testamur?

Ipsum [7] est, Domine, Verbum tuum, quod et Principium est, qui et loquitur nobis. Sic in Evangelio per carnem ait; et hoc insonuit foris auribus hominum ut crederetur, et intus quæreretur, et inveniretur in æterna veritate, ubi omnes discipulos bonus et solus magister docet. Ibi audio, Domine, vocem tuam dicentem mihi, quoniam ille loquitur nobis, qui docet nos. Qui autem non docet nos, etiam si loquitur, non nobis loquitur. Quis porrò nos docet nisi stabilis veri-

[1] In Psalm. 39. — [2] Sermo de Verbis Domini 48. — [3] In Psalm. 126. — [4] Tractat. 69, in Joann. — [5] Ibid. 38. — [6] Epist. 119. — [7] Lib. 11, Confess., cap. 8.

tas? Quia et per creaturam mutabilem cum admonemur, ad veritatem stabilem ducimur; ubi verè discimus, cum stamus et audimus eum, et gaudio gaudemus propter vocem sponsi, reddentes nos unde sumus. Et ideo Principium, quia nisi maneret cum erraremus, non esset quò rediremus. Cum autem redimus ab errore, cognoscendo utique redimus. Ut autem cognoscamus, docet nos, quia Principium est, et loquitur nobis.

Non[1] habetis, *inquit Joannes Apostolus,* necessitatem ut aliquis vos doceat, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et ut quid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, et doceat vos unctio ipsius. Sed modo mihi facio quæstionem, et illi ipsi Apostolo facio : dignetur audire parvulum quærentem à se; ipsi Joanni dico : Unctionem habebant quibus loquebaris? Tu dixisti, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Ut quid talem epistolam fecisti? quid illos tu docebas? quid instruebas, quid ædificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres: sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Adeo, fratres, vultis nosse? Numquid non sermonem istum omnes audistis? Quàm multi hinc indocti exituri sunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum : sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adjutoria quædam sunt et admonitiones; cathedram in cœlo habet, qui corda docet : propterea ait et ipse in Evangelio : *Nolite vobis dicere magistrum in terra : unus est magister vester Christus.* Ipse vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic est; quia etsi aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo : et non sit nullus in corde tuo : Christus sit in corde tuo; unctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, et non habens

[1] Tractat. 3, in Epist. Joann.

fontes quibus irrigetur. Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio et illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Sic sunt ista verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem: forinsecus operatur, adhibet aquam et diligentiam culturæ. Quælibet forinsecus adhibeat, numquid poma format? numquid nuditatem lignorum vestit umbrâ foliorum? numquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed quis agit hoc? audite agricolam Apostolum, et videte quid sumus, et audite magistrum interiorem : *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Hoc ergo vobis dicimus, sive plantemus, sive rigemus loquendo, non sumus aliquid; sed ille qui incrementum dat Deus, id est, unctio illius docet vos de omnibus. [1] Audite *igitur* dilucescentem magistrum, et illabentem cordibus nostris solem nostrum; non quem desiderant oculi carnis, sed cui æstuant aperiri oculi cordis. [2] Habemus enim intus magistrum Christum. Quicquid per aurem vestram et os meum capere non potueritis, in corde vestro ad eum convertimini : qui et me docet quod loquor, et vobis quemadmodum dignatur distribuit. Qui novit quid det, et cui det. *Sicque* [3] qui capere non potest, non mihi ascribat, sed tarditati suæ, et convertat se ad illum qui cor aperit, ut infundat quod donat. [4] Scriptum est enim in prophetis, et erunt omnes docibiles Dei. Docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient : et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Quid faciunt homines forinsecus annunciantes? quid facio modò ego cum loquor? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico, quid loquor? exterior, cultor arboris : interior, est creator. Qui plantat et qui rigat, extrinsecus operatur : hoc facimus nos. Sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus : hoc est, erunt omnes docibiles

[1] Tract. 19, in Joann. — [2] Ibid., Tract. 20. — [3] Ibid. — [4] Ibid., Tract. 26, in Joann.

Dei. [1]Per homines enim commemoratio aliqua signis verborum fieri potest : docet autem unus verus Magister, ipsa incorruptibilis Veritas, solus Magister interior : qui etiam exterior factus est ut nos ab exterioribus ad interiora revocaret : et formam servi accipiens, ut ejus sublimitas surgentibus innotesceret, jacentibus humilis apparere dignatus est.

CAPUT XXX.

PECCATUM SUPERBIÆ, PROPTER QUOD IN DESIDERIA CORDIS GENTILES PHILOSOPHI TRADITI SUNT, IN EO FUISSE POSITUM, QUOD DEI COGNITIONEM SE FUISSE ABSQUE AUXILIO ALIQUO DIVINO ASSECUTOS ARBITRARENTUR.

Intelligat [2]ergo homo non se gaudere debere de sapientia sua, sed de sapientia quam accepit à Deo. Nihil plus quærat, et non amittit quod invenit : Multi enim ideo *facti sunt insipientes, qui dixerunt se esse sapientes.* Arguit illos Apostolus, et dicit de ipsis : *Quia quod notum est Dei*, ait, *manifestum est illis* : *Deus enim illis manifestavit.* De quibus tam ingratis impiis, audite quid dicat : *Deus enim illis manifestavit* : *invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint inexcusabiles.* Quare *inexcusabiles* ? *Quia cognoscentes Deum;* non dixit, quia non cognoverunt; sed *quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* : *dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Si enim Deum cognoverant, simul cognoverant quia non eos fecerat sapientes nisi Deus. Non ergo sibi tribuerent quod à se non habebant, sed ei à quo acceperant. Non autem agendo gratias, insipientes facti sunt. Ergo Deus quod dederat gratis, tulit ingratis. [3]Viderunt enim quò veniendum esset, sed ingrati ei qui illis præstitit quod viderunt, sibi voluerunt tribuere quod vide-

[1] Contra Epist. fundament, cap. 36. — [2] Tractat. 14, in Joann. — [3] Ibid., Tract. 2.

runt, et facti superbi amiserunt quod videbant, et conversi sunt inde ad idola et simulacra et culturas dæmonum, adorare creaturam, et contemnere Creatorem : sed jam isti elisi ista fecerunt. Ut autem eliderentur, superbi erant : cum autem superbirent, sapientes se esse dixerunt. *Ita* [1] quod curiositate invenerunt, superbiâ perdiderunt. *Dicentes enim se esse sapientes*, id est, donum Dei sibi tribuentes, *stulti facti sunt*, [2] *et obscuratum est insipiens cor eorum.* Apostoli verba sunt, non mea. *Et obscuratum est cor eorum.* [3] Et unde obscuratum est ? sequitur et dicit apertius : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* [4] Jam *igitur* ista pœna est obscuratio cordis, sed unde contigit ? *dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt*, quia à se habere dicebant, quod à Deo acceperant : aut si cognoverunt, à quo acceperunt, non eum glorificaverunt, à quo se accepisse cognoverunt. Hoc est dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. [5] Quod *ergo* dicit *Apostolus* : *Cognoscentes Dominum non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, hoc caput est peccati, de quo dictum est : *Initium omnis peccati superbia.* Qui si gratias egissent Deo, qui dederat hanc sapientiam, non aliquid tribuissent cogitationibus suis ; quapropter in desideria cordis sui traditi sunt à Domino, ut facerent quod non oportet.

CAPUT XXXI.

ALIIS PHILOSOPHIS PLATONICI PRÆFERUNTUR, QUOD AD INTELLIGENDAM VERITATEM INTELLECTUM NOSTRUM DIVINITUS ADJUVANDUM ESSE DOCUERINT.

Quicumque *autem* [6] Philosophi de Deo summo et vero ista senserunt, quod et rerum creatarum sit effector et lumen cognoscendarum, et bonum agendarum : quod ab

[1] Serm. de Verb. Dom. 55. — [2] Ibid. — [3] Tract. 2, in Joann. — [4] In Psalm. 57. — [5] In Exposit. quarumdam proposit. ex Epist. ad Rom. proposit. 4. — [6] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9.

illo nobis sit et principium naturæ, et veritas doctrinæ, et felicitas vitæ: [1] principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum: [2] causa subsistendi, ratio intelligendi et ordo vivendi: eos omnes cæteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur. [3] Si enim natura nostra esset à nobis, profectò et nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam doctrinâ, id est, aliunde discendo percipere curaremus, et noster amor à nobis profectus, et ad nos relatus, ad beatè vivendum sufficeret, nec bono alio, quo frueremur, ullo indigeret. Nunc verò quia natura nostra, ut esset, Deum habet auctorem, procul dubio ut vera sapiamus ipsum debemus habere doctorem, ipsum etiam, ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.

Hæc [4] itaque causa est cur istos cæteris præferamus: quia cum alii Philosophi ingenia sua studiaque contriverint in requirendis rerum causis, et quinam esset modus discendi atque vivendi; isti Deo cognito repererunt, ubi esset causa constitutæ universitatis, et lux percipiendæ veritatis, et fons bibendæ felicitatis. Sive ergo isti Platonici, sive quicumque alii quarumlibet gentium Philosophi de Deo ista sentiunt, [5] ut in illo inveniatur, et causa subsistendi, et ratio intelligendi et ordo vivendi: *quibus scilicet* [6] neque naturarum omnium auctor nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beateque vivatur inspirator; nobiscum sentiunt. [7] Hi *ergo* quos meritò cæteris anteponimus, [8] lumen mentium esse dixerunt ad discenda omnia eumdem ipsum Deum à quo facta sunt omnia.

[1] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 4. — [2] Ibid., cap. 4. — [3] Ibid., lib. 11, cap. 25. — [4] Ibid., lib. 8, cap. 10. — [5] Ibid., cap. 4. — [6] Ibid., lib. 11, cap. 25. — [7] Ibid., lib. 8, cap. 10. — [8] Ibid., cap. 7.

CAPUT XXXII.

AUXILIUM ILLUD DIVINUM AC NATURALE, QUO NOSTRA MENS AD IMMUTABILEM ALIQUAM VERITATEM INTELLIGENDAM INDIGET, ESSE LUCEM VERITATIS IPSIUS INCREATAM, QUA FORMALITER ILLUSTRARI DEBET UT IPSAM CONSPICIAT.

Sicut [1] enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, [2] et ut videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest : ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, [3] ut ex quantulacumque parte possit intelligi; [4] quantò quisque magis minusve potuerit pro suæ capacitatis modo, divinitùs adjutus internis æternisque rationibus ut possit, [5] quia sine lumine non potest videre lumen.

Hoc [6] ipsum *igitur* animæ quod intellectus et mens dicitur, illuminatur luce superiore. Jam superior illa lux, qua mens humana illustratur, Deus est; [7] quia et hoc ipsum *verbi gratia*, quod tibi displicuit peccatum, non tibi displiceret, NISI DEUS TIBI LUCERET, ET EJUS VERITAS TIBI OSTENDERET. [8] Quid *autem* aliud lux Dei, nisi veritas Dei? aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? [9] neque enim et Christus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis, sed illud propriè, hoc figuratè. *Ibi* [10] melior et certior lux, [11] quàm in hac consuetudine quotidianæ lucis hujus et corporalis. [12] Omnia enim ista *quæ supra jam adduximus*, luce clariora sunt, [13] incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili. Hoc utique manifestum est. [14] Sunt *igitur* veræ atque incommutabiles istæ regulæ sapientiæ quædam lumina virtutum vera et incommutabilia, [15] quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate, sapientiaque communi. [16] Omne enim quod manifestatur lumen est, *inquit Apostolus.*

[1] Lib. de Natura et grat., cap. 26. — [2] Lib. 2, de Peccat. merit. et remiss., cap. 5. — [3] Lib. contra Epist. fundam., cap. 2. — [4] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 12. — [5] Tract. 35, in Joann. — [6] Ibid., Tract. 15. — [7] Ibid., Tract. 12. [8] In Psalm. 42. — [9] Lib. 4, de Genesi ad litt. cap. 14. — [10] Ibid. — [11] Ibid. [12] Lib. de Duab. animab., cap. 10. — [13] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [14] Ibid. — [15] Ibid., cap. 19. — [16] Ephes., cap. 5.

Quapropter[1] nullo modo negaveris immutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem omnibus incommutabilia vera cernentibus, *ut alibi jam diximus,* tanquam miris modis secretum et publicum lumen præsto esse, ac se præbere communiter. [2]Hæc enim veritas ostendit omnia bona quæ vera sunt. [3]Lux ipsa sapientiæ, in qua hæc videri et teneri possunt, omnibus sapientibus una communis *est.* [4]Lux quædam *est* in qua *nonnulla* neganda, respuenda, improbanda cernuntur, et quàm sit certa cognoscitur. [5] Lux *quippe* mentiri non potest. Absit *enim* ut in lucis divinæ splendore, tenebræ mendacii reperiantur.

Est[6] ergo, fratres, quædam lux intus, quam non habent qui non intelligunt. Unde jam eos qui desiderant hunc fontem vitæ, et inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans et dicit : Ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentiâ, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Si ergo illi obscurati sunt intelligentia, id est, quia non intelligunt obscurantur; ergo qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, et insiccabilis fons : in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen, quale non norunt oculi tui : cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. [7]Aliud est *autem* lumen quo illuminamur, aliud nos qui illuminamur. Lumen ipsum, quo illuminamur, nec avertitur à se, nec perdit lucere, quia lux est. [8]Lumen illud quo *mentes* illuminantur à se recedere non potest, quia incommutabile omnino est. [9]Non tale lumen *est*, quod ab aliquo possit obtenebrari. [10]Loquens per nubem carnis lumen *illud* indeficiens, lumen scientiæ, lumen sapientiæ, ait hominibus : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* [11]Noster sol justitiæ veritas Christus,

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 12. — [2] Ibid., cap. 13. — [3] Ibid., cap. 9. — [4] Tract. 111, in Joann. — [5] Ibid., Tract. 36. — [6] In Psalm. 41. — [7] Tract. 21, in Joann. — [8] Ibid., Tract. 54. — [9] In Psalm. — [10] Tract. 34, in Joann. — [11] Præfat. enarrat. 2, in Psalm. 25.

non iste sol qui adoratur à Paganis et Manichæis, et videtur à peccatoribus : sed ille alius cujus veritate natura humana illustratur, ad quem gaudent Angeli. [1]Filius Dei virtus et sapientia Dei est, qua illustratur omnis quisquis veritate sapiens efficitur.

Noli [2] *ergo* putare te ipsam esse lucem. Illa est lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. [3]Dic quia tu tibi lumen non es. Ut multum, oculus es, lumen non es. Quid prodest patens et sanus oculus, si lumen desit? Ergo dic à te tibi lumen non esse, et clama quod scriptum est : *Tu illuminabis lucernam meam, Domine. Lumine tuo, illuminabis tenebras meas.* [4]*Signatum est enim super nos lumen vultûs tui, Domine.* Non lumen nos sumus *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* sed illuminamur à te, ut qui fuimus aliquando tenebræ, simus lux in te. O si viderent internum lumen æternum, [5]qui adhuc diligunt vanitatem et quærunt mendacium. ([6]In phantasmatibus enim, quæ pro veritate tenent vanitas *est* et mendacium). [7]Hoc lumen est totum hominis, et verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum autem *Propheta* dixit in nobis, tanquam denarius signatur regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem et similitudinem Dei, quam peccando corrupit. Bonum ergo ejus est verum atque æternum, si renascendo signetur, et ad hoc credo pertinere, quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viso Cæsaris nummo ait : *Reddite Cæsari quod Cæsaris est, et Deo quod Dei est.* Tanquam si diceret : Quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic et Deus. Ut quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus ejus illustrata atque signata. [8]Non ergo foris quærenda est lætitia ab his qui adhuc graves corde diligunt vanitatem et quærunt mendacium, sed intus ibi signatum est lumen vultus Dei. *In interiore* enim *homine habitat Christus,* ut ait Apostolus. Ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cum ipse dixerit : *Ego sum veritas.* Et cum

[1]In Psalm. 8. — [2]In Psalm. 25. — [3]Serm. 8, de Verb. Domini. — [4]L. 9, Confess., cap. 4. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]In Psalm. — [8]In Psalm. 4.

loquebatur in Apostolo dicente : *An vultis experimentum ejus accipere qui in me loquitur Christi*? Non ei foris utique, sed in ipso corde, id est, in illo cubili, ubi orandum est, loquebatur.

O veritas[1] lumen cordis mei, non tenebræ loquantur mihi : ô lumen veridicum tibi admoveo cor meum ; ne me vana doceat, discute tenebras ejus. [2]*Illumina vultum tuum super nos*, ostende nobis vultum tuum. Non enim aliquando illuminat vultum suum Deus, quasi aliquando fuerit sine lumine, sed illuminat super nos, ut quod nos latebat, aperiatur nobis : et quod erat, sed nobis absconditum erat, reveletur super nos, hoc est, illuminetur.

Si [3] hoc capis, gratias age Deo : si non capis, quiesce et noli temerè nondum intellecta damnare : supplexque illi, qui lumen mentis accendit, attende ut intelligas, [4]non hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante atque illuminante. [5]Deus misericordiarum adjuva intuentes, et verum quærentibus interius lumen accende. [6]Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Ipse *Christus* est lux tua, et veritas tua. Hæc nomina duo, res una. [7]Et, hoc utrumque unus Christus. *Ego,* inquit, *sum lux mundi. Ego sum via, veritas et vita.* Ipse lux, ipse veritas.

Lumen [8] *ergo* viventium sapientia, et tenebræ insipientium stultitia est: [9]Lumen viventium est lumen immortalium, lumen Sanctorum. Qui non est in tenebris placet in lumine viventium. [10]*Alii verò* non habent lumen viventium, unde videant quod placet Deo.

CAPUT XXXIII.

VERITATEM IMMUTABILEM, UT INTELLECTU CONSPICIATUR, NON SOLUM PER MODUM LUCIS, SED ETIAM PER MODUM SPECIEI DEBERE MENTIBUS NOSTRIS IMMEDIATÈ SEIPSA IMPRIMI.

Hæc *etiam* [11] quæ intelliguntur eodem modo sese habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse

[1] Lib. 12, Confess., cap. 10. — [2] In Psalm. 66. — [3] Contra Epist. fundament. cap. 38. — [4] Ibid., c. 14. — [5] Ibid., cap. 27. — [6] In Psalm. 42. — [7] Ib. — [8] In Psalm. 55. — [9] Ib. — [10] Ib. — [11] L. de Immort. anim., c. 10.

conjunctum miro quodam eodemque incorporali modo, scilicet non localiter. Quoquolibet *enim* modo *verum* se habeat, non id posset contemplari animus per seipsum, nisi aliqua conjunctione cum eo : nam omne quod contemplamur sive cogitatione capimus, aut sensu aut intellectu capimus. Sed ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, et locis continentur. Unde nec percipi quidem posse affirmantur. Ea vero quæ intelliguntur, non quasi alibi posita intelliguntur quam ipse qui intelligit animus, *quoniam eorum* [1] non per sensus haurimus imagines, *ut capite septimo jam ostendimus*, sed sine imaginibus sicuti sunt, per seipsa intus cernimus. [2] Ipsa *siquidem* veritas non est quomodo aliunde cognoscatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quicquid enim tale aliquid perspexeris, ipsa est : et non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

Proinde [3] qui potest Deum invisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere. [4] Non enim ut aurum et argentum, cæteraque id genus, et cognoscere cum videas, et non habere concessum est : ita sapientiam mentis ejus oculo, qui ea careat, videri fas est. Sensu enim corporis quæcumque attingimus, forinsecus nobis offeruntur. Et ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum vel ejus generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est : nec id habere quicquam est aliud, quàm videre. [5] Cum Deo *igitur* est quicquid intelligit Deum. [6] Sapiens prorsus ipse cum Deo est, [7] qui humanis mentibus nullâ naturâ interpositâ præsidet, [8] quia inter mentem nostram, qua *Deum* intelligimus Patrem, et veritatem, id est, lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. *Et* [9] quia ubique Deus, quoquò

[1] Lib. 10, Confess., cap. 11. — [2] Lib. 8, de Trinit., c. 8. — [3] Epist. 112, cap. 15. — [4] Lib. de Utilit. credendi, cap. 13 — [5] Lib. 2, de Ord., cap. 2. — [6] Ibid. — [7] Lib. 6, Musicæ, cap. 1. — [8] Lib. de Vera Relig., cap. 55. — [9] Lib. 2, de Ord., cap. 6.

ierit sapiens invenit Deum cum quo esse possit. Ita fit ut possimus et non negare illum de loco in locum transire, quod est moveri, et tamen semper esse cum Deo, [1] cum sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas : nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat.

Ut [2] quid *igitur* imus et currimus in sublimia cœlorum, et ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos? [3] Exterius enim *homines* conantur ire, et interiora sua deserunt, quibus interior est Deus. [4] Ecce jam potest *homo* notiorem Deum habere, quàm fratrem. Planè notiorem, quia præsentiorem ([5] nihil enim tam novit mens, quàm id quod sibi præsto est) : notiorem, quia interiorem : notiorem quia certiorem. *Ita* [6] propinquior nobis qui fecit, quàm multa quæ facta sunt. In illo enim vivimus, movemur et sumus. Istorum autem pleraque remota sunt à mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt. [7] Remota etiam sunt à sensibus corporis nostri, quoniam longe sunt, vel interpositis vel oppositis aliis, à nostro contuitu tactuque separantur. Ex quo fit ut major ad illa invenienda sit labor, quàm ad illum à quo facta sunt, cum sit incomparabili felicitate præstantius illum ex quantulacumque particula, pia mente sentire, quàm illa universa comprehendere. Unde recte culpantur in libro Sapientiæ inquisitores hujus seculi. Si enim tantum, inquit, potuerunt valere, ut possent æstimare seculum, quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt? Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, et qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.

[1] Lib. de Utilit. credendi, cap. 15. — [2] Lib. 8, de Trinit., cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 8. — [5] Ibid., lib. 14, cap. 4. — [6] Lib. 5, de Genesi. ad Litt. cap. 16. — [7] Ibid.

CAPUT XXXIV.

IPSAM VERITATIS ÆTERNÆ LUCEM, LICÈT OMNIBUS UBIQUE PRÆSENTEM, A PLURIBUS TAMEN REFLEXÈ NON PERCIPI, QUONIAM INTENTIONEM ANIMI CONVERTUNT AD ALIA.

Sed [1]forte stulta corda adhuc capere istam lucem non valent, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint : non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt : ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est : sic omnis stultus, omnis iniquus : sic omnis impius, cæcus est in corde. Præsens est illi sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est : non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. [2]Nam etiam sol iste et videntis faciem illustrat et cæci : ambo pariter stantes, et faciem ad solem habentes, illustrantur in carne, sed non ambo illuminantur in acie : videt ille, sed non ille videt. Ambobus sol præsens est, sed præsenti soli unus est absens : sic et Sapientia Dei, Verbum Dei, Dominus Jesus Christus ubique præsens est, quia ubique est veritas, ubique est sapientia. [3]Numquid *stultis* non est præsens? est præsens et illis, sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. [4]Multi enim cum fuerint diutius in imis tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi jejunio lucis. Fraudati oculi cibo suo, luce quippe pascuntur, defatigantur jejunio et debilitantur, ita ut ipsam lucem qua reficiuntur, videre non possint : et si diutius abfuerint, extinguuntur, et tanquam moritur in eis ipsa acies lucis. [5]Attingit *igitur* ubique propter suam munditiam? sed lux

[1]Tract. 1, in Joann. — [2]Ibid., Tract. 35. — [3]Ibid. — [4]Ibid., Tract. 13. — [5]Ibid., Tract. 111.

lucet in tenebris, nec eam tenebræ comprehendunt : ac per hoc, ut de re visibili, quamvis longe dissimili, qualecumque sumamus exemplum, sicut cæcus etiamsi ibi sit ubi lux est, non est tamen ipse cum luce, sed absens est à præsente : ita infidelis atque impius, aut etiamsi fidelis et pius, nondum tamen ad intuendum lumen sapientiæ idoneus, etiamsi nusquam possit esse ubi non sit Christus, non est tamen ipse cum Christo duntaxat per speciem : nam hominem pie fidelem, non est dubitandum cum Christo esse per fidem ; [1] etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum se apertissimè ostendat. [2] In catholica enim Ecclesia ad *sincerissimæ sapientiæ* cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant : cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.

Quomodo [3] *igitur* nihil prodest aperire oculos, si sit quisque in tenebris : ita nihil prodest esse in luce si clausi sunt oculi. [4] Sicut *autem* tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec lumen sinunt videre nec se : [5] nam quando quisque ipso delicto involutus est, quasi obtenebratis opertisque oculis, non videt delictum : quia si tibi tegatur et carnis oculus, nec aliud vides, nec hoc, unde tegitur, vides.

Deus [6] *tamen* tuus ubique totus est : si non ab illo facias casum, nunquam à te ipse facit occasum. [7] Nam ille nec oritur nec occidit, quia semper manet. Erit tibi matutinus redeunti, quia tibi occasum fecerat pereunti. [8] Videtur autem quasi ipse à te occidere, cum tu ab ipso occidas. [9] *Deus enim* semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem sed intelligibilem et spiritalem : sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit *autem* in oratione conversio cordis ad eum qui semper dare paratus est, si nos capiamus, quod dederit : et in ipsa conversione

[1] contra Epist. fundam., cap. 4. — [2] Ibid. — [3] In Psalm. 25. — [4] Exposit. 1, in Psalm. 18. — [5] Exposit. 2, in Psalm. 18. — [6] Tract. 35, in Joann. — [7] Ibid., Tract. 17. — [8] In Psalm. 25. — [9] Lib. 2, de Serm. Domini in Monte.

purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur : ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem : nec solùm ferre, sed etiam manere in illa, non tantùm sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac sinceriter beata vita perficitur. [1] Est *ergo semper* aliquid quod videamus : quid premit, ut non videamus? nonne iniquitas? Oculum tuum, ne istam lucem videre posses, premebat fortassis humor irruens, premebat fortasse fumus, pulvis, aliquid injectum, et levare oculum saucium non poteras ad istam lucem. Quid ergo? cor saucium levabis ad Dominum? Nonne prius sanandum est ut videas? nonne superbus inveneris cum dicis, primò videam et sic credam? nonne quis dicit? Quis enim visurus dicit : Videam et sic credam? Lucem ostensurus sum, imò vero ipsa lux ostendere se vult. Cui? Cæco non potest, non videt. Unde non videt? gravato oculo multis peccatis. Quid enim ait? Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Si [2] autem *aliqui* propterea negandum putant *istam* esse, quia *eam* non valent cæcis mentibus cernere, debent et illi qui ex nativitate sua cæci sunt, esse solem negare. Lux ergo lucet in tenebris. [3] Quid faciat *cæcus?* mundet unde possit videri Deus. Quomodo si propterea videre non posset, quia sordidos et saucios oculos haberet, irruente pulvere aut pituita vel fumo, diceret illi medicus : Purga de oculo tuo quicquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum. Pulvis, pituita, fumus, peccata et iniquitates sunt. Tolle inde ista omnia, et videbis sapientiam quæ præsens est, quia Deus est ipsa sapientia. Et dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

[1] In Psalm. 39. — [2] Lib. 15, de Trinit., cap. 27. — [3] Tract. 1, in Joann.

CAPUT XXXV.

VERITATIS LUCEM IN NOBIS PROPRIÈ NON CRESCERE, SED EA MENTEM NOSTRAM MAGIS AC MAGIS ILLUSTRARI, CUM IN EJUS COGNITIONE PROFICIMUS : IPSUMQUE DEUM, QUAMVIS UBIQUE TOTUM, MAGIS TAMEN ET MINUS A CREATURIS CAPI POSSE.

Quemadmodum [1] *verò* si curarentur alicujus oculi ex pristina cæcitate, et inciperet videre paululum lucis, et alia die plus videret, et tertia die amplius, videretur illi lux crescere : lux tamen perfecta est, sive ipse videat, sive non videat. Sic est et interior homo : proficit quidem in Deo, et Deus in illo videtur crescere. [2] Ea ipsa *enim* quæ de Dei æternitate, veritate, sanctitate in promptu et palàm sine cessatione dicuntur, ab aliis bene, ab aliis male intelliguntur, imò ab aliis intelliguntur, ab aliis non intelliguntur : qui enim male intelligit, non intelligit. Ab eis ipsis autem à quibus bene intelliguntur, ab aliis minus, ab aliis amplius mentis vivacitate cernuntur. [3] In ipsa ergo mente, hoc est, in interiore homine quodammodo crescitur, non solum ut ad cibum à lacte transeatur, verum etiam ut amplius atque amplius cibus ipse sumatur. Non autem crescitur spatiosa mole, sed intelligentià luminosâ, quia et ipse cibus intelligibilis lux est. Ut ergo crescatis, eumque capiatis, et quanto magis crescitis, tanto magis magisque capiatis ; non ab eo doctore, qui vestris auribus sonat, hoc est, forinsecus operando plantat et rigat, sed ab eo qui dat incrementum, petere ac sperare debetis. [4] Crescat ergo Deus qui semper perfectus est, crescat in te. Quantò enim magis intelligis Deum, et quantò magis capis, videtur in te crescere Deus. In se autem non crescit, sed semper perfectus est. Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multò amplius. Lumen ipsum Dei crescit in te ; ita ut velut Deus crescit, qui semper perfectus manet. *Nam et* [5] quantùm quisque fuerit particeps

[1] Trac. 14, in Joann. — [2] Ibid., Tract. 97. — [3] Ibid. — [4] Ibid., Tract. 14. — [5] Ibid., Tract. 68.

tui, *Domine*, alius minus, alius amplius, hæc erit diversitas præmiorum pro diversitate meritorum : hæc erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum ; sed tamen omnium in æternitate vivorum, et sine fine beatorum.

Quomodò [1] ergo verum supra diximus quòd Deus ubique sit totus, quando in aliis est amplius, in aliis minus? Sed non est negligenter intuendum quod diximus, in seipso esse ubique totum. Non ergo in eis, quia alii plus eum capiunt, alii minus. Ideo enim ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est. Ideo totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, et alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem ; sed non solum universitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. Hique ab eo longe esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt : et hi ei propinquare, qui ejus similitudinem piè vivendo recipiunt. Sicut rectè dicuntur oculi tantò esse ab hac luce longiùs, quantò fuerint cæciores. Quid enim tam longe est à luce quàm cæcitas, etiamsi lux præsto sit, atque oculos perfundat extinctos? Propinquare autem luci meritò perhibentur oculi, qui sanitatis accessu aciem recipiendo, lucem recipiunt. Porrò autem quod parum distincte putavimus posse intelligi, cum diceremus Deum esse ubique totum, nisi adderemus, in seipso, video diligentiùs exponendum. Quomodo enim ubique, si in seipso? Ubique scilicet, quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit. *Nec* [2] si minus capitur ab illo cui præsens est, ideo ipse minor est. Totus enim in seipso est.. nec in quibus est, ita est ut indigeat eis, tanquam non possit esse nisi in eis. Sicut autem nec ab illo abest in quo non habitat, et totus adest, quamvis eum ille non habeat : ita et illi in quo habitat, totus est præsens, quamvis eum non ex toto capiat. Neque enim ad habitandum dividit se per hominum corda seu corpora, aliam sui partem huic tribuens, illi aliam, sicut lux ista per aditus et per fenestras domorum : sed potius si

[1] Epist. 57. — [2] Ibid.

quemlibet sonum, cum corporea res sit ac transitoria, surdus non capit, surdaster non totum capit, atque in iis qui audiunt, cum pariter ei propinquant, tantò magis alius alio capit quantò est acutioris, tanto autem minus, quanto est obtusioris auditûs, cum ille non variè magis minusve insonet, sed in eo loco in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit : quantò excellentiùs Deus natura incorporea et immutabiliter viva, qui non sicut sonus per moras temporum tendi et dividi potest, nec spatio aereo tanquam loco suo indiget, ubi præsentibus præsto sit, sed æternâ stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus : quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alii amplius, alii minus.

CAPUT XXXVI.

QUANTUMCUMQUE VERITATEM INCOMMUTABILEM CONSPICIAMUS IN HAC VITA, NOS TAMEN BEATOS HIC NON EFFICI, QUONIAM EX PARTE TANTUM, NON AUTEM PLENÈ VERITATEM CONSPICIMUS ; IDEOQUE PER SPECULUM IN ÆNIGMATE VIDERE DICIMUR, QUIA MAGIS PER FIDEM AMBULAMUS, QUAM PER SPECIEM, CUM LONGE PAUCIORA SINT, QUÆ DE DEO JAM INTELLIGIMUS, QUAM EA QUÆ CREDIMUS TANTUM.

In hac[1] *tamen* vita quantumcumque sciatur *Deus*, nondum est beatissimum ; quoniam incomparabiliter longè est amplius quod inde nescitur. [2]Non quia in hac vita nihil veri omnino inveniri potest, quod mĕnte cernatur, non fide credatur : sed quia tantum non est quicquid est, ut nos faciat beatissimos. Neque enim quod ait Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate,* et nunc cernitur ex parte, non cernitur mente : cernitur planè, sed beatissimos nondum facit. [3]Et ideo quamvis jam certior, et non solùm tolerabilior, sed etiam jucundior species lucis illius incipiat apparere, in ænigmate tamen adhuc et per speculum videri dicitur, quia magis per fidem, quàm per speciem ambulatur, cum in hac vita peregrinamur, quamvis conversationem habeamus in cœlis.

[1]Lib. 1, Retract., cap. 14. — [2]Ibid. — [3] Lib. 2, de Doctr. Christ. cap. 1.

CAPUT XXXVII.

DIVINAM TRINITATEM A NOBIS NONDUM CONSPICI, LICET NATURAM VERITATIS INCOMMUTABILEM SEU BONUM INCOMMUTABILE VIDEAMUS : SICQUE IN DEO ESSE QUOD INTELLIGENDO CONSPICIAMUS, ESSE ETIAM QUOD NON CONSPECTUM CREDAMUS.

Ad[1] summam *enim* Trinitatem quæ Deus est conspiciendam nos erigere volumus nec valemus. [2]Cur *autem illam* non agnoscimus *in Deo* Trinitatem? [3]An hæc sapientia, quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? [4]Ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet et notitia sui et dilectio sui. Sic enim et in homine invenimus Trinitatem, id est, mentem et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit. [5]Sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo. [6]Numquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Quapropter singulus quisque homo, qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est Trinitatis in mente. Trinitas verò illa, cujus imago est, nihil aliud est tota quàm Deus, nihil est aliud tota quàm Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet quod ad illam non pertineat Trinitatem; et tres personæ sunt unius essentiæ, non sicut singulus quisque homo una persona.

Incorporalem[7] substantiam scio esse sapientiam, et lumen esse in quo videntur quæ oculis carnalibus non videntur : et tamen vir tantus tamque spiritalis : *Videmus nunc*, inquit, *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quale sit et quod sit hoc speculum si quæramus, profectò illud occurrit quod in speculo nisi imago non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, ut per imaginem hanc, quod nos sumus, videremus utcumque à quo facti sumus, tanquam per speculum. [8]Quia verò addidit Apostolus, *in ænigmate*,

[1]Lib. 15, de Trinit., cap. 6. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]Ibid., c. 7. [6]Ibid. — [7]Ibid., cap. 8. — [8]Ibid., cap. 9.

nec [1]soli qui eas litteras nesciunt, quibus discuntur tropi, quærunt quid dixerit Apostolus, nunc in ænigmate nos videre, verùm etiam qui sciunt, tamen quod sit illud ænigma, ubi nunc videmus, nosse desiderant : ex utroque invenienda una est sententia : et ex illo scilicet quod ait : *Videmus nunc per speculum* : et ex isto quod addidit, *in ænigmate.* Una est enim cum tota sic dicitur, *videmus nunc per speculum in ænigmate.* Proinde, quantum mihi videtur, sicut nomine speculi imaginem voluit intelligi ; ita nomine ænigmatis quamvis similitudinem, tamen obscuram, et ad perspiciendum difficilem. Cum igitur speculi et ænigmatis nomine quæcumque similitudines ab Apostolo significatæ intelligi possint, quæ accommodatæ sunt ad intelligendum Deum, eo modo quo potest ; nihil tamen est accommodatius, quàm id quod imago ejus non frustra dicitur. Nemo itaque miretur etiam in isto modo videndi qui concessus est huic vitæ, per speculum scilicet in ænigmate, laborare nos ut quomodocumque videamus. Nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis.

Quisquis [2] *tamen* potest intelligere verbum, non solùm antequam sonet, verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur (hoc enim est quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet quæ linguæ appellantur gentium, quarum nostra lingua latina est) : quisquis, inquam, hoc intelligere potest, jam potest videre per hoc speculum atque in hoc ænigmate aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum.* Necesse est enim cum verbum loquimur, id est, quod scimus loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum quod ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus : quod nec græcum est nec latinum, nec linguæ alicujus alterius. [3]Quapropter quicumque cupit ad qualemcumque similitudinem Verbi Dei, quamvis per multa dissimilem, pervenire, non intueatur

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 9. — [2] Ibid., cap. 10. — [3] Ibid., cap. 11.

verbum nostrum quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur. [1] Transeunda sunt hæc, ut ad illud perveniatur hominis verbum, per cujus qualemcumque similitudinem sicut in ænigmate videatur utcumque Verbum Dei. *Et* [2] hujus *quidem* imaginis est quandoque futura perfectio. Ad hanc consequendam nos erudit magister bonus fide Christiana, pietatisque doctrina, ut revelata facie, à legis velamine quod est umbra futurorum, *gloriam Domini speculantes*, per speculum scilicet intuentes, *in eamdem imaginem* transformemur *de gloria in gloriam tanquam à Domini Spiritu.* [3] Cum ergo hac transformatione ad perfectum fuerit hæc imago renovata, *similes Deo erimus, quoniam videbimus eum*, non per speculum, *sed sicuti est* : quod dicit Apostolus Paulus, *facie ad faciem.* Nunc verò in hoc speculo, in hoc enigmate, in hac qualicumque similitudine, quanta sit etiam dissimilitudo, quis potest explicare?

De [4] creatura *quidem*, quam fecit Deus, quantum valuimus, admonuimus eos, qui rationem de rebus talibus poscunt, ut invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, sicut possent intellecta conspicerent, et maximè per rationalem vel intellectualem creaturam, quæ facta est ad imaginem Dei; per quam, velut per speculum, quantum possent, si possent, Trinitatem cernerent Deum, in nostra memoria, intelligentia, voluntate. Quæ tria in sua mente naturaliter divinitus, instituta quisquis vivaciter perspicit, et quàm magnum sit in ea, unde potest etiam sempiterna immutabilisque natura recoli, conspici, amplecti, concupisci, reminiscitur per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profectò reperit illius summæ Trinitatis imaginem. Ad quam summam Trinitatem reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, ea delectetur, totum debet referre quod vivit. Verùm ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam et suo vitio in deterius commutatam, ita eidem comparet Trinitati, ut omnimodo existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 20.

Sed [1] hanc non solùm incorporalem, verùm etiam summè inseparabilem vereque immutabilem Trinitatem, cum venerit visio quæ facie ad faciem repromittitur nobis, multò clariùs certiusque videbimus, quàm nunc ejus imaginem quod nos sumus : per quod tamen speculum et in quo ænigmate qui vident, sicut in hac vita videre concessum est, non illi sunt qui ea quæ digessimus et commendavimus in sua mente conspiciunt : sed illi qui eam tanquam imaginem vident, ut possint ad eum, cujus imago est, quomodocumque referre quod vident, et per imaginem quam conspiciendo vident, etiam illud videre conjiciendo, quoniam nondum possunt facie ad faciem. Non enim ait Apostolus : *Videmus nunc speculum*, sed videmus nunc per speculum. [2] Qui ergo vident suam mentem quomodo videri potest, et in ea Trinitatem istam de qua multis modis ut potui disputavi, nec tamen eam credunt vel intelligunt esse imaginem Dei : speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum eum, qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum, quod vident, sciant esse speculum, id est, imaginem. Quod si scirent, fortassis et eum cujus est hoc speculum, per hoc quærendum et per hoc utcumque interim videndum esse sentirent, fide non fictà corda mundante, ut facie ad faciem possit videri, qui per speculum nunc videtur. [3] Ibi veritatem sine ulla difficultate videbimus, eâque clarissimâ et certissimâ perfruemur. Nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus, quare non sit Filius Spiritus sanctus, cum de Patre procedat. In illa luce nulla erit quæstio. Hic verò ipsa experientia tam mihi apparuit esse difficilis ut [4] quotiescumque in ea creatura, quæ nos sumus aliquid illi rei simile ostendere volui, qualemcumque intellectum meum sufficiens elocutio secuta non fuerit : quamvis et in ipso intellectu conatum me senserim magis habuisse quàm effectum. [5] Modo *enim* lumen fidei et lumen spei est. Quamdiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. Per fidem enim

[1] Ibid. cap. 23. — [2] Ibid., cap. 24. — [3] Ibid., cap. 25. — [4] Ibid. — [5] In Psalm. 37.

ambulamus, non per speciem. [1]Est quædam visio hujus temporis, erit altera visio futuri temporis. Visio quæ modò est, per fidem est : visio quæ futura est, per speciem erit. [2]Qualis est ista visio? Qualis Christus? Æqualis Patri. Qualis est Christus? *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum; et Deus erat verbum.* Huic visioni suspiramus modo, et gemimus quamdiu peregrini sumus : huic visioni in fine reddemur : hanc visionem modò in ænigmate videmus.

Deum [3] *igitur* esse Trinitatem credimus potiùs, quàm videmus. Quod si ita est, profectò aut invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, nulla intellecta conspicimus : aut si ulla conspicimus, non in eis conspicimus Trinitatem, et est illic quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum credere debeamus. Conspicere autem nos immutabile bonum, quod nos non sumus, *iste* liber ostendit ; *jamque* [4] per veritatem, quæ intellecta conspicitur, et per summum bonum, à quo est omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo *etiam* nondum justo, ut natura non solùm incorporalis, verum etiam incommutabilis, quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur admonui.

Cum [5] *enim* audis bonum hoc, et bonum illud, quæ possunt aliàs dici etiam non bona, si potueris sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cujus participatione bona sunt (simul enim et ipsum intelligis cum audis hoc aut illud bonum) : si ergo potueris illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. [6]Bonum hoc et bonum illud. Dicitur enim bonus homo, et bonus ager et bona domus, et bonum animal, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima. Adjunxisti, quoties dixisti, bonum. [7]Tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. [8]Ibi, ut potuimus, disputando erigere tentavimus mentis intentionem ad intelligendam illam præs-

[1] In Psalm. 149. — [2] In Psalm. 48. — [3] Lib. 15, de Trinit., cap. 6. — [4] Ibid., cap. 3. — [5] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [6] In Psalm. 26. — [7] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [8] Ibid., lib. 15, cap. 6.

tantissimam incommutabilemque naturam, quod nostra mens non est. Quam *tamen* sic intuebamur, ut nec longè à nobis esset, non loco, sed ipsa sui venerabili mirabilique præstantiâ, ita ut apud nos esse suo præsenti lumine videretur. [1]Hoc *scilicet* bonum non longè positum est ab uno quoque nostrûm; in illo enim vivimus, movemur et sumus.

CAPUT XXXVIII.

NEC IPSAM VERITATIS INCOMMUTABILIS NATURAM A NOBIS HIC DEGENTIBUS ITA CERNI, UT OMNEM VERITATEM, IN HAC VITA, POSSIMUS COGNOSCERE.

Sitis [2] *igitur* omnes docibiles Dei, ut ea ipsa quæ per lectiones atque sermones extrinsecus adhibitos didicistis et credidistis de natura Dei non corporea, nec loco aliquo inclusa, nec per finita spatia locorum quasi mole distentâ, sed ubique tota et perfecta et infinita, sine nitoribus colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis litterarum, sine serie syllabarum, ipsâ mente conspicere ac percipere valeatis. Ecce dixi aliquid quod forte inde sit, et tamen accepistis; et non solum ferre potuistis, verum etiam libenter audistis. [3]Attolle, ô tu, anima mea, oculos in ipsam lucem, [4]qua tibi lucente ea vidisti. [5]Potuisti *enim*, quamvis non potueris neque possis explicare sufficienti eloquio, quod inter nubila similitudinum corporalium, quæ cogitationibus humanis occursare non desinunt, vix vidisti. [6]Et tamen multa vera vidisti, non his oculis quibus videntur corpora colorata, sed eis pro quibus orabat qui dicebat: *Oculi mei videant æquitatem. Et quidem* [7] illa lux quæ non est quod tu, et hoc tibi ostendit, aliud esse illas incorporeas similitudines corporum, et aliud esse verum quòd eis reprobatis intelligentia contuemur ([8]verum enim illud sine instrumento corporis animus *contemplatur*, *quia* [9]ratio est

[1] Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [2] Tract. 96, in Joann. — [3] Lib. 15, de Trinit., c. 27. — [4] Ib. — [5] Ib. — [6] Ib. — [7] Ib. — [8] L. de Immort. animæ, c. 6. — [9] Ib.

aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus verum intuetur) : hæc et alia similiter certa oculis tuis interioribus lux illa monstravit.

Sed [1] si ille magister interior, qui cum adhuc discipulis exterius loqueretur, ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, vellet nobis id quod de incorporea Dei natura dixi, intrinsecus ita, *hoc est, tantâ plenitudine* dicere, sicut sanctis Angelis dicit, *qui semper vident faciem Patris* ; nondum ea portare possemus. Proinde quod *de Spiritu sancto* ait : *Docebit vos omnem veritatem*, vel, deducet vos in omni veritate : non arbitror in hac vita in cujusquam mente posse compleri. Quis enim vivens in hoc corpore quod corrumpitur et aggravat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cum dicat Apostolus : *Ex parte scimus*? Sed quia per Spiritum sanctum fit, unde nunc pignus accepimus, ut ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit Apostolus : *Tunc autem facie ad faciem* ; et, *nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum :* non quod in hac tantùm vita scit totum , quod usque ad illam perfectionem futurum, nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus dicens : *Docebit vos omnem veritatem* : vel, deducet vos in omni veritate. [2] Ipse *autem* Spiritus sanctus, [3] de quo, sicut dicit Apostolus, nunc *pignus* accepimus, quo verbo intelligeremus ejus plenitudinem in alia vita reservari, et nunc docet fideles, quanta quisque potest capere, et spiritalia eorum pectora desiderio majore succendit, si quisque in ea charitate proficiat, qua et diligat cognita, et cognoscenda desideret : ita ut ea quoque ipsa, quæ nunc quomodocumque cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt in ea vita, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quo sciendi modo, *pleno nimirum et perfecto,* si nunc ea vellet interior magister dicere, id est, nostræ menti aperire atque monstrare, humana infirmitas portare non posset.

[1] Tract. 96, in Joann. — [2] Ib., Tract. 97. — [3] Ibid.

CAPUT XXXIX.

LICÈT INTELLECTU CONSPICIAMUS INCOMMUTABILEM SUBSTANTIAM, CREATURAS TAMEN, IDEOQUE CONTEXTUM SECULORUM ORDINEM A NOBIS IN EA NON VIDERI, SICUT IN IPSA CERNUNTUR A BEATIS.

Sunt quidem [1] qui de ipsa divinæ immutabilitate naturæ, vel incorporea creatura, sive Creatore veraciter disputant, et quod dicunt, omnino documentis atque rationibus certissimis probant, *sed* [2]à nullo hominum sicut ab Angelis *ea* capiuntur. [3]Illi quippe Angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt; sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est, Verbum ejus unigenitum. Et ipsum Verbum et Patrem et eorum Spiritum sanctum, eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse unam substantiam; et tamen omnes non tres Deos esse, sed unum Deum, ita noverunt, ut eis magis ista sit nota, quam nos ipsi nobis cogniti sumus. Ipsam quoque creaturam meliùs ibi, hoc est in sapientia Dei tanquam in arte qua facta est, quàm in eâ ipsâ sciunt, ac per hoc et seipsos ibi meliùs, quàm in seipsis. Verumtamen et in seipsis sciunt. Facti sunt enim, et aliud sunt, quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina. [4]Sic deinde cætera, sicut firmamentum inter aquas superiores et inferiores, quod cœlum vocatum est : sicut deorsum aquarum congeries terræque nudatio, et herbarum institutio atque lignorum : sicut solis et lunæ stellarumque conditio : sicut ex aquis animalium, volucrum scilicet atque piscium belluarumque natantium : sicut quorumcumque in terra gradientium atque repentium, et ipsius hominis qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in seipsis; illic clariore, hic obscuriore

[1] Ibid., Tract. 98. — [2] Ibid., Tract. 97. — [3] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 29. — [4] Ibid.

cognitione, velut artis atque operum; quæ tamen opera cum ad ipsius creatoris laudem venerationemque referuntur, tanquam mane lucescit in mentibus contemplantium.

At[1] idonea non est ipsa mens nostra, in ipsis rationibus quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus : [2]*sicque* de successionibus seculorum Philosophos nec illos consulere debemus, qui Creatoris æternitatem, in quo vivimus, movemur et sumus, quantùm potuerunt intellexerunt; [3]cum idonei non essent, in æternitatem spiritalis incommutabilisque naturæ aciem mentis tam constanter infigere, ut in ipsa sapientia Conditoris atque Rectoris universitatis viderent volumina seculorum, quæ ibi jam essent et semper essent, hìc autem futura essent, ut non essent : atque ut ibi viderent conversiones in melius, non solum animorum, sed etiam corporum humanorum usque ad sui modi perfectionem. [4]Quasi verò quia præcelsam incommutabilemque substantiam, per illa quæ facta sunt intelligere potuerunt ([5]nonnulli *enim* eorum potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere, et lucem incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere), propterea de conversione rerum mutabilium, aut de contexto seculorum ordine consulendi sint. Numquid enim quia verissime disputant, et documentis certissimis persuadent, æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere, quæ sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, qui motus in appetendis quæ secundum naturam sunt, fugiendisque contrariis? Nonne ista omnia, non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt, et ab aliis experta atque conscripta crediderunt? Quo minus mirandum est, nullo modo eos potuisse prolixiorum seculorum seriem vestigare, et quamdam metam

[1] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 16. — [2] Lib. 4, de Trinit., c. 17. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 16. — [5] Ibid., cap. 15.

ejus excursûs, quo tanquam fluvio genus decurrit humanum, atque inde conversionem ad suum cuique debitum terminum. Ista enim nec historici scribere potuerunt longe futura, et à nullo experta atque narrata : nec isti Philosophi cæteris meliores in illis summis æternisque rationibus intellectu talia contemplati sunt. Alioquin non ejusdem generis præterita quæ potuerunt historicè inquirerent, sed potius et futura prænoscerent : quod qui potuerunt, ab eis vates, à nostris Prophetæ appellati sunt. Quanquam et Prophetarum nomen non omnino alienum est à litteris eorum. Sed plurimum interest, utrum experimento præteritorum futura conjiciantur ; an verò jam ventura præsenserint, et longè visa venientia nuntient pro acuto sensu videntium : quod cum faciunt aereæ potestates, divinare creduntur ; an ab Angelis sanctis quibus ea Deus, per Verbum Sapientiamque suam indicat, ubi et futura et præterita stant, vel quibusdam prænuntientur hominibus, vel ab eis audita rursum ad alios homines transmittantur : an ipsorum hominum quorumdam mentes in tantum evehantur Spiritu sancto, ut non per Angelos, sed per se ipsas futurorum stantes causas in ipsâ summâ rerum arce conspiciant. [1] Aliud *profectò* est temporalibus temporalia, et mutabilibus mutabilia conjectare, eisque temporalem, et mutabilem modum suæ voluntatis et facultatis inserere, quod dæmonibus certâ ratione permissum est ; [2] dæmones *enim* non æternas temporum causas, et quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum, majore experientia multò plura, quàm homines, futura aliquando prænuntiant : [3] aliud autem in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in ejus sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, Deique voluntatem, quæ tam certissima, quàm potentissima est, divini Spiritus ejus participatione cognoscere, quod sanctis Angelis recta discretione donatum est. [4] Vident enim, *Domine*, faciem tuam semper, et ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas

[1] Lib. 9, de Civit. Dei, cap. 22. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 13, Confess., cap. 15.

tua. Legunt, eligunt, et diligunt; semper legunt, et nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim et diligendo, legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum; quia tu ipse illis hoc es, et es in æternum. *Sunt enim* [1] illud cœlum cœli, cœlum intellectuale, ubi est intellectus nosse simul, non ex parte, non in ænigmate, non per speculum, sed ex toto in manifestata facie ad faciem : non modò hoc, modò illud ; sed quod dictum est, nosse simul sine ulla vicissitudine temporum.

CAPUT XL.

HUJUS VITÆ VISIONEM ESSE TANTUM INCHOATAM ; SICQUE NOS IN VIA SEMPER ESSE, DONEC IN ALTERA VITA PERAGATUR, QUOD AGITUR IN ISTA ; ET IBI PERFICIATUR QUOD HIC JAM INCHOATUM EST.

Sed [2] quantumvis excolat homo cor suum, et ad interiora intelligenda refugiat, quamdiu per corruptibilitatem carnis hujus videmus, ex parte videmus. [3] *Idcoque* nec contenti sunt, qui bene disciplinis liberalibus *sunt* eruditi, nec se tenent, donec totam faciem veritatis, cujus quidam in illis artibus splendor jam subrutilat, lætissimè atque plenissimè intueantur. [4] Quid *enim* aliud agimus cum studemus esse sapientes, nisi ut quanta possumus alacritate, ad id quod mente contingimus, totam animam nostram quodammodo colligamus, et ponamus ibi atque stabiliter infigamus; ut non jam privato suo gaudeat quod implicavit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum et locorum affectionibus, apprehendat id quod unum atque idem semper est? sicut enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est. Quod dum agimus, donec peragamus, in via sumus.

Sic [5] ergo quæramus tanquam inventuri : et sic invenia-

[1] Lib. 12, Confess., cap. 13. — [2] In Psalm. 48. — [3] Lib. 2, Soliloq., c. 19. — [4] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [5] Lib. 9, de Trinit., cap. 1.

mus, tanquam quæsituri. [1] Deus quippe ipse quem quærimus adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster : et intelligamus quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro ; *Lætetur cor quærentium Dominum : quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper.* Videtur enim quod semper quæritur, nunquam inveniri : et quomodo jam lætabitur, et non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quæritur ? [2] Si *autem* quæsitus inveniri potest, cur dictum est : *Quærite faciem ejus semper?* An et inventus fortè quærendus est ? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui quàm sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est quamdiu in ipsa comprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur ? Nam et quæritur ut inveniatur dulciùs, et invenitur ut quæratur avidiùs. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere Sapientiam : *Qui me manducant, adhuc esurient* : *et qui bibunt me, adhuc sitient.* Manducant enim et bibunt, quia inveniunt, et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit ; propter quod ait Propheta : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quærit. [3] Quæramus *igitur* inveniendum, quæramus inventum : ut inveniendus quæratur, occultus est ; ut inventus quæratur, immensus est : unde *istud* dicitur : *Quærite faciem ejus semper.* Satiat enim quærentem in quantum capit ; et invenientem capaciorem facit, ut rursus quærat impleri, ubi plus capere cœperit. Non ergo ita dictum est : *Quærite faciem ejus semper* : quemadmodum de quibusdam : *Semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes* : sed potius sicut ille ait : *Cum consummaverit homo, tunc incipit ;* donec ad illam vitam veniamus, ubi sic impleamur, ut capaciores non efficiamur, quia ita perfecti erimus, ut jam

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 2. — [2] Ibid. — [3] Tract. 63, in Joann.

non proficiamus : tunc enim ostendetur nobis quod sufficit nobis. Hìc autem semper quæramus, et fructus inventionis non sit finis inquisitionis : neque enim propterea non semper, quia hìc tantùm ; sed ideo hìc semper dicimus esse quærendum, ne aliquando hìc putemus ab inquisitione cessandum. [1] Post hanc autem vitam cognitio perficietur, quia ex parte nunc scimus : cum autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte. [2] Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies. Unde radius per obliqua et per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudus ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris. [3] Hominum enim infirmatæ acies cordis, etsi trepidant sub radiis *solis istius*, ad eum tamen contemplandum per mandata purgantur. [4] Utcumque corda sustollite, et ne fortè aliquis nostrûm attingat secretum, et quasi coruscatione magnæ lucis horrescens, sapiat aliquid, ne insipiens remaneat : non tamen se totum sapere putet, ne superbiat, et quod sapuit amittat. [5] Quia et vos non pro inundantis fontis largitate, sed pro vestro modulo capitis. Et nos non tantum dicimus in aures vestras, quantum ipse fons manat ; sed quantum capere possumus, quod in vestros sensus trajiciamus, abundantiùs operante ipso in cordibus vestris, quàm nobis in auribus vestris. Res enim magna tractatur, et non à magnis, imò multùm parvis ; spem tamen et fiduciam dat nobis, qui magnus propter nos factus est parvus. [6] Inspiret et donet, de fonte illo vitæ nunc aliquid irrorare dignetur et stillare in sitim nostram, ne in hac eremo arescamus. [7] Si quid *enim* homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, et in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem satietatemque possimus. *Jam enim* [8] ut cupis nec cernere vales, nec ipse amor tantus est, ut carnis disrupta caligine penetret in æternum serenum, unde

[1] Lib. de Vera Relig., c. 35. — [2] Tract. 35, in Joann. — [3] In Psalm. 25. — [4] Tract. 20, in Joann. — [5] Ibid., Tract. 22. — [6] Ibid., Tract. 21. — [7] Ibid., Tract. 5. — [8] Lib. de Catechiz. rud., cap. 2.

utcumque fulgent etiam ista, quæ transeunt (*id est, quorum transitoria duntaxat cogitatio est*). *Unde* [1] quia boni proficiunt de die in diem, ad videndum diem sine volumine cœli, et sine noctis incursu, *quem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* [2] nemo se dicat perfectum hic : decipit se, fallit se, seducit se ; non potest hic habere perfectionem. [3] Aliter hic non potes esse perfectus, nisi scias hìc te non esse perfectum. Hæc erit perfectio tua, sic te quædam transilisse, ut restet aliud ad quod omnibus transactis transiliendum est. *Dic igitur* : [4] Me et imperfectum dico, et perfectum. Imperfectum quidem, quia nondum aliquid accepi quod volo. Perfectum autem , quia scio hoc ipsum quod desit mihi.

Hinc [5] dicit et Joannes : *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hæc similitudo nunc incipit reformari, quamdiu homo interior renovatur de die in diem secundum imaginem ejus qui creavit eum. *Eosque* [6] minores *dicimus* qui tantummodò credere, majores autem qui etiam intelligere, quantum in hac vita fieri potest, lumen incorporeum atque incommutabile valuerunt. [7] Sed ad illius eminentiæ perfectionem quæ tunc futura est, quid hoc, aut quantum est? [8] Tunc perficietur hoc ipsum, quod et nunc inchoatum est. *Jam enim animus* [9] ad summam incommutabilem lucem passibus rationis innititur, [10] ubi est sanctis et perfectis cordibus nota et ineffabilis pulchritudo, CUJUS PLENA VISIO EST SUMMA FELICITAS. [11] Transcendit se, et delectatur Domino. [12] Videte transilientem, videte si remaneat alicubi, quousque perveniat ad Deum. *Videte* [13] viventem in opibus et abundantia incommutabilis sapientiæ atque ineffabilis sapientiæ. [14] Modo, *inquit*, intravi aliquam aulam gaudiorum, ubi nullus timetur inimicus : modò cœpi esse in ea regione, ubi non

[1] Lib. de Catechiz. rud., cap. 2. — [2] In Psalm. 38. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. de Spiritu et litt. , cap. 22. — [6] Ibid., cap. 24. — [7] Ibid. , cap. 23. — [8] Tract. in Joann. — [9] L. de Vera Relig., c. 26. — [10] Enchiri. ad Laurent., cap. 5. — [11] In Psalm. 76. — [12] Ibid. — [13] Lib. de Vera Relig., cap. 26. — [14] In Psalm. 76.

anticipent vigilias omnes inimici mei. [1]Est *enim* quædam, ut ita dicam, si et hoc dicendum est, regio incommutabilis veritatis; [2]nec *tamen* regio spatiorum est, [3]ubi non jam ab homine, neque per hominem, sed per ipsum Deum carpunt *spiritales viri* sinceritatem, ubertatemque sapientiæ. [4]Transi ergo omnem mutabilitatem, non solùm omne quod videtur, sed et omne quod mutatur. [5]Transi ergo et animum tuum, quia ipse animus mutabilis est, quamvis melior sit omni corpore. Modò novit, modò non novit : modò obliviscitur, modò recordatur : modò vult, modò non vult: modò peccat, modò justus est. [6]Numquid *autem* mutabilis est Deus? [7]effunde super te animam tuam ut contingas Deum, de quo tibi dicitur : *Ubi est Deus tuus?* ne putes te aliquid facturum quod homo non possit. [8]Transcende corpus, et sape animum. Transcende et animum, et sape Deum. [9]Jam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit et de ipso secretario veritatis. [10]Ibi est fons intellectus in sanctuario Dei, in domo Dei. [11]Ibi intellexit *animus* in novissima. Ascendens tabernaculum pervenit ad domum Dei. [12]Ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra tabernaculum. Tabernaculum ejus in terra, Ecclesia est adhuc peregrina. Sed hìc quærendus est, quia in tabernaculo ejus invenitur via, quà pervenitur ad domum. [13]Ecce *igitur* quanta admiror in tabernaculo. Tabernaculum enim Dei in terra, homines sunt fideles. [14]Animæ servienti Deo, membra corporalia militare admiror. Respicio et ipsam animam obedientem Deo. [15]Miror et virtutes in anima, sed adhuc in loco tabernaculi ambulo. Transeo et hæc, et quamvis admirabile sit tabernaculum, stupeo cum pervenio usque ad domum Dei. Dum *enim* animus miratur membra tabernaculi, ita perductus est ad domum Dei : percepit quamdam dulcedinem, sequendo interiorem nescio quam et occultam voluptatem, tanquam de domo Dei

[1] In Psalm. 113. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [3] In Psalm. 113. — [4] Tract. 20, in Joann. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Lib. 2, de Lib. arb., c. 26. — [10] In Psalm. 41. — [11] Ibid. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Ibid. — [15] Ibid.

sonaret suaviter aliquod organum. Et cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis et sanguinis, pervenit usque ad domum Dei. Nam viam suam et ductum suum sic ipse commemorat, quasi diceremus ei : Miraris tabernaculum in hac terra ; quomodo pervenisti ad secretum domus Dei? *in voce*, inquit, *exsultationis et confessionis, soni festivitatem celebrantis.* [1]In domo Dei festivitas sempiterna est. [2] Non enim aliquid ibi celebratur et transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum : vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Et dies illic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna et perpetua festivitate sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis ; sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo admirabili Dei, et miracula Dei in redemptionem fidelium consideranti, mulcet aurem sonus festivitatis illius, et rapit cervum ad fontes aquarum.

CAPUT XLI.

QUANTULUMCUMQUE ILLUD, QUOD HIC DE DEO CERNIMUS, PERSTRICTIM TANTUM ET RAPTIM, MODO REFLEXO, PERSPICI ; CUM PATRIÆ VISIO ÆTERNA PERSISTAT.

Sed [2]quia fratres, *quamdiu sumus in corpore hoc peregrinamur à Domino, et corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* : etsi utcumque nebulis diffugatis ambulando per desiderium, ad hunc sonum pervenerimus interdum, ut aliquid de illa domo Dei nitendo capiamus : onere tamen quodam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, et ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inveneramus unde gauderemus, sic hìc non deerit quod gemamus. Etenim cervus iste manducans die ac nocte lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, interiorem scilicet dulcedinem Dei, effun-

[1] In Psalm. 41. — [2] Ibid.

dens super se animam suam, ut tangeret quod est super animam suam, ambulans *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei,* et ductus interioris et intelligibilis soni jucunditate, ut omnia exteriora comtemneret, et in interiora raperetur : adhuc tamen homo est ; adhuc hìc gemit, adhuc carnem fragilem portat, adhuc inter scandala hujus mundi periclitatur. Respexit ergo ad se, tanquam inde veniens, et ait sibi constituto inter has tristitias, et comparans hæc illis ad quæ videnda ingressus est, et post quæ visa egressus est : *Quare*, inquit, *tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Et ecce jam quadam interiore dulcedine lætati sumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile etsi perstrictim et raptim perspicere potuimus. Quare adhuc conturbas me, quare adhuc tristis es ? Non enim dubitas de Deo tuo. Non enim non est quod tibi dicas, contra illos qui dicunt : Ubi est Deus tuus ? Jam aliquid incommutabile persensi, quare adhuc conturbas me? Spera in Dominum. Et quasi responderet illi anima ejus in silentio : Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud, quò sic rapta sum quasi per transitum ? [1]Intellectus *enim* quasi rapidâ coruscatione perfundit animum, et [2]ad intelligibiles incorporalesque rationes cum pervenitur, quantùm fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsâ reverberatâ repellitur, et fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio. *Sicque veritatis* [3]imaginem et quasi speculum quoddam in Proteo illo animadverti oportet, qui traditur eo solere capi, quo minime caperetur. [4]Proteus enim ille, ut vos adolescentes non penitus Poetas à philosophia contemnendos esse videatis, in imaginem veritatis inducitur. Veritatis, inquam, Proteus in carminibus ostentat sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus comprehensionis nodo vel laxaverit vel dimiserit. Sunt enim istæ imagines, quæ consuetudine rerum corporalium per istos, quibus ad necessaria hujus vitæ utimur sensus, nos etiam,

[1] Lib. de Catechiz. rud., cap. 2. — [2] Lib. 12, de Trinit., cap. 14. — [3] Lib. 3, contra Acad., cap. 5. — [4] Ibid., cap. 6.

cum veritas tenetur et quasi habetur in manibus, decipere atque illudere moliuntur. *Nam et* [1] imagines falsæ rerum earum, quas, *verbi gratiâ*, numeramus, ab illo occultissimo *numero*, quo numeramus defluentes, in sese rapiunt cogitationem, et sæpe illum, cum jam tenetur, elabi faciunt.

[2] Ecce vide si potes, ô anima prægravata corpore quod corrumpitur, et onusta terrenis cogitationibus multis et variis, ecce vide si potest : *Deus veritas est.* Hoc enim scriptum est : *Quoniam Deus lux est* : non quomodo isti oculi vident, sed quomodo videt cor, cum audis : Veritas est. Noli quærere quid sit veritas ; statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium, et nubila phantasmatum, et perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum diceretur : Veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur : Veritas, mane si potes ; sed non potes. Relaberis in ista solita atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco et peregrinationis erroribus ? *Ita* [3] nonnunquam in uno homine utrumque contingit, ut aliquando propinquet, et aliquando longè fiat. Propinquat luce veritatis, longe fit nubilo carnis. *Ego, inquit Propheta, dixi in exstasi mea, projectus sum à facie oculorum tuorum. In exstasi* non diceret, nisi propinquaret. Exstasis enim mentis excessus est. Effudit super se animam suam, et propinquavit Deo, et per quamdam nubem pondusque carnis rursus in terram projectus, recolens ubi fuisset, et videns ubi esset, *Deo* dixit : *Projectus sum à facie oculorum tuorum.* [4] Ipsa *quippe* mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis et veteribus invalida est, non solum ad inhærendum fruendo, verum etiam ad perferendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque serenata, fiat tantæ felicitatis capax. [5] Ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed

[1] Lib. 2, de Ord., cap. 15. — [2] Lib. 8, de Trin., cap. 2. — [3] In Psalm. 34. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 2. — [5] Lib. de Moribus Eccles., cap. 7.

fatigatione convertitur. [1]Oculi enim non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem. [2]Tales sumus, quales lippientes, cum producuntur ad videndum lumen, si fortè antea visum omnino non habebant, et incipiunt eumdem visum per diligentiam medicorum utcumque reparare. Et cum probare vult medicus quantum salutis eis accesserit, tentat eis ostendere quod videre desiderabant, et non poterant cum cæci essent : et redeunte jam utcumque acie oculorum, producuntur ad lumen. Et cum viderint, fulgore ipso reverberantur quodammodo , et respondent medico demonstranti : Jam jam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? revocat ad solita et addit collyrium, ut ad illud quod visum est, et videri non potest, desiderium nutriat, et ex ipso desiderio curetur pleniùs ; et si qua mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat, ut amore illius lucis accensus dicat sibi : Quando erit ut illud firmis oculis videam, quod sauciis infirmisque non potui ? Urget medicum, et rogat ut curet. Ergo, fratres, si forte tale aliquid factum est in cordibus vestris, si utcumque erexistis cor vestrum ad videndum Verbum, et ipsius luce reverberati ad solita recidistis; rogate medicum ut adhibeat collyria mordacia, præcepta justitiæ. Est quod videas, sed non est unde videas. Non mihi antea credebas, quia est quod videas : duce quadam ratione adductus es; propinquasti, intendisti, palpitasti, refugisti. [3]Qui autem videt ac refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam aciem mentis gerit. Pravorum igitur morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines; posteriora atque inferiora sectantes, quàm illud quod esse melius atque præstantius confitentur. [4]Oculi eorum, id est, mens eorum reverberatur luce veritatis propter tenebras peccatorum, quorum consuetudine fulgorem rectæ intelligentiæ sustinere non possunt. *Ita* [5]dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissimè videat, hoc est, intelligat Deum, tamen quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, nihil quidem valente ad fallendum, non tamen nihil

[1]Tract. 30, in Joann. — [2]Ibid., Tract. 18. — [3]L. 1, de Doctr. Christ., c. 9. — [4]In Psalm. 5. — [5]Lib. 1, Soliloq., c. 7.

agente, potest adhuc dici fides ea, qua his resistitur, et illud potius verum esse creditur. [1] Sed cum post hanc vitam tota se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur. [2] Charitati *enim* non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum. Nam et illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit, plus amabit; et nisi ingenti amore oculum defixerit, nec ab aspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit. [3] Hîc *igitur anima* opus habet avertere se à carnalibus sensibus ad intelligibilia capienda, quia infirma est, et minùs idonea utrisque simul adhibere intentionem suam; et in his corporalibus nunc illecebra cavenda est, quamdiu anima illici ad delectationem turpem potest.

CAPUT XLIII.

IN HAC VITA NON VIDERI, MODO REFLEXO, NISI DIFFICILLIMÈ VERITATEM; UNDE ALIUD INTELLIGITUR DISCRIMEN, QUO VISIONEM NOSTRAM A VISIONE PATRIÆ LICET DISTINGUERE.

Sed [4] factum est nobis difficile à carnalibus abstinere, cum panis verissimus noster spiritalis sit. Cum labore namque nunc edimus panem. Neque enim nullo in supplicio sumus peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti. [5] Subtexit *Dominus* nubilo lucem suam; et difficile est aquilæ more volare super omnem nebulam qua tegitur omnis terra, et videre sincerissimam lucem. [6] Magnum est et admodum rarum, creaturam corpoream et incorpoream consideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire, et illic discere ex ipso. [7] Quod *quidem* quantâ tarditate ac difficultate agat *humana mens,* et quantâ temporis

[1] Lib. 1, Soliloq., cap. 7. — [2] Ibid. — [3] Lib. 1, Retract., c. 11. — [4] L. de Duab. animab., cap. 13. — [5] Tract. 19, in Joann. — [6] Lib. 11, de Civ. Dei, c. 2. — [7] Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 32.

morâ propter corpus corruptibile quod aggravat animam, etiam quæ ferventissimo studio rapitur, ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat?

CAPUT XLIV.

ISTAM VIDENDÆ VERITATIS, MODO REFLEXO, DIFFICULTATEM, MAGNA EX PARTE, IN HOC STATU, EX PECCATO PROFICISCI.

Dedita [1] *quippe* temporalibus voluptatibus anima semper exardescit cupiditate, nec satiari potest, et multiplici atque ærumnosâ cogitatione distenta, simplex bonum videre non sinitur. [2] Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diverberavit, et mutabili varietate multiplicavit ejus affectum. Ita facta est abundantia laboriosa, et, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud et aliud sequitur, et nihil cum eo permanet. Sic à tempore *frumenti, vini, et olei sui multiplicatus est,* ut non inveniat idipsum, id est, naturam incommutabilem et singularem, quam secutus non erret, et assecutus non doleat.

Ita ratione [3] duce uti ad Deum intelligendum, vel ipsam quæ aut in nobis, aut usquequaque est, animam, rarissimum omnino genus hominum potest : non ob aliud, nisi quia in istorum sensuum negotia progresso, redire in semetipsum cuique difficile est. [4] In quo utique non laborarent *homines*, et vix ad certum aliquid pervenirent, nisi pœnalibus tenebris involuti, et onerati corpore corruptibili, quod aggravat animam. Quo tandem merito inflicto malo isto nisi peccati? [5] Quæ *enim* causa est, *ô anima mea*, cur acie fixâ ipsam *veritatis lucem* videre non possis, nisi utique infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?

[1] In Psalm. 4. — [2] Lib. de Vera Relig., cap. 21. — [3] L. 2, de Ord., c. 11. — [4] Lib. 15, de Trinit., cap. 24. — [5] Ibid., cap. 27.

CAPUT XLV.

PROFUNDAM ET HORRENDAM ILLAM IGNORANTIAM, QUA FIT UT INFANTIUM MENTES NEC SEIPSAS, NEC VERITATEM, HOC EST, IPSUM DEUM REFLEXÈ COGNOSCANT, NON ESSE HOMINI NATURALEM, SED PÆNAM ORIGINALIS PECCATI JUSTISSIMAM.

Quid [1] itaque dicendum est de infantis mente, ita adhuc parvuli, et in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis, quæ aliquid novit exhorreat? An ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tanto majore, quanto noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest? Quantâ porrò intentione in ista quæ foris sunt sensibilia feratur, vel hinc solum conjici potest, quòd lucis hujus hauriendæ sic avida est, ut si quisquam minus cautus aut nesciens quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic ejus inde non removeatur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris et mollibus consuetudo quodammodo infixit. Ita et in alios corporis sensus, quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ parvulorum, ut quicquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer aut appetant : sua verò interiora non cogitent, nec possint admoneri ut hoc faciant : quia nondum admonentis signa noverunt, ubi præcipuum locum verba obtinent, quæ sicut alia prorsus nesciunt.

Verum hæc [2] non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. [3] Quid enim aliud indicat horrenda *illa* profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? [4] Nonne

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 5. — [2] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 18. — [3] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 22. — [4] Lib. 1, de Peccat. merit. et remiss., cap. 35.

tanta infirmitas animi et corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multò testatiore silentio, quàm sermo noster proclamat atque indicat? valeat aliquid ad seipsam persuadendam ipsa evidentia : nam nusquam sic non invenio quid dicam, quam ubi res de qua dicitur manifestior est, quàm omne quod dicitur. [1]Illam recentium natorum profundissimam ignorantiam videamus. [2]Nam quis ignorat cum quantâ ignorantiâ veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est, homo veniat in hunc mundum. [3]Illas, inquam, consideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus et Deum prorsus ignorant, cujus Sacramentis etiam cum baptizantur, obsistunt. In has quæro unde et quando submersi sunt.

In [4] illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est? Si naturæ est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura; cur non talis creatus est Adam? cur ille capax præcepti et valens uxori et omnibus animalibus nomina imponere? nam et de illa dixit : *Hæc vocabitur mulier :* et *quodcumque vocavit Adam animam vivam, hoc est nomen ejus.* Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, jam reus delicti, nondum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus et pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat; sed expectetur tempus, quo hanc nescio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat : quod donec fiat tam multa, quæ in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omnino non possint; hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, si in hac vita jam nati parvuli contraxe-

[1] Lib. 1, de Peccat. merit. et remiss., cap. 36. — [2] Lib. 22, de Civ. Dei, cap. 22. — [3] Lib. 1, de Peccat. merit. et remiss., cap. 36. — [4] Ibid.

runt, ubi, quando, quomodo magna aliqua impietate commissa, repente tantis tenebris involuti sunt?

Dicet[1] aliquis : Si hæc natura pura non est, sed vitiosa primordia, quia talis non est creatus Adam ; cur Christus longe excellentior et certè sine ullo peccato natus ex virgine, in hac tamen infirmitate atque ætate procreatus apparuit?

Huic propositioni respondemus : Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, est creatus in carne peccati ; nos ideo tales, quia illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati. Christus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudine carnis peccati. Non enim hìc agitur de Adam, quod pertinet ad corporis quantitatem, quia non parvulus factus est, sed perfecta mole membrorum ; potest enim dici pecora sic creata, nec tamen eorum peccato factum esse, ut ex eis pulli parvuli nascerentur ; quod quale sit nunc non quærimus. Sed agitur de illius mentis quadam valentiâ usuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati et docilis Adam caperet, et facilè posset custodire, si vellet. Nunc autem homo sic nascitur, ut omnino non possit, propter horrendam ignorantiam atque infirmitatem, non carnis, sed mentis ; cum omnes fateamur in parvulo non alterius sed ejusdem substantiæ cujus in primo homine fuit, hoc est, rationalem animam degere ; quanquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pænale demonstrat. Movet enim, si primi illi homines non peccassent, utrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus uterentur.

Proinde[2] infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis ; nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cujus pondere rationalis anima sic gravatur. [3]Ratio *siquidem* et intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicet atque exercenda ætatis accessu, qua sit scientiæ capax

[1] Lib. 1 de Peccat. merit. et remiss., cap. 37. — [2] Ibid., cap. 38. — [3] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 24.

atque doctrinæ et habilis perceptioni veritatis, et amoris boni.

Quod [1] *igitur* ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena testatur. [2]Qualis enim illa vita, vel quæ mors non ei præponenda est, si sic *æternam* vivit anima, ut videmus eam vivere in puero mox nato? ut de illa vita nihil dicam, quæ in utero agitur. [3]Non potest satis dici, quantum hoc malum metuendum sit, [4]*quod* etiamsi non interficiat animam, rerum tamen omnium, et ipsius, *quæ* comperta *est*, veritatis oblivionem inferat. [5]An parvum malum est, per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei?

CAPUT XLVI.

CREATURAS INTELLECTUALES, IN PRIMIGENIO SUO STATU, REFLEXÈ ET EXPLICITÈ, AC ETIAM SUPERNATURALITER, VIDISSE DEUM ; IDQUE OSTENDITUR PRIMO DE ANGELIS, QUI STATIM ATQUE CREATI SUNT, ET DIVINAM ESSENTIAM, ET CREATURAS IN VERBO PRIUSQUAM IN SEIPSIS EXTRA VERBUM, SUNT INTUITI.

Quod [6]*autem* ad sanctos Angelos attinet, [7]quæ *sanctæ* civitatis et magna pars est, et eo beatior, quod nunquam peregrinata ; [8]cum dixit Deus : *Fiat lux et facta est lux*, si rectè in hac luce, creatio intelligitur Angelorum, profectò facti sunt participes lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei Filium, ut ea luce illuminati, qua creati, fierent lux, et vocarentur dies participatione incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per quod et ipsi, et omnia facta sunt.

An [9]eo modo demonstratur primo die, quo lux facta est, conditionem spiritalis et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimari? in qua natura intelliguntur omnes

[1]Lib. 22, de Civit Dei, cap. 22. — [2]Lib. 2, Soliloq., c. 19. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]Lib. 6, contra Jul. pelag., c. 5. — [6]Lib. 11, de Civit. Dei, c. 9. — [7]Ibid. — [8]Ibid. — [9]Lib. 2, de Genesi ad litt., cap. 8.

Angeli sancti atque Virtutes : et propterea non repetivit factum posteaquam dixit : *Facta est lux* ; quia non primò cognovit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est : sed in ipsa sua conformatione cognovit, hoc est, illustratione veritatis, ad quam conversa formata est : cætera verò, quæ infra sunt, ita creantur, ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genero suo. Quapropter lucis conditio prius est in Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est, in coæterna Patris Sapientia : ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam, qua condita est : illic non facta, sed genita ; hìc verò facta, quia ex informitate formata : et ideo dixit Deus : *Fiat lux, et facta est lux* ; ut quod ibi erat in Verbo, hìc esset in opere. Conditio verò cœli prius erat in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam : deinde facta est in creatura spiritali, hoc est in cognitione Angelorum secundum creatam in illis sapientiam : deinde quòd cœlum factum est, ut esset etiam ipsa cœli creatura in genere proprio. Sic et discretio vel species aquarum atque terrarum, sic naturæ lignorum et herbarum, sic luminaria cœli, sic animantia orta ex aquis ac terra. Neque enim sicut pecora, solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, si quo sensu tali utuntur : agnoscunt ea potius, quæ melius noverunt interiùs in ipso Dei Verbo, à quo illuminantur ut sapienter vivant : cum sit in eis lux, quæ primò facta est, si lucem spiritalem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergo ratio qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quàm ipsa creatura quæ conditur : sic et ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est ; ac deinde ipsa cognitio creaturæ postea in genere proprio. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur : atque inde ista despicientes, secundum id quod intus vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum est quòd sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione formatis, prius Deus osten-

debat quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset. *Quis enim cognovit intellectum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ex ipso ergo discebant Angeli, cum in eis fieret cognitio creaturæ deinceps faciendæ, ac deinde fieret in genere proprio. Quapropter jam luce factâ, in qua intelligimus ab æterna luce formatam rationalem creaturam, cum in cæteris creandis rebus audimus : *Et dixit Deus* : *Fiat* ; intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturæ intentionem. Cum verò audimus : *Et sic est factum* : intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quæ in Verbo Dei est, condendæ creaturæ : ut in ea natura prius quodammodo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognovit : ut postremò cum audimus repeti ac dici, quod *fecit Deus*, jam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. [1]Et quia cæteræ creaturæ quæ infra ipsam *creaturam intellectualem* fiunt, sine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur : ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarii numeri terminanda : ut vespera primi diei sit etiam sui cognitio, non se esse quod Deus est : mane autem post vesperam hanc quo concluditur dies unus, et inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti : quod in ejus cognitione fit prius cum dicitur : *Et sic est factum ;* deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur cum additur postea, jam dicto : *Et sic est factum, Et fecit Deus firmamentum.* Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum non in Verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit. Quæ cognitio quoniam minor est, recte vesperæ nomine significatur. Postquam fit mane quo concluditur secundus dies, et incipit tertius : in quo

[1] Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 22.

itidem mane conversio est lucis hujus, id est, diei hujus ad laudandum Deum, quòd operatus sit firmamentum, et percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda est post firmamentum. Ac per hoc cum dicit Deus : *Congregetur aqua, quæ est sub cœlo, in collectionem unam, et appareat arida*, cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei, quo id dicitur ; et ideo sequitur : *Et sic est factum*, hoc est, in ejus cognitione ex Verbo Dei : deinde cum additur : *Et congregata est aqua*, etc. Cum jam dictum esset : *Et sic factum est*, in suo genere ipsa creatura fit ; quæ item cum in suo genere facta cognoscitur, ab ea luce quæ jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, fit tertiò vespera : et inde hoc modo cætera usque ad mane et post vesperam sexti diei. [1] Multùm quippe interest inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, et cognitionem in natura ejus; ut illud meritò ad diem pertineat, hoc ad vesperam. [2] Quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit. [3] Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. Ideo vespera congruentiùs, quàm nox dici potest ; *quanquam et* [4] in comparatione lucis illius, quæ in verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immeritò nox dici potest.

Quapropter [5] cum sancti Angeli quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam quæ nobis Christus factus est, usque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito Filio sicut Patri æqualis est perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia : procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium etiam, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia : ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus

[1] Ibid., cap. 23. — [2] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Lib. 4, de Genesi ad litt , cap. 23. — [5] Ibid., cap. 24.

incommutabili veritate rationes, secundum quas facta est, principaliter vident.

Cœlum [1] *igitur* cœli quod in principio fecisti, Domine, creatura est aliqua intellectualis : quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna : particeps tamen æternitatis tuæ, valdè mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet : et sine ullo lapsu, ex quo facta est, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. [2] Tua domus *est,* quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna. [3] O beata, si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ ; beata sempiterno inhabitatore te, atque illustratore suo !

Quæ [4] cum ita sint, nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium, priùs erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed simul ut facti sunt, lux facti sunt : non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, et quoquo modo viverent ; sed etiam illuminati ut sapienter beateque viverent.

Ab hac illuminatione aversi quidam Angeli non obtinuerunt excellentiam sapientis beatæque vitæ, quæ procul dubio non nisi æterna æternitatisque suæ est certa atque secura. [5] Quatenus autem antequam peccassent, illius sapientiæ fuerint participes, definire quis potest? In ejus tamen participatione æquales fuisse istos illis, qui propterea verè pleneque beati sunt. [6] Donec ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent. [7] Nisi fortè quis dicat id, quod Dominus ait de diabolo in Evangelio : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,* sic esse accipiendum, ut non solum homicida fuerit ab initio, id est, in initio humani generis : ex quo utique homo factus est, quem decipiendo posset occidere : verùm etiam ab initio suæ conditionis in veritate non steterit : et ideo nunquam beatus cum sanctis Angelis fuerit, suo recusans esse subditus Creatori, et superbia sua velut privata potestate elatus, ac per hoc falsus et fallax : quia nec quisquam potestatem

[1] Lib. 12, Confess., c. 9. — [2] Ibid., cap. 11. — [3] Ibid. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 11. — [5] Ibid. — [6] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 13. — [7] Ibid.

Omnipotentis evadit. Et qui per piam subjectionem noluit tenere quod vere est, affectat per superbiæ elationem simulare quod non est: ut sic intelligatur etiam quod beatus Joannes Apostolus ait: *Ab initio diabolus peccat;* hoc est, ex quo creatus est justitiam recusavit: quam nisi pia Deoque subdita voluntas habere non possit. *Sed* [1] illud mirum si *asseri* potest. [2] Quid *enim* respondetur Propheticis testimoniis, sive quod Isaias ait, sub figurata persona principis Babyloniæ, diabolum notans: *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur*? Sive quod Ezechiel: *In deliciis Paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus?* Ubi intelligitur fuisse aliquando sine peccato. Nam expressiùs ei paulò post dicitur: *Ambulasti in diebus tuis sine vitio.* Quæ si aliter convenientiùs intelligi nequeunt, oportet etiam illud quod dictum est: *In veritate non stetit*, sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit.

Diabolus [3] igitur et angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, et se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magnâ per Spiritum sanctum datâ abundantiâ charitatis Dei, cadere ulteriùs omnino non possent, et hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine, sine ullo vitio fruebantur.

CAPUT XLVII.

PRIMOS ETIAM PARENTES FUISSE CREATOS IN STATU BEATITUDINIS, IN QUO DEUM REFLEXÈ ET EXPLICITÈ CONSPICERENT, QUONIAM ALIAS MISERI, STULTI, TENEBROSI ET INFORMES ANTE PECCATUM EXTITISSENT.

Quis *etiam* [4] primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum: quamvis de sua beati-

[1] Lib. 11, de Genesi ad litt., cap. 26. — [2] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 15. — [3] Lib. de Corrept. et grat., cap. 10. — [4] L. 11, de Civ. Dei, c. 12.

tudine quàm diuturna vel utrùm æterna esset incertos? [1]Bonorum autem summa, Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. [2]Nec *igitur* beatitudo *nobis erit*, nisit adsit ipse quo fruamur. [3]In rebus *enim* à Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus; *proindeque* [4] magna sunt mutabilia bona, quæ adherere possunt, ut beata sint, immutabili bono; quod usque adeo bonum est eorum, ut sine illo misera esse necesse sit. [5]Fecisti *enim* nos ad te, *Domine*, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te; *sicque* [6] ideo misera est *intellectualis creatura*, quia non fruitur Deo. [7]Illa namque visio Dei, tantæ pulchritudinis visio est, et tanto amore dignissima, ut sine hac, quibuslibet aliis bonis prædítum, atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. [8]In Paradiso *igitur*, hoc est, in beata vita *fuit* constitutus, *qui* [9] creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio.

Nemini [10]*quoque* dubium est, omnes homines aut stultos aut sapientes esse. [11]Si autem stultus factus est *primus homo*, quomodò non est Deus auctor vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium? [12]Nullo *certè* modo stultum dicere *possumus* qui sine vitio factus est, cum sit stultitia magnum vitium. [13]Sapiens *igitur* primus homo factus est, *et* [14] in sublimitate sapientiæ collocatus, *cum* [15] credamus hominem perfectè conditum à Deo, et in beatâ vitâ constitutum. *Anima verò* [16] participatione incommutabilis sapientiæ sapiens *est*, quæ non est quod ipsa. *Ita* [17] spiritalis creatura si perfecta atque beata est, sicut Angelorum sanctorum, quantum attinet ad seipsam, quo sit, sapiensque sit, non nisi intrinsecus incorporaliter adjuvatur. Intus ei quippe

[1] Lib. de Mor. Eccles., c. 8. — [2] Epist. 52. — [3] Lib. de Natura Boni, c. 7. — [4] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 1. — [5] Lib. 1, Confess., c. 1. — [6] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 1. — [7] Ibid., lib. 10, cap. 16. — [8] Lib. de Genesi contra Manich., cap. 8. — [9] Serm. 11, de Verb. Apost., cap. 2. — [10] Lib. de Utilit. credendi, cap. 12. — [11] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 24. — [12] Lib. 1, Retract., cap. 14. — [13] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 24. — [14] Ibid., lib. 1, cap. 11. — [15] Ibid. — [16] Lib. 11, de Civit. Dei, c. 10. — [17] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 25.

loquitur Deus miro et ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales in spiritu imaginaliter fiunt, sicut in somnis vel aliquo excessu spiritus, quod græce dicitur ἔκστασις et nos eo verbo jam utimur pro latino : quia et hoc genus visionum quamvis interiùs fiat, quàm sunt ea quæ animo per sensus corporis nuntiantur : tamen quia simile est eis, ita ut cum fit, discerni ab eis aut omnino non possit, aut certe vix et rarissimè possit : et quia exterius est quàm illud quod in ipsa incommutabili veritate mens rationalis et intellectualis intuetur, eaque luce de his omnibus judicat, inter illa quæ extrinsecus fiunt, arbitror esse deputandum. Creatura ergo spiritalis et intellectualis perfecta et beata, qualis Angelorum est, sicut dixi, quantum attinet ad seipsam quo sit, sapiensque ac beata sit, non nisi intrinsecus adjuvatur æternitate, veritate, charitate Creatoris.

Beata [1]*igitur* creatura, *Domine*, quæ non novit aliud, cum esset ipsa aliud, nisi dono tuo, quod superfertur super omne mutabile, mox ut facta est, attolleretur nullo intervallo temporis, in ea vocatione, qua dixisti : *Fiat lux, et facta est lux.* In nobis enim distinguitur tempore, quod tenebræ fuimus, et lux efficimur. In illa verò dictum est quid esset, nisi illuminaretur : et ita dictum est, quasi priùs fuerit fluxa et tenebrosa : ut appareret causa qua dictum est, ut aliter esset, id est, ut ad lumen indeficiens conversa lux esset. [2]Nisi *enim* dixisses ab initio : *Fiat lux, et facta esset lux*, et inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cœlestis civitatis tuæ, et requiesceret in spiritu tuo, qui superfertur incommutabiliter super omne mutabile : alioquin et ipsum cœlum cœli tenebrosa abyssus esset in se. [3]Tenebrosa fluitaret, *intellectualis creatura*, similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad idem à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi.

[1] Lib. 13, Confess., cap. 10. — [2] Ibid., cap. 8. — [3] Ibid., cap. 2.

[1]Ipsa est intellectualis vita, quæ nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter. Cum autem conversa et illuminata est, factum est quod in Verbo Dei dictum est : *Fiat lux.* [2]Tali conversione formatur atque perficitur *spiritualis vita*, si autem non convertatur, informis est. [3]Neque ejus informitas placeret tibi, si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo : ut et quod utcumque vivit, et quòd beate vivit, non deberet nisi gratiæ tuæ, conversa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest. [4]Perfecto enim tibi displicet *ejus* imperfectio, [5]cui non hoc est vivere, quod beate vivere : quia vivit etiam fluitans in obscuritate sua : cui restat converti ad eum, à quo facta est, et magis magisque vivere apud fontem vitæ, et in lumine ejus videre lumen, et perfici et illustrari et beari.

[6]Jam *verò* videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur : nam quoniam in nemoribus deliciosa quies hominum esse solet, et corporis sensibus nostris de Oriente lumen oritur, cœlumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius : propterea his verbis etiam spiritales deliciæ, quas habet beata vita, figurate explicantur, et ad Orientem Paradisus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritalia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, et bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur. Nam et Dominus dicit : *Operamini escam quæ non corrumpitur*; ut est omnis Ratio, quæ cibus est animæ. Ad Orientem, id est, lucem sapientiæ; in Eden, id est, in deliciis immortalibus et intelligibilibus. [7]Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est, ex deliciis et voluptate et epulis, quod flumen à propheta significatur in Psalmis cum dicit : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* : hoc est enim Eden, quod latinè voluptas dicitur : dividitur in quatuor

[1]Lib. 1, de Genesi ad litt., c. 9. — [2]Ibid., cap. 1. — [3]Lib. 13, Confess., cap. 3. — [4]Ibid., cap. 4. — [5]Ibid. — [6]Lib. 2, de Genesi contra Manich., cap. 9. — [7]Ibid., cap. 10.

partes, et quatuor virtutes significat: prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, *ex quibus* [1] prudentia significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis : quam si eloqui velis, parturis eam potius, quàm paris, quia ibi *audivit et Apostolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Nam* [2] ànte peccatum, cum viride agri et pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectum ejus : ut non extrinsecus verba exciperet tanquam ex supradictis nubibus pluviam ; sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate, satiaretur. [3] Ideoque addidit *Moyses*, nondum enim pluerat Deus super terram. [4] Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, cum facit animas revirescere per Verbum suum : sed de nubibus eas irrigat, id est, de Scripturis Prophetarum et Apostolorum. Rectè autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant scisso et percusso aere transeunt. Addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infundit ur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret, id est, antequam viride agri esset super terram. Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Laboranti enim homini in terra, imber de nubibus est necessarius, de quibus nubibus jam dictum est. [5] Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in Paradiso fruebatur. Sic enim scriptum est : *Et dimisit eum Dominus Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram, de qua et sumptus fuerat.* [6] Quod nunc ad hoc commemoravi, ut intelligeremus laboranti homini in terra, id est, in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis divinam doctrinam, tanquam de nubibus pluviam. Talis autem scientia destruetur. *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate* tanquam in nubilo saginam

[1] Lib. 2, de Genesi contra Manich., cap. 10. — [2] Ibid., cap. 4. — [3] Ibid., cap. 3. — [4] Ibid., cap. 4. — [5] Ibid., cap. 5. — [6] Ibid.

quærentes : *tunc autem facie ad faciem*, quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. [1]Iste, credo, fons ante peccatum ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, et nubium non desiderabat auxilium. Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea, *cum potius* [2]ipsum hominem operaretur Deus, [3]à quo illustrabatur *homo* ut videret, et accendebatur ut amaret.

CAPUT XLVIII.

HUMANAM SICUT ET ANGELICAM INTELLECTUALEM CREATURAM, IN PRIMO CREATIONIS STATU, PER HOC FUISSE FORMATAM, QUOD RATIONES RERUM ÆTERNAS IN VERBO, REFLEXÈ ET EXPLICITÈ, CONSPEXERIT.

Homo *itaque*[4] rectissimè dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei. Non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere. [5]Non autem rectè dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati. [6]Unde et Apostolus dicit : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominum, qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* : satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ. Ac per hoc sicut in illa prima luce, si eo nomine rectè intelligitur facta lux intellectualis, particeps æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei, non dictum est, *et sic est factum*, ut deinde repeteretur, *et fecit Deus* : quia sicut jam, quantum potuimus, disseruimus, non fiebat cognitio aliqua Verbi Dei in prima creatura, ut post eam cognitionem inferius crearetur, quod in eo Verbo creabatur ; sed ipsa primò creabatur lux, in qua fieret cognitio Verbi Dei, per quod creabatur, atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua converti ad formantem Deum, et creari atque formari : postea verò in cæteris creaturis dicitur, *et sic est*

[1] Ibid. — [2] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 9. — [3] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 13. — [4] Lib. de Vera Relig., c. 43. — [5] Lib. 3, de Genesi ad litt., c. 22. — [6] Ibid., cap. 20.

factum : ubi significatur in illa luce, hoc est, in intellectuali creatura, prius facta Verbi cognitio ; ac deinde cum dicitur : *Et fecit Deus*, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in Verbo Dei dictum erat ut fieret : hoc et in hominis conditione servatur. *Dixit* enim *Deus* : *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* etc. Ac deinde non dicitur : *Et sic est factum :* sed jam subinfertur : *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei* : quia et ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut et illa lux, et propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit. Nam si diceretur : *Et sic est factum*, et postea subinferretur : *Et fecit Deus*, quasi prius factum intelligeretur in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in aliqua creatura quæ rationalis non esset. Quia verò et ista creatura rationalis est, et ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati, homo in agnitione Dei renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum : ipsa in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursum in eadem agnitione renovaretur. Quæ autem non in ea cognitione creata sunt : quia sive corpora, sive irrationales animæ creabantur, primò facta est in creatura intellectuali cognitio eorum à Verbo Dei, quo dictum est ut fierent : propter quam cognitionem primò dicebatur : *Et sic est factum* : ut ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura quæ hoc in Verbo Dei, ante, cognoscere poterat : ac deinde fiebant ipsæ corporales et irrationales creaturæ, propter quod deinceps addebatur : *Et fecit Deus.*

CAPUT XLIX.

PRIMOS PARENTES IN IPSA DEI ESSENTIA EXPLICITÈ COGNOVISSE PRÆCEPTA NON TANTUM NATURALIS, SED FORTASSIS ETIAM POSITIVI JURIS, QUALE ILLUD EST, QUO PRIMITUS ADAMO PRÆCEPTUM FUIT, NE IPSE DE LIGNO SCIENTIÆ BONI ET MALI COMEDERET.

Quapropter[1] cum audimus Scripturam dicentem : *Et præcepit dominus Deus Adæ, dicens : Ab omni ligno, quod est in paradiso, escam edes ; de ligno autem cognoscendi bonum*

[1] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 27.

et malum, non manducabitis de illo : qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini. Si modum quærimus quomodo ista locutus sit Deus : modus quidem ipse à nobis propriè comprehendi non potest : certissimè tamen tenere debemus, Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam : sed per substantiam suam non loqui nisi ad creandas omnes naturas : ad spiritales verò atque intellectuales non solùm creandas, sed etiam illuminandas, cum jam possunt capere locutionem ejus, qualis est in Verbo ejus quod *in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia.* [1] Si ergo Adam talis erat, ut posset capere illam locutionem Dei, quam mentibus angelicis per suam præbet substantiam : non dubitandum est quòd ejus mentem per tempus moverit miro et ineffabili modo, non motus ipse per tempus, eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit : ut quæque transgressori pœna deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate demonstraverit : sicut audiuntur vel videntur ea omnia bona præcepta in ipsa incommutabili Sapientia, quæ in animas sanctas se transfert ex aliquo tempore, cum ipsius nullus sit motus in tempore. [2] Illud *tamen* quod postea scriptum est cum peccassent *primi parentes, eos audisse vocem Domini Dei ambulantis in paradiso,* quia non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat qui fidem catholicam sapit. [3] Cum audissent, *inquit Moyses,* vocem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam, absconderunt se Adam et mulier ejus a facie Domini Dei sui. [4] Et vere ad vesperam, id est, cum jam ab eis sol occideret, id est, auferretur ab eis lux illa interior veritatis. [5] Ea quippe horâ tales jam convenerat visitare, qui defecerant a luce veritatis.

Fortassis enim aliis intrinsecùs vel effabilibus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur , ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus nosse simul quæcumque

[1] Lib. 8 , de Genesi ad litt., cap. 27. — [2] Ibid. — [3] Lib. 2, de Genesi contra Manich., cap. 1. — [4] Ibid. — [5] Lib. 11, de Genesi ad litt., cap. 33.

etiam per tempora non fiunt simul. Fortè, inquam, sic cum eis loquebatur, et si non tanta participatione divinæ sapientiæ quantam capiunt Angeli : tamen pro humano modulo quantumlibet minus , sed ipso genere visitationis et locutionis.

CAPUT L.

HOMINEM EX ILLA BEATITUDINE LAPSUM ESSE PER PECCATUM, ET A SUPERNATURALI AUT ETIAM AB EXPLICITA ET REFLEXA DEI VISIONE, PER SENSIBILIUM RERUM CUPIDITATEM FUISSE IMPEDITUM.

Sed[1] etiamsi sapiens primus homo factus est, potuit tamen seduci. Quod peccatum cum esset in libero arbitrio, justa, divina lege, pœna consecuta est. Ita dicit etiam apostolus Paulus : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Superbia enim avertit à sapientia. Aversionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe cæcitas quædam est, sicut idem dicit : *Et obscuratum est insipiens cor eorum.* Unde autem hæc obscuratio, nisi ex aversione à lumine sapientiæ? Unde autem hæc aversio, nisi dum ille cui bonum est Deus sibi ipse vult esse bonum suum , sicut sibi est Deus, [2]Potestatem quippe suam diligens anima, à communi universo ad privatam partem prolabitur; et apostaticâ illâ superbiâ, quod initium peccati dicitur, cum in universitate creaturæ Deum rectorem secuta, legibus ejus optimè gubernari potuisset, plus aliquid universo appetens, atque id sua lege gubernare molita, quia nihil est amplius universitate, in curam partilem truditur, et sic aliquid amplius concupiscendo minuitur. [3]Videt quædam intrinsecus pulchra, in præstantiore natura quæ Deus est; et cum stare debeat ut eis fruatur, volens ea sibi tribuere, et non ex illo similis illius, sed ex seipsa esse quod ille est, avertitur ab eo, moveturque et labitur in minus et minus , quod putat amplius et amplius; quia nec ipsa sibi, nec ei quicquam

[1]Lib. 3, de Lib. arb., cap. 24. — [2]Lib. 12, de Trinit., cap. 9. — [3]Ibid., lib. 10, cap. 5.

sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit : ideoque per egestatem ac difficultatem fit nimis intenta in actiones suas, et inquietas delectationes quas per eas colligit : atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat, [1] formis et motibus corporalibus delectata, quia intus ea secum non habet, cum eorum imaginibus, quas memoriæ fixit, involvitur, et phantastica fornicatione turpiter inquinatur; *sicque* [2] corporearum rerum fallacia simulacra introrsus rapiens, et vana meditatione componens, ut ei nec divinum aliquid placeat nisi videatur, privatim avara fetatur erroribus, et privatim prodiga inanitur viribus. [3] Umbra *enim* dum amatur, languidiorem facit oculum animi, et invalidiorem ad perferendum conspectum *veritatis*. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum sectatur libentiùs, quicquid infirmiorem tolerabilius excipit. Ex quo incipit non posse videre quod summè est.

Ita prægravatus animus quasi pondere suo a beatitudine expellitur, *dum* [4] immoderato progressu nimis in exteriora prolabitur, consentiente sibi capite suo, id est, non eam cohibente atque refrenante illâ, quæ in specula consilii præsidet, quasi virili portione, inveteratur inter omnes inimicos suos virtutis invidos dæmones cum suo principe diabolo : æternorumque illa visio ab ipso etiam capite cum conjuge vetitum manducante subtrahitur, ut lumen oculorum ejus non sit cum illo. Ac sic ab illa illustratione veritatis ambo nudati, atque apertis oculis conscientiæ ad videndum quàm inhonesti atque indecori remanserint, tanquam folia dulcium fructuum, sed sine ipsis fructibus, ita sine fructu boni operis bona verba contexunt, ut male viventes quasi bene loquendo contegant turpitudinem suam.

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 9. — [2] Ibid., cap. 10. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [4] Lib. 12, de Trinit., cap. 8.

CAPUT LI.

ADHUC TAMEN AD IPSAM DEI VISIONEM REFLEXAM ET EXPLICITAM, HOMINEM POST LAPSUM ASSURGERE POSSE PER CREATURAS, A QUIBUS ADMONETUR SEU EXCITATUR AD VIDENDUM DEUM, ET IN QUARUM CONSIDERATIONE MENTIS OCULUM PRIUS EXERCET, UT INDE SANIOR FACTUS ATQUE VEGETIOR, INCREATAM LUCEM POSTEA FACILIUS POSSIT CONSPICERE ; HUNCQUE VERBORUM ISTORUM ESSE SENSUM, INVISIBILIA DEI PER EA, QUÆ FACTA SUNT, INTELLECTA CONSPICIUNTUR.

Væ [1] qui se avertunt a lumine tuo, et obscuritati suæ dulciter inhærent, [2] ô suavissima lux purgatæ mentis sapientia! [3] Tanquam enim dorsum ad te ponentes in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, et tamen etiam ibi quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ. [4] Quoquò enim te verteris, *ô homo*, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit, loquitur tibi, et te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat : ut quicquid te delectat in corpore, et per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, et quæras unde sit, et in teipsum redeas, atque intelligas te id, quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exteriùs. [5] Et quod istis veris et certis bonis, quamvis adhuc in hoc tenebroso itinere coruscantibus, gaudere concessum est, vide utrum hoc sit quod scriptum est de sapientia, quid agat cum amatoribus suis cum ad eam veniunt, et eam quærunt. Dictum est enim : *In viis ostendet se illis hilariter, et omni providentia occurret illis.*

Ita [6] commemorati ab iis quæ judicamus, intueri quid sit secundùm quod judicamus, et ab operibus artium conversi ad legem artium, eam speciem mente contuebimur, cujus comparatione fœda sunt, quæ ipsius benignitate sunt pulchra. *Invisibilia enim Dei, à creatura mundi, per ea quæ*

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Vera Relig., cap. 52.

facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna ejus virtus et divinitas. Hæc est à temporalibus ad æterna regressio, et ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio. Quid est autem unde homo commemorari non possit, [1] qui ratione uti potest, et ubi cecidit, ibi incumbere ut surgat? [2] Nam in quemcumque locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere ut surgat. Ergo ipsis carnalibus formis, quibus detinemur, nitendum est ad eas cognoscendas, quas caro non nuntiat. Eas autem carnales voco, quæ per carnem sentiri queunt, id est, per oculos, per aures, cæterosque corporis sensus. His ergo carnalibus vel corporalibus formis inhærere amore pueros necesse est; adolescentes verò propè necesse est; hinc jam procedente ætate non est necesse. [3] In qua non auctoritatis humanæ sinu continetur *animus*, sed ad summam incommutabilem lucem passibus rationis innititur. [4] Quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, refer oculum mentis in illam viam, ubi se ostendebat hilariter. [5] Versabatur namque, non veritate certior, sed consuetudine securior in rebus humanis.

Pro [6] sua *vero* quisque sanitate ac firmitate comprehendit illud singulare ac verissimum bonum. Lux est quædam ineffabilis et incomparabilis mentium. Lux ista vulgaris nos doceat quantum potest, quomodo se illud habeat. Nam sunt nonnulli oculi tam sani et vegeti, qui se mox ut aperti fuerint, in ipsum solem sine ulla trepidatione convertant. His quodammodo ipsa lux sanitas est, nec doctore indigent, sed sola fortasse admonitione. His credere, sperare, amare satis est. Alii vero ipso quem videre vehementer desiderant, fulgore feriuntur, et eo non viso sæpe in tenebras cum delectatione redeunt. Quibus periculosum est, quamvis jam talibus ut sani rectè dici possint, velle ostendere quod adhuc videre non valent. Ergo isti exercendi sunt priùs, et eorum amor utiliter differendus atque nutriendus est. Primò enim quædam illis demonstranda sunt quæ non per

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 42. — [2] Ibid., cap. 24. — [3] Ibid., cap. 26. — [4] Lib. 2, de Lib. arbit., cap. 16. — [5] Lib. de Morib. Eccles., cap. 7. — [6] Lib. 1, Soliloq., cap. 13.

se lucent, sed per lucem videri possunt, ut vestis, aut paries, aut aliquid horum. Deinde quod non per se quidem, sed tamen per illam lucem pulchriùs effulgeat, ut aurum, argentum, et similia, nec tamen ita radiatum ut oculos lædat. Tunc fortasse terrenus iste ignis modestè demonstrandus est, deinde sidera, deinde luna, deinde auroræ fulgor, et albescentis cœli nitor. In quibus seu citiùs seu tardiùs, sive per totum ordinem, sive quibùsdam contemptis, pro sua quisque valetudine assuescens, sine trepidatione et cum magna voluptate solem videbit. Tale aliquid sapientiæ studiosissimis, nec acutè, jam tamen videntibus, magistri optimi faciunt. Nam ordine quodam ad eam pervenire bonæ disciplinæ officium est, sine ordine autem vix credibilis felicitatis.

Ita[1] per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire, vel duci, [2]sex libros de musica scripsi, [3]*ubi* satis diu atque adeo planè pueriliter per quinque libros in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus : quam nostram nugacitatem apud benevolos homines facilè fortassis excuset officiosus labor : quem non ob aliud suscipiendum putavimus, nisi ut adolescentes, vel cujuslibet ætatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non præproperè, sed quibusdam gradibus à sensibus carnis atque à carnalibus litteris, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione avellerentur : atque uni Deo et domino rerum omnium qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet, immutabilis veritatis amore adhærescerent. Illos igitur libros qui leget, inveniet nos cum grammaticis et poeticis animis, non habitandi electione, sed itinerandi necessitate versatos. Ad sextum autem librum cum venerit, intelliget non vilis possessionis esse vilem viam, per quam nunc cum imbecillioribus, nec nos ipsi admodum fortes ambulare maluimus, quàm minùs pennatos per liberiores auras præcipitare. [4]Res *enim* in eo digna cognitione versatur, quomodo a

[1] Lib. 1, Retract., cap. 6. — [2] Ibid., cap. 11. — [3] Lib. 6, Musicæ, cap. 1. — [4] Lib. 1, Retractat., cap. 11.

corporalibus et spiritalibus, sed mutabilibus numeris perveniatur ad immutabiles numeros, qui jam in ipsa sunt immutabili veritate, et sic invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. [1]Potest *enim* inveneri Deus per creaturam evidenter dicente Apostolo: *Invisibilia enim ejus, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* [2]Illud *autem visionis genus*, quo *Divinitas* intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ, *sicut alibi jam dictum est.*

Utamur [3] *ergo* gradibus, quos nobis divina providentia fabricare dignata est. [4]Videamus quatenus ratio possit progredi à visibilibus ad invisibilia, et à temporalibus ad æterna conscendere. Non enim frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripertitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper permanentia faciendus.

Interrogavi [5] mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit. [6]Et dixi omnibus iis quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna: *Ipse fecit nos.* Interrogatio mea, intentio mea; et responsio eorum, species eorum. [7]Nonne omnibus quibus integer sensus est, apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla et magna vident eam, sed interrogare nequeunt. Non enim præposita est in eis nuntiantibus sensibus judex ratio. Homines autem possunt interrogare, ut *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur.* Sed amore sub-

[1]Tract. 2, in Joann. — [2]Lib. 12, de Genes. ad lit., cap. 6. — [3]Lib. de Vera Relig., cap. 50. — [4]Ibid., cap. 29 — [5]Lib. 10, Confess., cap. 6. — [6]Ibid. — [7]Ibid.

duntur eis, et subditi judicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus, nisi judicantibus : nec vocem suam mutant, id est, speciem suam, si alius tantùm videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi apparcat, aliter huic: sed eodem modo utrique apparens, illi muta est, huic loquitur : imò verò omnibus loquitur; sed illi intelligunt qui ejus vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non est Deus tuus cœlum et terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti : Moles est ; moles minor est in parte quàm in toto. Jam tu melior es; tibi dico, anima ; quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori : Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est. [1]Quid est *igitur* ille super caput animæ meæ? per ipsam animam meam *ascendi* ad illum. [2]Quærens enim unde approbarem pulchritudinem corporum, sive cœlestium, sive terrestrium, et quid mihi præsto esset integrè de mutabilibus judicanti, et dicenti : Hoc ita esse debet, illud non ita. Hoc ergo quærens, unde judicarem cum ita judicarem, inveneram incommutabilem et veram veritatis æternitatem supra mentem meam commutabilem : atque ita gradatim à corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exteriora nuntiaret; et quousque possunt bestiæ: atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur judicandum quod sumitur à sensibus corporis. Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, et abduxit cogitationem à consuetudine, subtrahens se contradicentibus turbis phantasmatum , ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret incommutabile præferendum esse mutabili; unde nosset ipsum incommutabile. Quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certò præponeret. Et pervenit ad id, quod est, in ictu trepidantis aspectus. Tum vero invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere non valui : [3]Tu *enim* es veritas super omnia præsi-

[1] Lib. 10, Confess., c. 7. — [2] Ibid., lib. 7, c. 17. — [3] Ib., lib. 10, c. 41

dens, [1] quia lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent : et audiebam dicentem atque jubentem. [2] Vidi enim splendorem tuum corde saucio, et repercussus dixi : Quis illuc potest? Projectus sum à facie oculorum tuorum.

Sensus [3] *autem* in hoc negotio quasi navim sum expertus. Nam cum ipsi me ad locum quò tendebam pervexerint, ubi eos dimisi, et jam velut in solo positus cœpi cogitatione ista volvere, diu mihi vestigia titubarunt, [4] quamvis primò discentes aliquantùm adjuvare *sensus* videantur; [5] mens *enim* humana priùs hæc, quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit : et deinde quærit eorum causas, si quomodo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere. *Quæ quia Socrates* [6] non putabat nisi mundatâ mente posse comprehendi, [7] universam Philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur : cum ante illum omnes magis physicis, id est, naturalibus rebus perscrutandis operam maximam impenderint. [8] Nolebat *enim*, sicut de illo quidam benevolentiùs suspicantur, immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari : quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, non nisi in unius veri ac summi Dei voluntate esse credebat; et ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret, naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 40. — [2] Ibid., cap. 41. — [3] Lib. 1, Soliloq., c. 4. — [4] Ibid. — [5] L. 4, de Genesi ad Litt., c. 32. — [6] Lib. 8, de Civit. Dei, c. 3. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

CAPUT LII.

AD INVISIBILIA DEI, REFLEXÈ ET EXPLICITÈ, MENTE CONSPICIENDA PER CREATURAS, VELUTI PER GRADUS, IPSOS ETIAM GENTILES PHILOSOPHOS ASCENDISSE.

Viderunt *etiam*[1] *Platonici Philosophi,* quos cæteris non immeritò fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus esse Deum : et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt quicquid mutabile est, non esse summum Deum : et ideo omnem animam mutabilesque omnes spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quicquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse nisi ab illo, qui verè est, quia et incommutabiliter est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, et elementa disposita à cœlo usque ad terram, et quæcumque corpora in eis sunt : sive omnem vitam ; vel quæ nutrit, et continet, qualis est in arboribus ; vel quæ et hoc habet, et sentit, qualis est in pecoribus ; vel quæ et hæc habet et intelligit, qualis est in hominibus ; vel quæ nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse qui simpliciter est. Quia non aliud illi est esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens : nec aliud illi est vivere, aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens : nec aliud illi est intelligere, aliud beatum esse, quasi possit intelligere, et non beatus esse ; sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum, et omnia ista fecisse, et ipsum à nullo fieri potuisse. Consideraverunt enim quicquid est, vel corpus esse, vel vitam, meliusque aliquid vitam esse, quàm corpus ; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem speciem

[1] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 6.

sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus, quæ visu tactuque corporis sentiri queunt: intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi possunt. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus judicet, quod profectò non posset nisi melior in illo esset hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio meliùs de specie sensibili judicaret : meliùs ingeniosior quàm tardior, meliùs peritior quàm imperitior, meliùs exercitatior quàm minus exercitatus, et idem ipse unus cum proficit meliùs utique postea quàm priùs. Quod autem recipit majus et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem ubi mutabilitas esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset et incommutabilis species, et ideo nec comparabilis : atque ibi esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspecta sunt : sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, à quo etiam visibilia et temporalia cuncta creata sunt. [1] Hæc et Philosophi nobiles quæsierunt, et ex arte artificem cognoverunt. [2] Deum *enim* esse quamdam vitam, æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam hujus seculi Philosophi viderunt, veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes rationes rerum omnium creatarum. Viderunt quidem, sed de longinquo; viderunt, sed in errore positi, et idcirco ad eam tam magnam et ineffabilem et beatificam possessionem, qua via perveniretur, non invenerunt. Nam quod viderunt etiam ipsi, quantum videri ab homine potest, Creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi

[1] Serm. 55, de Verbis Domini. — [2] Ibid.

per mundum, Paulus apostolus testis est, cui utique debent credere Christiani. Ait enim cum de talibus loqueretur : *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent.* Numquid dixit eos non detinere veritatem? Sed veritatem in iniquitate detinent. Bonum est quod tenent, sed malum ubi tenent. Veritatem in iniquitate detinent. Occurrebat autem ut diceretur ei : Unde illi impii veritatem detinent? Numquid Deus ad quemquam eorum locutus est? Numquid legem acceperunt sicut Israelita populus per Moysen? Unde ergo detinent veritatem, vel in ipsa iniquitate? Audite quid sequitur, et ostendit. Quia *quod notum est Dei*, inquit, *manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.* Manifestavit illis quibus legem non dedit? Audi quomodo manifestavit. *Invisibilia enim ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* [1] Cum enim veritas etiam peccatoribus dicatur, per quamlibet creaturam dicatur, non nisi ab illo dicitur, qui unus est verax.

CAPUT LIII.

MIRUM VIDERI NON DEBERE QUOD IMMUTABILIS AC ÆTERNA DEI VERITAS, SICUT ANIMABUS PRAVA CUPIDITATE CÆCATIS, ITA ETIAM IPSIS DÆMONIBUS SEIPSAM MANIFESTANDO LOQUATUR.

Hoc [2] *autem fortè* movet, quod etiam peccatoribus Deus loquitur. *Nam et sancti Job* [3] admirabilem stabilitatem in Deo Domino suo, cum *Manichæi* heretici, hostes Veteris Testamenti, ore sacrilego irridere voluerint, illud præ cæteris ventilant, quod satanas petierit eum tentandum. Quærunt enim ab imperitis hominibus, talia intelligere nequaquam valentibus, quomodo satanas cum Deo loqui poterit : non intuentes, non enim possunt, superstitione et contentione cæcati, Dominum non loci spatium mole corporis occupare; et sic alibi esse, alibi non esse, vel certè hìc habere partem aliam, et alibi aliam : sed majestate ubique præsto esse,

[1] Lib. contra Adimant., cap. 9. — [2] Ibid. — [3] Lib. 2, de Serm. Domini in monte, cap. 9.

non per partes divisum, sed ubique perfectum. Quod si carnaliter intuentur quod dictum est : *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum* ; cui loco Dominus attestatur dicens : *Non juretis, neque per cœlum, quia thronus Dei est* ; *neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* : quid mirum si in terra diabolus constitutus, ante pedes Dei stetit, et coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus? Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait : *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientia eorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die in qua judicabit dominus occulta hominum.* Quapropter si hominis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat et ratiocinatur, quicquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat : quid mirum si diaboli anima pravâ cupiditate perversa, quicquid tamen verum de justo viro cogitavit, cum eum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur? Quicquid autem falsum, illi cupiditati tribuitur, quâ diaboli nomen accepit. Quamvis etiam per creaturam corporalem atque visibilem Deus plerumque locutus est seu bonis seu malis, tanquam omnium Dominus et rector, et pro cujusque meritis ordinator : sicut per Angelos, qui hominum quoque aspectibus apparuerunt, et per Prophetas dicentes : *Hæc dicit dominus.* Quid ergo mirum, si quanquam non ipsa cogitatione, per aliquam certè creaturam tali operi accommodatam, Deus locutus cum diabolo dicitur? Nec dignitatis esse arbitremur, et quasi justitiæ meritum, quòd cum illo Deus locutus est : quoniam locutus est cum anima angelica quamquam stultâ et cupidâ, tanquam si loqueretur cum anima humana stulta et cupida.

CAPUT LIV.

DEUM NON NISI DIFFICILLIMÈ, ET A PAUCIS TANTUM, IN QUIBUS NATURA NIMIUM DEPRAVATA EST, IGNORARI POSSE ; QUAMVIS TAMEN ANIMO, CUM DEUM COGITAT, VERBA DESINT, QUIBUS ILLUD INEFFABILE, QUOD INTUETUR, PROPRIÈ POSSIT EXPRIMERE.

Hæc [1] est *igitur* vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi : [2] Neque enim, *ut alibi jam insinuavimus*, in omnibus bonis, quæ cernuntur, sive cogitantur, diceremus aliud alio melius cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundùm quod et probaremus aliquid, et aliud alii præponeremus. [3] Et quid hoc nisi Deus ? *Ita quoque si sapientiam* [4] nullo modo animo cerneres, nullo modo scires et velle te esse sapientem, et velle debere, quod te negaturum esse non arbitror. [5] Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis : per hanc enim scimus, fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle : ita etiam priusquam sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam, per quam unusquisque nostrûm si interrogetur, velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis se velle respondet. [6] Non enim, sicut jam dictum est, certus esses velle te esse sapientem, idque oportere, nisi notio sapientiæ tibi inhæreret, sicut earum rerum, *seu regularum*, de quibus supra singillatim interrogatus respondisti, quæ ad ipsam sapientiam pertinent, quarum cognitione lætatus es. [7] Num *verò* aliam, *ut ibidem etiam interrogatus es*, putas esse sapientiam, nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum ? [8] Id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate.

Horum [9] simile est quod de pœnitendo nunc dicam :

[1] Tractat. 106, in Joann. — [2] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [3] Ibid. — [4] L. 2, de Lib. arb., c. 9. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 15. — [7] Ibid., cap. 9. — [8] Lib. de Moribus Eccles., cap. 14. — [9] Lib. de Duabus anim., cap. 14.

nam ut inter omnes sanos constat, utile est pœnitere peccati. [1] Vox est etiam ista naturæ. Neminem stultum rei hujus notitia deseruit. [2] Hoc nobis nisi etiam penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, non se peccare: non autem sibi esse, si peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries hoc dicere audebit. [3] Cui *etiam* iniquo non facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facilè respondeat quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit : *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri?* Hoc et antequam Lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur et quibus Lex non esset data. [4] Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam ? quis te docuit nolle tibi furtum fieri ? quis te docuit nolle injuriam pati, et quicquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sunt de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati. [5] Judicas autem malum esse in eo quod pati non vis, et hoc te cogit nosse lex intima in ipso tuo corde conscripta, [6] lex *nempe* sempiterna, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent ; secundùm quod illa incommutabili veritate præceperit. [7] Lex verò æterna est, ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. [8] Et lex tua veritas, *Deus noster*, et veritas tu. [9] *Itaque* difficile est ut incurramus in hominem, qui dicat in corde suo : *Non est Deus.* [10] Tale genus est hominum, inter quos dolet, *parturit*, et gemit corpus Christi. Si tale hoc hominum genus est, non multos parturimus : quantum videtur occurrere cogitationibus nostris, perpauci sunt.

Non [11] multum est, quod jubemur tolerare. Invenitur *hoc* in paucis et raris ; et pene in nullis esse putamus. Sic *autem* pauci sunt, ut inter multos timendo hoc dicere, in

[1] Lib. de Duabus anim., cap. 14. — [2] Ibid. — [3] In Psalm. 57. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Quæst. 67, in Exod. — [7] Lib. 22, contra Faust., c. 27. — [8] Lib. 4, Confess. , cap. 9. — [9] In Psalm. 52. — [10] Ibid. — [11] Ibid.

corde suo dicant, quia ore dicere non audent. *Hinc sacer Scriptor* : [1] *Dixit imprudens in corde suo, non est Deus.* Nec ipsi enim sacrilegi et detestandi quidam philosophi, qui perversa et falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere : *Non est Deus.* Ideo ergo, *dixit in corde suo* ; quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in affectionibus suis* : id est, dum amant hoc seculum, non amant Deum. Ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, et sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo : *Non est Deus.* Sicut enim *non probaverunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum.* [2] Rarum *tamen* hominum genus est, qui dicant in corde suo : *Non est Deus.* Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem. [3] Nam et species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est : et interior nescio qua conscientia Deum quærendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publicè privatimque hortatur. [4] Neque divinorum Librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet, ut eum et summè vivere, et cuncta sentire, atque intelligere; et mori, corrumpi, mutarique non posse; nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur.

[1] In Psal., 13. — [2] In Psalm. 52. — [3] Lib. de Utilit credendi., cap. 16. — [4] Lib. 15, de Trinit., c. 4.

In [1]Deo autem omne quod dicitur idipsum est. Divisurus *enim* es Deum per qualitates, id est, per quasdam affectiones corporales vel animales, in quibus aliud atque aliud esse sentimus? [2]Neque *igitur* in Deo aliud potestas, et aliud prudentia, et aliud fortitudo, et aliud justitia, aut aliud castitas. Quicquid horum de Deo dicis, neque aliud et aliud intelligitur, et nihil dignè dicitur ; quia hæc animarum sunt, quas illa lux perfundit quodammodo, et pro suis qualitatibus afficit ; quomodo cum oritur corporibus lux ista visibilis, si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus est nullus color. Cum autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa unius modi sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso eos nitore aspergit. Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene sunt affectæ ab illa luce quæ non afficitur, et formatæ ab illa quæ non formatur. Tamen ista de Deo dicimus, fratres, quia non invenimus melius, quod dicamus. Dico justum Deum, quia in verbis humanis nihil melius, quod dicamus, invenio. Nam est ille ultra justitiam, *quæ scilicet animæ quædam affectio est, et ab aliis ejus affectionibus distinguitur ; Et quamvis*, [3]si quæras, quid de Deo dignè dicitur, aliquis fortassis tibi respondeat et dicat, quia justus est. Alius *tamen* isto meliùs intelligens, etiam hoc verbum (*quatenus ad affectionem duntaxat animæ significandam usurpari solet*), dicat superari ab illius excellentia, et [4]indignè de illo etiam hoc dici, quamvis congruenter secundùm humanam capacitatem dicatur, *et* [4]hoc Scriptura bene posuerit, ut per qualiacumque verba gradatim animus ad id quod dici non potest perducatur. Justum quidem Deum dicis, sed intellige aliquid ultra justitiam, quam soles et de homine cogitare, [5]nisi *forte dare velis* diversitates quasdam in substantia Dei; quas cum dederis, foras te mittit veritas, nec accedis ad illud sanctuarium Dei, ubi sincerissimè videtur. [6]Qui autem et ista transcenderit, et de Deo, quantum homini conceditur, dignè cogitare cœperit: inveniet silentium ineffabili cordis voce laudandum.

[1]Serm. 40, de Temp. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]Ibid. — [6]Ibid.

Diximusne [1] *igitur* aliquid et sonuimus aliquid dignum Deo? Imò verò me nihil aliud quàm dicere voluisse sentio. Si autem dixi, non est hoc quod dicere volui. Hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est ; quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset? Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia et hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quæ pugna verborum ; quoniam, si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potiùs, quàm voce pacanda est. Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, et verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est quòd et dicitur Deus. Non enim reverà in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur ; sed tamen omnes latinæ linguæ scios, cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque naturam. [2] Nam cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam, qui alios et suspicantur et vocant et colunt Deos, sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. [3] Omnes *enim* pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est ; *sed* hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre, quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus et corporalibus, intelligibilibus etiam et spiritalibus omnibus mutabilibus præferunt ; [4] cum ejus majestatem, non solum super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inviolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. [5] Debet *igitur homo* creatorem suum credere, sicuti est, inviolabili et incommutabili semper manere naturâ veritatis atque sapientiæ, [6] cui stultitia non succedit, [7] quæ converti atque aliter, quàm semper est, sese habere non novit.

[1] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 6. — [2] Ibid., cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Moribus Eccles., cap. 10. — [5] Ibid., cap. 12. — [6] Ibid, cap. 13. — [7] Ibid.

PARS TERTIA.

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS

DE DEO.

CAPUT I.

AB EXISTENTIA DEI SUMENDUM ESSE HUJUSCE PARTIS EXORDIUM, QUÆ UT CLARÈ DEMONSTRARI POSSIT, PRIMUM DECLARATUR, DEI NOMINE NATURAM ALIQUAM INTELLIGI, QUÆ ABSOLUTÈ IMMUTABILIS SIT AC ÆTERNA.

Quæramus [1] hoc ordine, si placet, primùm quomodo manifestum est esse Deum. [2] Non *enim quicquam hìc* ostendi posset, nisi prius adversus opiniones impiæ stultitiæ, quâ dicit insipiens in corde suo : *Non est Deus*, qualiscumque de re tanta pro modulo nostro inita ratio, eodem ipso Deo in tam periculoso itinere nobis opitulante, in aliquid manifestum intenderetur.

Quid [3] *ergo*, si aliquid invenire potuerimus, quod non solùm esse non dubites, sed etiam ipsa nostra ratione præstantius? dubitabisne illud, quicquid est, Deum dicere? Non continuò, *inquies,* si quid melius quam id quod in mea natura optimum est, invenire potuero, Deum esse dixerim. [4] Sed, quæso te, si non inveneris esse aliquid supra nostram rationem, nisi æternum atque incommutabile est, dubitabisne hunc Deum dicere? Nam et corpora mutabilia esse cognoscis : et ipsam vitam quâ , corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est ;

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [2] Ibid., cap. 18. — [3] Ibid., c. 6. — [4] Ib.

et ipsa ratio, cum modò ad verum pervenire nititur, modò non nititur ; et aliquando pervenit, aliquando non pervenit, mutabilis esse profecto convincitur. Quæ, si nullo adhibito corporis instrumento, [1] per seipsam cernit æternum aliquid et incommutabile, simul et seipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum, esse fateatur. [2] Nec enim illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, esse Deum.

CAPUT II.

DARI NATURAM ALIQUAM IMMUTABILEM AC ÆTERNAM. OSTENDITUR PRIMO EX IMMUTABILITATE ET ÆTERNITATE SUMMÆ LEGIS, QUA JUSTUM EST, UT OMNIA SINT ORDINATISSIMA ; SICQUE DEUM EXISTERE INVICTISSIMÈ CONFICITUR.

Quid [3] vero illa lex, quæ summa ratio nominatur ; [4] qua justum est ut omnia sint ordinatissima ; [5] cui semper obtemperandum est ; et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur ; per quam denique illa quam temporalem notandam diximus, recte fertur, rectè mutatur, potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri ! An potest aliquando injustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint ; aut ut modestus et gravis populus ipse sibi magistratus creet, dissolutus vero et nequam istà licentià careat ? Video *planè* hanc æternam esse atque incommutabilem legem. [6] Cum *enim* hæc sit una lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipsa variari ullo modo potest ? Intelligo omninò non posse. Neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes, unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima.

Hæc [7] igitur lex cùm sit omnino incommutabilis, ac æterna, [8] Deum esse negare non poteris ; quæ nobis erat ad disputandum et tractandum quæstio constituta.

[1] Ibid. — [2] Lib. de Vera Relig., cap. 31. — [3] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lib. de Vera Relig., cap. 30. — [8] Lib. 2. de Lib. arb., cap. 15.

CAPUT III.

EX IPSIS ETIAM NATURIS, QUAS MUTABILES INTUEMUR, ET OB MUTABILITATEM SUAM SIC MUTARI POSSE INTELLIGIMUS UT ETIAM IPSÆ NON EXISTANT, COLLIGENDAM ESSE FORMÆ CUJUSPIAM IMMUTABILIS EXISTENTIAM, A QUO EXISTERE, CONSERVARI, FORMARIQUE POSSINT, EAQUE RATIONE PHILOSOPHOS AD DEI NOTITIAM PERVENISSE.

Deinde[1] est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus: et est natura per loco nullos modo, sed tamen per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima. [2] Si *autem* quicquid mutabile aspexeris, vel sensu corporis vel animi consideratione capere non potes, nisi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta (*ut certè omninò detrahi potest, cùm nulla inde contradictio secutura videatur*) in nihil recidat; noli dubitare, ut ista mutabilia non intercipiantur, sed dimensis motibus, et distinctâ varietate formarum, quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam æternam, et incommutabilem : quæ neque contineatur, et quasi diffundatur locis, neque protendatur atque varietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant, et pro suo genere implere atque agere locorum ac temporum numeros.

Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Sicut autem mutabile dicimus quod mutari potest, ita formabile quod formari potest, appellaverim. Nulla autem res formare seipsam potest : quia nulla res potest dare sibi quod non habet : et utique ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quælibet res si quam habet formam, non ei opus est accipere quod habet : si qua verò non habet formam, non potest à se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. Quid autem amplius de mutabilitate corporis et animi dicamus, *qua etiam fieri potest, ut absolutè loquendo omninò esse desinant, cum nihil in eo contradictionis occurrat ?* Superiùs enim satis dictum est. Conficitur itaque, ut et corpus et animus forma quadam incommutabili et semper movente, formentur. [3] Si

[1] Epist. 63. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., c. 17. — [3] Ibid.

enim omnia quæ sunt, formâ penitus subtractâ nulla erunt, forma ipsa *aliqua* incommutabilis *est*, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur et agantur. [1]Non enim ista essent, si illa non esset.

Intuens ergo et considerans universam creaturam quicumque iter agit ad sapientiam, sentit sapientiam *in via se sibi ostendere hilariter, et omni providentia occurrere sibi :* et tantò alacriùs ardescit viam istam peragere, quantò et ipsa via per illam pulchra est, ad quam exæstuat pervenire. [2]Hæc *enim* duo, id est, corpus et vita, quæ quidem creaturæ deputantur (nam et Creatoris ipsius vita dicitur, et ea summa vita est), istæ igitur duæ creaturæ corpus et vita, quoniam formabilia sunt, sicuti superiùs dicta docuerunt, amissaque omnino forma (*ut omnino amitti posse, jam ac iterum monuimus*) in nihilum recidunt, satis ostendunt se ex *aliqua* forma subsistere, quæ semper ejusmodi est. [3]Quæ quantumlibet deficiant, et eò tendant ut non sint, tamen aliquid formæ illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formæ cuipiam rei deficienti remanet, ex aliqua forma est, quæ nescit deficere.

Hinc[4] *certe* satis mihi persuasum esse fateor, et quemadmodum manifestum fiat, quantum in hac vita atque inter tales, quales non sumus, potest, Deum esse. [5]Hæc et Philosophi nobiles quæsierunt, et ex arte artificem cognoverunt. [6]Viderunt etiam ipsi, quantum videri ab homine potest, Creatorem per creaturam ; factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum.

Consideraverunt[7] enim quicquid est *in hoc mundo* vel corpus esse, vel vitam. *Deinde* ingeniosi et docti et in his exercitati homines facilè collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabile esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis species, et ideo nec comparabilis : atque ibi esse

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 18. — [5] Serm. 55, de Verbis Domini. — [6] Ibid. — [7] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6.

rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cùm ab eis invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt intellecta conspecta sunt : sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, à quo etiam visibilia et temporalia cuncta creata sunt.

Viderunt [1] *enim* omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quicquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse, nisi ab aliquo qui verè est, quia incommutabiliter est. [2] Propter hanc *enim* incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia ista fecisse, et ipsum a nullo fieri potuisse.

CAPUT IV.

DEUM ESSE PER SE NOTUM, ETIAM QUOAD NOS, DEMONSTRATUR PRIMO EX EO, QUOD DEI NOMINE NIHIL ALIUD INTELLIGATUR, NISI NATURA SIMPLICITER INCOMMUTABILIS, AC ÆTERNA ; QUAM ESSE PER SE NOTAM, ETIAM RESPECTU NOSTRI, CONSTAT EX INCOMMUTABILI ÆTERNAQUE PRIMORUM PRINCIPIORUM VERITATE QUÆ NOBIS PER SEIPSAM MANIFESTA EST, LICET IPSA SICUT ET LUX ISTA VISIBILIS, AB IIS VIDEATUR NON CERNI QUI AD ALIÁ ANIMO ATTENDUNT.

Hæc [3] est enim *certe* vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam rationi utenti, non omninò ac penitus possit abscondi. [4] Et *certè* difficile est, ut incurramus in hominem, qui dicat in corde suo : *Non est Deus.* [5] Invenitur *hoc* in paucis, et raris ; et penè in nullis esse putamus. [6] Rarum *prorsus* hominum genus est qui dicant in corde suo : *Non est Deus ;* in quibus *nempe* natura nimium depravata est. [7] *Hæ sunt* enim opiniones impiæ stultitiæ qua dicit insipiens, id est, *mente planè cœcus* : *Non est Deus.* [8] *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in affectionibus suis*, id est, dum amant hoc seculum, non amant Deum. Ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt animam, et sic excæcant, ut possit etiam dicere *imprudens in corde suo : Non est Deus.* [9] *Nesciens*

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6. — [2] Ibid. — [3] Tract. 106, in Joann. — [4] In Psalm. 52. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] L. 2, de Lib. arb., c. 18. — [8] In Psalm. 13. — [9] Lib. de Morib. Eccles., cap. 21.

scilicet, seu non attendens quid sit Deus, et quanta majestas. *Nam*[1] unde cogitare nisi commoniti non valemus, id nos nescio quo eodemque miro modo, si potest dici, scire nescimus, *et* rectè ab eo qui commemorat, ei cui commemorat, dicitur : Scis hoc, sed scire te nescis; commemorabo et invenies te scientem quod te nescire putaveras : *ut, verbi gratia, si quem ita commemorem* : [2]Quod æternum atque incommutabile est dubitabisne hunc Deum dicere? [3]omnes *certè* latinæ linguæ scios cùm aures eorum sonus iste, *Deus*, tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque, *id est incommutabilem æternamque* naturam; [4]quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodo sui simile est; quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subjacet tempori, quod aliter nunc se habere quam habebat antea, non potest. [5]Subest enim huic verbo manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ *ista* significatio. Hanc *ergo* nihil aliud quam Deum possumus dicere.

Quid[6] vero illa lex, qua justum est ut omnia sint ordinatissima? potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? *Hanc autem* [7]videmus *omnes* singulis mentibus. [8]Ipsa est sapientia, quæ nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. [9]Quam si non *omnes* viderent nullo modo plena fiducia, vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam quippe regulam veritatis, quâ illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident. Nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles. [10]Nemo est enim tam impudenter insulsus qui dicat : Unde scis incommutabiliter sapientem vitam, mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum ejus, tam claræ, ac præsentis

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 7. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., c. 6. — [3] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 6. — [4] Lib. de Mor. Manich., c. 1. — [5] Ibid. — [6] L. 1, de Lib. arb., cap. 6. — [7] Ibid. — [8] Ibid., lib. 2, c. 10. — [9] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 8. — [10] Ibid., cap. 9.

lucis fulgor infusus. *Sic enim* [1]*et* præsens est *mentibus nostris*, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ ubi hæc immutabilia vera conspiciunt. *Verbi gratia*, [2]studendum est sapientiæ, [3]item juste esse vivendum, et deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda et propria suis quibusque tribuenda; [4] incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili : [5]a corruptione avertendum animum atque ad incorruptionem convertendum esse ; id est, non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse : [6]justum esse ut omnia sint ordinatissima, [7]nullam rem a se posse fieri, *etc.*

Manu *etiam* [8]formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri ne facias alteri. Hoc et antequam Lex daretur nemo ignorare permissus est : ut esset unde judicarentur, et quibus Lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur; et quasi forinsecus admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura : *In cogitationibus enim impii, interrogatio erit.* Ubi *interrogatio*, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt etiam a seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui. [9]*Sed et* illud quidem arripere *possem*, quod in omnium hominum judicio summi Dei legibus natura ipsa constituit. [10]Quivis enim homines, quos modo a communi sensu generis humani nulla disrupisset amentia, quæ vellent ad judicandum studia detulissent, quamlibet imperitiam, quantamcumque etiam tarditatem; velim experiri quid mihi responderent roganti, utrum eis peccasse videretur, de cujus dormientis

[1] Lib. 1, Retract., cap. 4. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., lib. 1, cap. 6. — [7] Lib. de Immort. anim., cap. 8. — [8] In Psalm. 57. — [9] Lib. de Duabus anim. cont. Manich., cap. 9. — [10] Ibid., cap. 10.

manu scripsisset alius aliquid flagitiosum. Omnes quis dubitet ita fuisse negaturos illud esse peccatum, ita reclamaturos, ut etiam succenserent fortasse quod tali eos rogatione dignos putaverim? A quibus ego si peterem, [1] ut me aliud tam manifestum, et in omnium cognitione positum, interrogantem non molestè ferrent; tunc quærerem, si non dormientis, sed scientis manu, qui membris tamen cæteris vinctus atque constrictus esset quisquam valentior aliquid similiter fecisset mali, utrum quia id nosset, quamvis omnino noluisset, ullo peccati nomine teneretur? Hic *etiam* mihi omnes mirantes quod talia sciscitarer, sine cunctatione responderent, nihil etiam istum omninò peccasse. Quid ita? Quia de quo nesciente *quid agat*, vel resistere non valente quisquam quippiam mali fecerit, justè damnari nullo modo potest. *Sic* [2] peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscriptum legit. Nec ulli libri obscuri scrutandi *sunt*, unde *discatur* neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest.

Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum? Horum [3] simile est quod de pœnitendo nunc dicam. Nam inter omnes sanos *id* constat, utile est pœnitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quæ usquequaque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturæ. Neminem stultum rei hujus notitia deseruit. Hoc nobis nisi etiam penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, non se peccare : non autem sibi esse, si peccaverit, pœnitendum. Nulla barbaries hoc dicere audebit. [4] Quisquamne me ista tractantem, posset dicere in rebus obscuris abditisque versari, ubi propter intelligentium paucitatem vel fraudis vel ostentationis suspicio nasci solet? [5] Non me arbitror quicquam obscurum

[1] Lib. de Duabus anim. cont. Manich., cap. 10. — [2] Ibid., cap. 11. — [3] Ibid., cap. 14. — [4] Ibid., cap. 10. — [5] Ibid.

attulisse ; et vereor ne cuiquam magis, quod hæc nimium manifesta sint, videar esse culpandus. [1]Omnia ista luce clariora sunt, neque meæ tantum, sed notitiæ generis humani veritatis ipsius liberalitate donata. [2]Hæc enim in omnibus hominibus, quos interrogare non absurdè possumus, a puero usque ad senem, a ludo litterario usque ad solium sapientis, natura ipsa proclamat. [3]Hoc ubique manifestum est, et non doctrinâ, sed naturâ omnibus promptum. [4]Sed quorsum hæc tendant, consideremus. [5]Idipsum *certè* cur ita *sit*, si in illis omnibus naturam ipsam percontarer humanam, facile pervenirem ad id quod cuperem, isto modo quærens : [6]*Id omne, quæso*, quis negat? Aut quis cùm verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, *id est omninò non cæcatis*, communiter præsto esse videat? [7]Sunt veræ *prorsus* atque incommutabiles istæ regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc sigillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas : [8]nulloque modo negaveris incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem ; quam non possis dicere tuam vel meam, vel cujusquam hominis sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum et publicum lumen, præsto esse ac se præbere communiter. [9]Solus *autem* Deus, solus Creator, sola natura immutabilis, incommutabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia : *quæ* nec cadit, ut minus sit ; perfecta, sempiterna, omni modo immutabilis, sola illa natura. Illam, [10]quod omni humanæ menti est naturaliter insitum, si modo id perversæ opinionis pravitate non turbetur, Dei naturam atque substantiam incommutabilem omnino, omnino incorruptibilem cogitate. [11]*Ipsa est* incommutabilis et divina species, *id est, ipse Deus.* [12]Non enim de nomine agitur, sed de *ipsa re.* [13]Subest enim, ut supra jam monuimus, huic verbo *Deus*, manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio.

[1] Lib. de Duabus anim. cont. Manich., c. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 12. — [9] Serm. 30, de Verbis Ap. — [10] L. 33, contra Faust., c. 9. — [11] L. 2, ad Simplic. quest. 1. — [12] L. 29, contra Faust., c. 3. — [13] Lib. 2, de Mor. Manich., c. 1.

Jam itaque[1] mihi satis est sic scire *Deum*, ut scio *verbi gratia*, *quod*[2] non potest una anima et mori et esse immortalis; non potest homo simul et beatus, et miser esse; non hìc et sol lucet, et nox est; aut vigilamus nunc, aut dormimus; aut corpus est quod mihi videre videor, aut non est corpus. [3]Si nunc amicorum meorum aliquem, qui usque adhuc, illos audiendos putat, *quibus superior illa nostra ratiocinatio non placet*, compellem jure amicitiæ, et ei dicam: Scisne, *verbi gratia*, *quod non potest una anima et mori et esse immortalis*, sine dubitatione se scire jurabit. Si ergo te fecero ita scire *Deum*, desiderabisne amplius? Quid amplius esse posset in hac re desiderandum, respondeat. Bene quidem huc usque. Sed cum ostendere cœpero certas necessariasque rationes, quæ illam propositionem : *non potest*, *absolutè etiam loquendo*, *una anima et mori et esse immortalis*, adamantinis, ut dicitur, catenis innexæ consequuntur, remque totam ad conclusionem, qua *Dei existentia*, *respectu etiam nostri*, *per se nota esse demonstratur*, perduxero; negabit se forsitan scire *propositionis seu veritatis illius immutabilitatem absolutam*, quam nemo doctus, nemo indoctus ignorat; et potius se scire contendet, *quod potest absolute*, *una anima et mori et esse immortalis*. [4]Attendite ista, quæso, charissimi : vestra ingenia bene novi. Si mihi nunc vos qualiscumque hominis mentem rationemque conceditis, multo certiora sunt, quam quæ ibi vel videbamur discere, vel magis credere cogebamur, *ubi* [5]vos me *olim* a rerum tam manifestarum consideratione avertisti.

Propinquior[6] certe nobis est qui fecit quam illa quæ facta sunt. *In illo enim vivimus, et movemur et sumus* : istorum autem pleraque remota sunt à mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt : nec idonea est ipsa mens nostra in ipsis rationibus quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis

[1] Lib. 3, contra Acad., cap. 13. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Duab. anim. contra Manich., cap. 14. — [4] Ibid., cap. 15. — [5] Ibid., c. 14. — [6] Lib. 5, de Genes. ad lit., cap. 16.

sensus. Remota quippe sunt à sensibus corporis nostri, quoniam longè sunt, vel interpositis aut appositis aliis, à nostro contuitu tactuque separantur. Ex quo fit, ut major ad illa invenienda sit labor, quam ad illum à quo facta sunt, cum sit incomparabili felicitate præstantius illum ex quantulacumque particula pia mente sentire, quam illa universa comprehendere. Unde rectè culpantur in libro Sapientiæ inquisitores hujus seculi : *Si enim tantum*, inquit, *potuerunt valere, ut possent æstimare seculum, quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt?* Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, et qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.

CAPUT V.

DEUM ESSE PER SE NOTUM ETIAM QUOAD NOS, DEMONSTRATUR SECUNDO, EX INSTINCTU NATURALI, QUO VERAM BEATITUDINEM, SUMMUM BONUM, CUJUS FRUITIONE BEATI ESSE POSSUMUS, PROINDEQUE DEUM IPSUM, OMNES APPETIMUS, QUEM NISI NOTUM APPETI NON POSSE, PRORSUS EVIDENS EST.

Beatè [1] certe omnes vivere volemus. [2] Ex naturali instinctu beatos esse velle inest omnibus. [3] Id unum *omnes* ardentissimo amore appetunt, et propter hoc cætera quæcumque appetunt.

Quomodo [4] *verò* ferventissimè amant omnes quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit? *Quid* ergo? beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? [5] Quomodo ergo amant eam, si nemo potest amare quod nescit? [6] Quapropter quoniam verum est quod omnes homines esse beati volunt; nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit nescit; nec potest nescire quid sit quod velle se scit, sequitur ut omnes beatam vitam sciant. [7] Nonne ipsa beata vita *est*, quam omnes

[1] Lib. de Mor. Eccles., cap. 3. — [2] Serm. 37, de tempore — [3] Lib. 13, de Trinit., cap. 5. — [4] Ibid., cap. 4. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 5. — [7] Lib. 10, Confess., cap. 20.

volunt, et omnino qui nolit eam nemo est? Ubi noverunt eam, qui sic volunt eam? Ubi viderunt ut amarent eam? [1] Neque enim amaremus eam nisi nossemus. Audimus nomen hoc, et rem ipsam omnes nos appetere fatemur. [2] Nota est igitur omnibus, qui una voce si interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione, velle responderent; quod non fieret, nisi res ipsa cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur. [3] Vitam *igitur* beatam habemus in notitia, ideoque amamus eam : *quam nempe* [4] nisi certâ notitiâ nossemus, non tam certa voluntate vellemus. Ipsa [5] *autem* est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, Domine; ipsa est, et non altera. [6] An omnes hoc volunt? Quære ab omnibus utrum malint de veritate quam de falsitate gaudere : tam non dubitant dicere de veritate se malle, quàm non dubitant dicere beatos esse se velle. Beata quippe vita est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te qui veritas es, *Deus illuminatio mea, salus faciei meæ, Deus meus.* Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum qui vellent fallere; qui autèm falli, neminem. Ubi ergo noverunt hanc? [7] Quid *enim*? an dicendum est, etiamsi nihil sit aliud beatè vivere, quam secundum virtutem animi vivere, tamen et qui hoc non vult, beatè vult vivere? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale est enim ac si dicamus : Et qui non vult beatè vivere, beatè vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat? quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beatè velle vivere verum est, et non omnes sic volunt vivere, quomodo solum beatè vivitur. Si [8] *hoc* beatè vivere est; quomodo beatè vivere vult qui hoc non vult? Nonne veriùs dixerimus : Homo iste non vult beatè vivere, quia non vult *ita* vivere, quod solum est beatè vivere.

Deinde [9] in quantum homines appetunt vitam beatam, non errant? [10] Ex naturali enim instinctu beatos esse velle

[1] L. 10, Confess., c. 20 — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 21. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. 22. — [6] Ibid., c. 23. — [7] Lib. 13, de Trinit., c. 4. — [8] Ibid. — [9] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9. — [10] Serm. 37, de temp.

inest omnibus. [1] *Ad hoc* natura compellit, cui summè bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc, [2] naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator. [3] Hoc natura expetit; nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit. [4] Summum *scilicet* bonum, quo cuncta referuntur, quo adepto potest fieri homo beatus. [5] In rebus autem a Deo factis, tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit nisi Deus. [6] Deus est summum bonum. [7] Summum enim bonum id est, quo superius esse non potest. Deus autem bonum, et superius Deo nihil esse potest. [8] Deus *igitur* est nobis summum bonum, [9] propter quod appetenda sunt cætera, ipsum propter seipsum, *ex instinctu etiam naturali.* [10] Neque enim ad aliquid aliud Deus, *ex instinctu etiam naturali*, referendus est. Quoniam omne, quod ad aliud referendum est, inferius est, quàm id ad quod referendum est. [11] Summum *autem* bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus, aut credendus est Deus, si blasphemiis carere cogitamus. [12] Bonum *quidem* hoc et bonum illud : tolle hoc et illud; et vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni; [13] non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. [14] Cum *enim* audis bonum hoc, et bonum illud : [15] si potueris illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum.

Fecisti [16] nos *igitur* ad te *Domine;* et *ideo* inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. [17] *Unde et anima* quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram, versa et reversa in tergum, et in latera et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies : [18] quem *proinde* amat omne quod potest amare, sive sciens sive nesciens. [19] Hanc

[1] Lib. 13 de Trinit., cap. 8. — [2] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 13. — [3] Ibid., lib. 14, cap. 25. — [4] Epist. 56. — [5] Lib. de Nat. boni., cap. 7. — [6] Lib. de Duab. anim., cap. 8. — [7] Ibid. — [8] Lib. de Mor. Eccl., cap. 8. — [9] Lib. 19, de Civit. Dei, c. 1. — [10] Lib. 83, qq., q. 30. — [11] Lib. de Mor. Manich., c. 24. — [12] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [13] Ibid. — [14] Ibid. — [15] Ibid. — [16] Lib. 1, Confess., cap. 1. — [17] Ibid., lib. 6, cap. 16. — [18] Lib. 1, Soliloq., cap. 1. — [19] L. 10, Confess., cap. 23.

enim vitam beatam omnes volunt; hanc vitam, quæ sola beata est omnes volunt; gaudium de veritate omnes volunt. [1] Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem; nec amarent nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum. [2] Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam nisi ubi noverunt etiam veritatem; [3] in qua *nempè* cernitur et tenetur summum bonum; quo [4] assecuto et adepto, beatus quisque fit; quod omnes sine controversia volumus.

Ut [5] *autem* constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes; quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle : ita etiam priusquàm sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam, per quam unusquisque nostrum si interrogetur, velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis, se velle respondet. [6] Nam si eam nullo modo cerneres, nullo modo scires et velle te esse sapientem, et velle debere : quod te negaturum esse non arbitror : [7] Est *autem*, *ut ex dictis patet*, *illa sapientia* Deus : [8] Qui ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare.

CAPUT VI.

HANC ESSE DEI NOTIONEM INSITAM OMNIBUS, UT NIHIL DEUM ESSE CONSENTIANT, NISI QUOD CÆTERIS REBUS OMNIBUS ANTEPONUNT.

Quod [9] ergo dicimus Deus, quid diximus? [10] Omnes latinæ linguæ scios, *ut supra jam monuimus*, cum aures eorum sonus iste *Deus*, tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam

[1] Confess., lib. 10, cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., c. 9. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid., c. 15. — [8] In Psalm. 74. — [9] Tract. 4, in Epist. Joann. — [10] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 6.

quamdam immortalemque naturam. [1]Omnes *enim* certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes, Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. [2]Nam *et* cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios et suspicantur, et vocant, et colunt deos sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Sanè quoniam *homines* diversis moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent; illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur. Aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima videtur, inani suspicione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, si eam cæteris anteponunt. Quòd si unum Deum deorum esse non putant, et potiùs multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos, etiam eos tamen prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus et corporalibus, intelligibilibus etiam, et spiritualibus, omnibus mutabilibus præferunt.

CAPUT VII.

DEUM NON ESSE CORPUS : TUM QUIA CORPORE MELIUS ALIQUID INVENITUR, UT PATET EX ANIMA ; TUM QUIA VERITAS IMMUTABILIS AC ÆTERNA, QUAM DEUM ESSE DIXIMUS, PARTIBUS OMNINO CARET, SEMPERQUE NECESSARIO EST ; QUORUM NULLUM CORPORI COMPETIT.

Constat [3]*autem* naturam corporis inferiore gradu esse quam animi naturam; ac per hoc animum majus bonum esse quam corpus : [4]*Sicque* animam corpoream corpusve

[1] L. 1, de Doct. Christ, cap. 7. — [2] Ibid. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 18. — [4] Lib. 1, de Quant. animæ, cap. 13.

non esse. [1]Porro, si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est ?

Corpus [2]*certe* habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quasque minusque articulatas non persequar, quantulumcumque illud corpusculum sit, habet certè aliam partem dexteram, aliam sinistram ; aliam superiorem, aliam inferiorem ; aut aliam ulteriorem, aliam citeriorem ; aut alias finales, aliam mediam : hæc enim necesse est quamlibet exiguo corpusculo inesse fateamur. [3]Fidenter *autem* dicit *ratio*, *veritatem* in nullas partes dividi posse.

Hoc [4]certè dicit corporum natura videnti : Moles est ; moles minor est in parte quam in toto. [5]Omnia quippe talia majora sunt in majoribus locis, et minora in minoribus locis ; et nihil eorum in aliqua sui parte totum adest ; sed ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. [6]Qui *ergo* didicerit Deum non distendi neque diffundi per locos, neque finitos neque infinitos, quasi in aliqua parte major sit, in aliqua minor, sed totum ubique esse præsentem, sicut veritatem, cujus nemo sobriè dixit partem esse in isto loco et partem in illo, quoniam veritas utique Deus est ; nequaquam eum movebit quicumque sensit quod ipse Deus *corpus* sit : [7]cui *nempe* non membra *sint* per longum et latum, nec cui esse moles sit ; quia moles, *ut jam diximus*, in parte minor est quam in toto suo ; et si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spatio definita, quam per infinitum ; et non est tota ubique, sicut spiritus, sicut Deus. *Sed* [8]et quicquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum et hæc terra, et quæcumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio ; *Veritas autem, seu Deus* non solum nunc *est*, sed etiam semper : *sic enim novimus* [9]justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege justissima Dei omnipotentis, quà formantur mores regionum et dierum pro regionibus et diebus ; cum ipsa ubique ac semper *sit ;* non alibi alia, nec alias aliter.

[1]Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5. — [2]Lib. 2, de Lib. arb., c. 8. — [3]Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 7. — [4]Lib. 10, Confess., cap. 6. — [5]Epist. 28. — [6]Epist. 56. — [7]Lib. 3, Confess., cap. 7. — [8]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [9]Lib. 3, Confess., cap. 7.

CAPUT VIII.

EX DICTIS COLLIGITUR, DEUM NEC ESSE ULLUM EX ELEMENTIS, QUIBUS MUNDUS VISIBILIS CONSTAT ; NEC HOMINIS CORPUS, QUO LONGE EST ANIMA PRÆSTANTIOR.

Quid [1] est *ergo Deus ?* Interrogavi terram, et dixit : Non sum ; et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia animarum vivarum, et responderunt : Non sumus Deus tuus ; quære super nos. Interrogavi auras flabiles, et inquit universus aer cum incolis suis : Fallitur Anaximenes ; non sum Deus. Interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas ; neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt. [2] Respondent et singula quæque elementa clamantia, et ipsis suis operibus suum demonstrantia artificem. Clamat cœlum : Non sum Deus. Nam si Deus essem, nulla me nubilatio obumbrare potuisset, nec tenebræ succederent luci meæ ; sed lux integra, incorrupta, inviolataque mansisset, sicut manet lux illa vera quæ istam lucem temporalem creavit in me, propter te. Clamat et sol : Quid me, homo, colis ut Deum, quem vides ortu, occasuque concludi ? Deus nec ortum habet, nec occasum. [3] Ita luna et stellæ istam similem proferunt vocem : Non vides, inquiunt, ô homo, spatium nos agere nocturnum, excludi luce, nec terminos transgredi constitutos, quos ad solatium quietis tuæ omnipotens artifex terminavit ?

Et [4] dixi omnibus iis, quæ circumstant fores carnis meæ : Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna : Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea ; et responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, et dixi mihi : Tu quis es ? Et respondi : Homo. Et ecce corpus et anima in me mihi præstò sunt ; unum exterius, et alterum interius. Quid horum est unde quærere debui Deum meum, quem jam quæsiveram per corpus à terra usque ad cœlum, quousque

[1] Lib. 10, Confess., cap. 6. — [2] Lib. 3, de Symb. ad Catech., cap. 2. — [3] Ibid. — [4] Lib. 10, Confess., cap. 6.

potui mittere nuntios, radios oculorum meorum? sed melius quod interius. [1] Jam tu melior es, tibi dico, anima; quoniam vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam: quod nullum corpus præstat corpori.

Jam [2] *ergo* superiore disputatione patefactum est, constititque inter nos, naturam corporis inferiore gradu esse quam animi naturam, ac per hoc animum majus bonum esse quam corpus; *sicque* [3] animum corporeum corpusve non esse. [4] Porrò si noster animus corpus non est, quomodo Deus, *ut jam observatum est*, creator animi corpus est?

CAPUT IX.

DEUM, QUIA CORPUS NON EST, SPIRITUM ESSE SEU VITAM, QUÆ NON SOLUM EST ET SENTIT (MENTE NIMIRUM NON CORPORE: CUM HÆC VITA, QUÆ VERITAS EST, OMNIBUS SE FRUI VALENTIBUS COMMUNITER PRÆSTO SIT; NON AUTEM CORPORIS ULLIUS PROPRIA, CUM QUO ANIMAL ALIQUOD CONSTITUAT), SED ETIAM INTELLIGIT: CUM EO, QUOD EST, AUT VIVIT SEU SENTIT TANTUM, PRÆSTANTIUS SIT QUOD SIMUL EST, SENTIT ET INTELLIGIT.

Deus [5] *ergo* spiritus est. Quod enim non est corpus et tamen est, videtur restare ut spiritus *et vita* sit. [6] Nam et Creatoris ipsius vita dicitur et ea summa vita est.

Attendamus jam [7] id quod est et non vivit, et id quod est et vivit neque intelligit, et id quod est et vivit et intelligit. [8] Tria enim hæc duobus etiam nominibus enuntiari possunt, si appellentur corpus et vita: quia et illa, quæ tantum vivit, neque intelligit, qualis est pecorum, et hæc quæ intelligit, sicuti est hominum, rectissimè vita dicitur. [9] Quid in his tribus, *esse*, *vivere*, *intelligere*, tibi videtur excellere? Intelligentia *certè*. Cur *verò* tibi hoc videtur? Quia *nempe* cum tria sint hæc, esse, vivere, intelligere; et lapis est, et pecus vivit, nec tamen lapidem puto vivere, aut pecus intelligere; qui autem intelligit, eum et esse et vivere

[1] Lib. 10, Confess., cap. 6. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 18. — [3] Lib. 8, de Quant. animæ, cap. 13. — [4] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5. — [5] In Psalm. 5. — [6] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 17. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid., cap. 3.

certissimum est ; quare non dubito id excellentius judicare, cui omnia tria insunt, quàm id cui duo vel unum desit. Nam quod vivit utique et est, sed non sequitur ut etiam intelligat : qualem vitam esse pecoris arbitror. Quod autem est, non utique consequens est, ut vivat et intelligat : nam esse cadavera possum fateri, vivere autem nullus dixerit. Jam verò quod non vivit, multò minùs intelligit. Tenemus igitur horum trium duo deesse cadaveri, unum pecori, nihil homini. [1] Tenemus etiam id esse in his tribus præstantius, quod homo cum duobus cæteris non habet, id est, intelligere, quod habentem sequitur et esse et vivere *seu sentire.*

Sed et [2] præposita est nuntiantibus sensibus judex ratio. [3] Ei quippe renuntiant omnes nuntii corporales præsidenti et judicanti *etiam de ipso.* Cum ergo interiores *rationis seu intelligentiæ* oculi, judices sint oculorum exteriorum, isti autem illis quodam officio nuntiandi et ministerio famulentur; multaque illi videant quæ isti non vident, nihil isti videant undè non illi tanquam præsides judicent, quis non illos istis incomparabili estimationi præponit ?

Jam [4] itaque Deus vivit vitâ, quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori ; ubi nullus est intellectus, nullus est sensus : nec talis qualis inest pecori; habet enim vita pecoris sensum quinquepartitum, sed intellectum habet nullum. At illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia; et sentit mente non corpore, quia spiritus est Deus. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus; non enim ex animâ constat et corpore ; *ut vita, quæ Deus est,* [5] corpus habeat extrinsecùs, cui sit interior, ut sit animal, quasi *quis* dixerit, nisi animalis alicujus esset, mentem *ac vitam* esse non posse. Si *enim* mentem *istam* summam sapientiam esse *senserimus, ut re ipsa sentiendum est*, quæ nullius quasi animantis propria est, quia omnibus animis se frui valentibus veritas communiter præsto est, [6] non placet, ut illa mens, quam

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 6. — [3] Ibid. — [4] Lib. 15, de Trinit., c. 5. — [5] Epist. 56. — [6] Ibid.

dicimus Deum, cingatur corpore externo, quo animal esse possit, *sed* aperta simplexque mens *est*, nulla re adjuncta qua sentire possit, id est, nullo corpore adjuncto, per quod sentire possit. [1]Nihil *quidem* verius, quam fugere hoc vim et notionem intelligentiæ Stoicorum et Epicureorum, qui nisi corporalia cogitare non possunt. Hoc enim illis videtur, neminem posse intelligere, et ideo nihil tale esse arbitrantur. Sed quorumdam intelligentiam, quantum homini datum est, non fugit, esse apertam simplicemque sapientiam atque veritatem, quæ nullius animantis sit propria, sed qua communiter omnis, quæ id potest, anima sapiens et verax efficitur. [2]Ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit sentit; [3]idemque sensus, qui intellectus est illi. [4]Sentit enim atque intelligit, *ut jam probatum est ; quandoquidem* vivit et intelligit in homine mens rationalis.

CAPUT X.

DEUM TALE ALIQUID ESSE, QUALE IPSE RATIONALIS ANIMUS EST, SI NIHIL IPSO SIT MELIUS.

Cùm [5] *autem* eam naturam tantum est, nec vivit, nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura quæ non tantum est, sed etiam vivit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum ; et rursus hanc præcedat ea, quæ simul et est, et vivit, et intelligit, sicuti in homine mens rationalis; num arbitraris in nobis, id est, in iis in quibus natura nostra completur, ut homines simus, aliquid inveniri posse præstantius, quàm hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam quâ ipsum corpus animatur atque vegetatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus, et tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet

[1] Epist. 56. — [2] Lib. 15, de Trin., cap. 5. — [3] Ibid. — [4] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 6. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 6.

natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius. Nihil *certè* omnino melius video.

Fortasse [1] *igitur* tale aliquid erit *Deus*, quale ipse homo est? Ita sit sanè, si nihil est homine melius. [2] Si autem invenimus aliquid quod homine sit excellentius, quis dubitaverit homini ad id nitendum esse, ut *inveniatur Deus*, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Quomodo *enim* summum est, si est aliquid melius quò pervenire possimus?

CAPUT XI.

DEUM, CUM ILLUD SIT QUO NIHIL EST SUPERIUS, NON SOLUM ESSE QUID MENTE NOSTRA PRÆSTANTIUS, SED ÆTERNUM QUIDPIAM ET IMMUTABILE, ID EST, IPSAM VERITATEM, QUÆ ET MENTE NOSTRA SUPERIOR, ET OMNINO INCOMMUTABILIS ESSE REPERITUR.

Quid [3] *verò* si aliquid invenire potuerimus, quod non solum esse non dubites, sed etiam ipsa notrâ ratione præstantius? dubitabisne illud quicquid sit, Deum dicere? Non continuò, *inquies*, si quid melius, quam id quod in mea natura optimum est, invenire potuero, Deum esse dixerim. Non enim mihi placet Deum appellare, quo mea ratio est inferior, sed quo nullus est superior. Ita planè; nam ipse huic tuæ rationi dedit, tam de se piè vereque sentire. Sed quæso te, si non inveneris esse aliquid supra nostram rationem, nisi quod æternum atque incommutabile est, dubitabisne hunc Deum dicere? Nam et corpora mutabilia esse cognoscis, et ipsam vitam quâ corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est. Et ipsa ratio, *ut supra jam diximus*, cum modò ad verum pervenire nititur, modo non nititur, et aliquando pervenit, aliquando non pervenit, mutabilis esse profectò convincitur. [4] Quæ si per

[1] Lib. de Moribus Eccles., cap. 3. — [2] Ibid. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 6. — [4] Ibid.

seipsam cernit æternum aliquid et incommutabile, simul et seipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum esse fateatur.

Quæramus [1] igitur quid sit homine melius. [2] Inveniendum *enim* est, si quid animam *rationalem, seu rationem* præcedit ipsam, quod *immutabile sit ac æternum.* [3] Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus seipsam esse meliorem; quæ tamen, cum etiam se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit suprà se incommutabilem veritatem. [4] Ipsa *igitur veritas* Deus est.

CAPUT XII.

SUPERIORUM OMNIUM RATIOCINATIONUM SUMMA, QUIBUS AD INVESTIGANDAM DEI NATURAM, VELUTI PER GRADUS QUOSDAM, MIRA PRORSUS RATIONE ASCENDITUR.

Omnis [5] *ergo*, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, quâ viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum et summè vivere, et cuncta sentire atque intelligere; et mori, corrumpi, mutarique non posse; nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur.

Quis [6] enim *Deum* audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in *sua* natura esse

[1] Lib. de Mor. Eccles., cap. 4. — [2] Ibid., cap 5. — [3] Lib. 85, qq. q. 45. — [4] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 15. — [5] Lib. 15, de Trinit., cap. 4. — [6] Ib., c. 5.

ipsum mortalem, sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum? [1] aut quisquam *ipsum* neget potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum?

Sanè [2] quoniam omnes, qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda et indigna de Deo existimare, qui vitam ipsam cogitant, et quæcumque illis forma occurrerit corporis, eam vitâ vivere, vel non vivere statuunt, et viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præmineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam, quâ vegetatur, intelligunt, eamque illi moli quæ ab illa vegetatur et animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, et si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum; et huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cùm adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere : illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potiùs ipsa Sapientia.

Sic [3] in *visibilium et temporalium* consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper permanentia faciendus. Proximum enim est, attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit : quæ profectò quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscumque moles quanquam istâ visibili luce præfulgeat, si vita caret, magni æstimanda est. Quælibet namque viva substantia cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur. Sed quia irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia : sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutiùs, et cæteris corporis sensibus acriùs corpora attingunt pleræque bestiæ quàm homines; sed judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis

[1] Lib. 15, de Trinit. cap. 5. — [2] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 8. — [3] Lib. de Vera Relig., c. 29.

est; quâ illæ carent, nos excellimus. Jam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quàm illa res est, de qua judicatur. Non solùm autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat : cur in aqua remum infractum oporteat apparere, cum rectus sit, et cur ita per oculos sentire necesse sit, nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.

Itaque[1] si rationalis vita secundùm seipsam judicat, nulla jam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur; tantò autem melius judicat, quantò est peritior, et tantò est peritior, quantò alicujus artis vel disciplinæ, vel sapientiæ, particeps est : ipsius artis natura quærenda est. [2]Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque judicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, et de qua judicare nullo modo potest. [3]Hæc *enim* lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.

Nec[4] jam illud ambigendum est, *ut sæpè monuimus*, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse; et ibi esse primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, et ars omnipotentis artificis.

Ubi *ergo*[5] inveni veritatem, ibi inveni Deum meum ipsam veritatem, *sicque*[6] ubi videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te, *Domine*, *semper* quærere debebam. *Semper enim*, *Domine*, [7] te incorruptibilem, et inviolabilem, et incommunicabilem, totis medullis credebam : quia nesciens unde et quomodo, planè tamen videbam et certus

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 30. — [2] Ibid., cap. 31. — [3] Ibid., cap. 30. — [4] Ibid., cap. 31. — [5] Lib. 10, Confess., cap. 24. — [6] Ibid., lib. 7, cap. 4. — — [7] Ibid., c. 1.

eram, id quod corrumpi potest, deterius esse quàm id quod non potest; et quod violari non potest incunctanter præponebam violabili; et quod nullam patitur mutationem, melius esse quam id quod mutari potest. *Quoniam igitur* [1] inveneram melius esse incorruptibile, quam corruptibile, ideo te, quicquid esses, esse incorruptibilem confitebar. Neque enim ulla anima unquam potuit, poteritve cogitare aliquid quod sit te melius, qui summum et optimum bonum es. Cum autem verissimè atque certissimè incorruptibile corruptibili præponatur, sicut *semper* ego præponebam, poteram jam cogitatione aliquid attingere, quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Ubi igitur videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te quærere debebam.

CAPUT XIII.

EADEM RATIONE AC METHODO PLATONICOS PHILOSOPHOS DEUM INVENISSE, CÆTERIS OMNIBUS IDCIRCO LONGÈ PRÆFERENDOS.

Sic etiam [2] viderunt *Platonici* Philosophi, quos cæteris non immeritò famà atque gloriâ prælatos videmus, nullum corpus esse Deum : et ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum. Viderunt quicquid mutabile est, non esse summum Deum; et ideo omnem animam mutabilesque spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. [3] Consideraverunt enim, quicquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse, quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem speciem sensibili prætulerunt. [4] Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus judicet. Quod profectò non posset, nisi melior in illo esset hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio

[1] Lib. 7, Confess., cap. 4. — [2] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

vel loci, vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio meliùs de specie sensibili judicaret : melius ingeniosior quàm tardior, meliùs peritior quàm imperitior, meliùs exercitatior quàm minus exercitatus, et idem ipse unus cùm proficit, meliùs utique postea quàm priùs. Quod autem recipit majus et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem ubi mutabilis esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset et incommutabilis (*species*), et ideo nec comparabilis : atque ibi esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, ipse manifestavit eis, cum ab eis invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt intellecta conspecta sunt; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : a quo etiam visibilia et temporalia cuncta creata sunt.

Alii [1] *ergo* Philosophi qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis et tanti Dei cognitoribus viris, ut Thales in humore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc est minutissimis corpusculis, quæ nec dividi, nec sentiri queunt, et quicumque alii, quorum enumerationi immorari non est necesse, sive simplicia, sive conjuncta corpora, sive vita carentia, sive viventia, sed tamen corpora, causam principiumque rerum esse dixerunt. Nam quidam eorum à rebus non vivis res vivas fieri posse crediderunt, sicut Epicurei. Quidam verò à vivente quidem et viventia et non viventia, sed tamen à corpore corpora. Nam Stoici ignem, id est, corpus unum ex his quatuor elementis, quibus visibilis mundus hic constat et viventem, et sapientem, et ipsius mundi fabricatorem atque omnium quæ in eo sunt, eumque omnino ignem Deum esse putaverunt. Hi et cæteri similes eorum, id solum cogitare potuerunt, quod cum eis

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5.

corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt. In se quippe habebant, quod non videbant, et apud se imaginabantur, quod foris viderant, etiam quando non videbant, sed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conspectu talis cogitationis jam non est corpus, sed similitudo corporis. Illud autem unde videtur in animo hæc similitudo corporis, nec corpus est, nec similitudo corporis; et unde videtur, atque utrum pulchra, an deformis sit judicatur, profectò est melius quàm ipsa quæ judicatur. Hæc mens hominis et ipsa rationalis animæ natura est, quæ utique corpus non est ; si jam illa corporis similitudo, cum in animo cogitantis aspicitur atque judicatur, nec ipsa corpus est. Non est ergo nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis : quibus quatuor corporibus, quæ dicuntur quatuor elementa, mundum corporeum videmus esse compactum. Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? Cedant ergo et isti, ut dictum est Platonicis : cedant et illi, quos quidem puduit dicere Deum corpus esse, verumtamen ejusdem naturæ, cujus ille est, animos nostros esse putaverunt. Ita non eos movit tanta mutabilitas animæ, quam Dei naturæ tribuere nefas est. Sed dicunt : Corpore mutatur animæ natura ; nam per seipsam incommutabilis est. Poterant isti dicere : Corpore aliquo vulneratur caro ; nam per seipsam invulnerabilis est. Prorsus quod mutari non potest, nulla re potest : ac per hoc quod corpore mutari potest, aliqua re potest : et ideo incommutabile rectè dici non potest. [1] Debet autem *anima* Creatorem suum credere sicuti est, inviolabili et incommutabili semper manere natura veritatis et sapientiæ : *quia nempe* [2] quod nullam patitur mutationem, melius est quam id quod mutari potest ; [3] et superius Deo nihil esse potest ; *ut suprà jam sæpe monuimus.*

[1] Lib. de Mor. Eccles., cap. 12. — [2] Lib. 7, Confess., c. 1. — [3] Lib. 2, de Duab. anim., cap. 8.

CAPUT XIV.

DEUM ESSE SUMMUM BONUM, IPSUM BONUM, BONUM OMNIS BONI, IN QUO, TANQUAM IN CAUSA, OMNES PLANÈ CREATURARUM OMNIUM PERFECTIONES, NON QUIDEM FORMALITER, SED EMINENTER, CONTINENTUR : IDEOQUE ET UNICUM ESSE, CUM CLARUM SIT, SUMMUM BONUM, SEU BONUM, QUOD OMNIA PLANÈ BONA COMPLECTITUR, ESSE UNUM.

Summum [1] *autem* bonum id est, quo superius esse non potest. [2] Summum *itaque* bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus, aut credendus est Deus.

Sic [3] *enim cogitandus* est Deus, non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. [4] Bona *quidem* est terra altitudine montium et temperamento collium et planitie camporum, et bonum prædium amœnum ac fertile, et bona domus paribus membris disposita, et ampla, et lucida, et bona animalia, animata corpora, et bonus aer modestus et salubris, et bonus cibus suavis atque aptus valetudini, et bona valetudo sine doloribus et lassitudine, et bona facies hominis dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata, et bonus animus amici consensionis dulcedine et amoris fide, et bonus vir justus, bonæ divitiæ, quia facilè expediunt, et bonum cœlum cum sole et luna et stellis suis, et boni Angeli sancta obedientia, et bona locutio suaviter docens, et congruenter monens auditorem. Et bonum carmen, canorum numeris, et sententiis grave. Quid plura et plura? Bonum hoc et bonum illud. Tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.

Deus [5] *enim* omnia tibi totum est; si esuris, panis tibi est; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris es, lumen tibi est; si nudus es, immortalis vestis tibi est. Omnia possunt dici de Deo et nihil dignè dicitur de eo [6] in quo sunt

[1] L. 2, de Duab. anim., c. 8. — [2] Lib. de Mor. Manich., c. 11. — [3] Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [4] Ibid. — [5] Tract. 13, in Joann. — [6] L. 2, de Genesi ad litt., cap. 6.

omnia, quæ creantur, etiam antequam creentur : [1] cum illo enim erant omnia futura ; et cum illo sunt omnia præterita : futura ita, ut non ei detrahantur omnia præterita. [2] *Et species agri mecum est.* Pulchritudo agri, ubertas omnium in terra gignentium, *mecum est*, inquit. *Omnia quippe*, [3] quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. [4] Hæc *igitur* omnia, priusquam fierent erant *in ipsa essentia* facientis. Et utique ibi meliora, ubi veriora, ubi æterna et incommutabilia. [5] Quod factum est, jam vita erat in *Deo*, et vita non qualiscumque, [6] sed vita erat lux hominum. [7] In illo erat, non sicut creatura quam fecit, sed sicut vita et lux hominum, quod est ipsa Sapientia, et ipsum Verbum unigenitus Dei Filius. [8] *Unde et* aliter in illo sunt ea, quæ per illum facta sunt, quia regit et continet ea ; aliter autem in illo sunt ea quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est, ut ipse sit. [9] Aliter hìc, aliter ibi : aliter in propria natura in qua facta sunt ; aliter in arte per quam facta sunt. [10] *Atque ita* Christus (*scilicet ut Deus est*) non sic dicitur lux, quomodo dicitur, *verbi gratia*, lapis ; sed illud propriè, hoc utique figuratè. [11] *Nam* de Deo aliquid *crebrò* dicitur, quod ei ad proprietatem locutionis non convenire, præsidens mentibus nostris ipsa veritas clamat. *Vivit enim*, [12] nihil eorum quæ fecit existens, et omnia primitus habens, sicut ipse est : [13] *Ita quippe* bonum *est* omnis boni, et ipsum bonum. *Deus enim* [14] non est aliud aliquid quàm ipsum bonum ; ac per hoc etiam summum bonum.

An *verò* [15] dubitas summum bonum, quidquid illud est, unum esse ? [16] summum *dico* bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit : *quod proindè omnia prorsus bona complectatur.* [17] *Porrò* si summum bonum om-

[1] In Psalm. 49. — [2] Ibid. — [3] Tract. 104, in Joann. — [4] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 15. — [5] Ibid., cap. 14. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid., lib. 2, cap. 6. — [9] In Psalm. 61. — [10] Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 28. — [11] Ibid., lib. 5, c. 19. — [12] Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [13] Ibid. — [14] Ibid. — [15] Lib. 2, de Lib. arb., c. 9. — [16] Lib. de Mor. Manich., cap. 11. — [17] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9.

nibus unum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur et tenetur, *id est, sapientiam seu naturam divinam*, omnibus unam esse. [1]Summum *enim* bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus aut credendus est Deus, *ut sanè jam dictum est.*

CAPUT XV.

DIVINAM ESSENTIAM ESSE SUMMÈ SIMPLICEM, QUONIAM HOC OMNE QUOD HABET, IPSA EST : SICUT È CONTRARIO QUAMLIBET NON SOLUM CORPOREAM, SED ETIAM INTELLECTUALEM CREATURAM, NON SIMPLICEM SED MULTIPLICEM ESSE DEMONSTRATUR.

Verè [2]*etiam* ibi est summè simplex essentia : *quamvis* [3] Deus multipliciter dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus et quicquid aliud non indignè dici videtur.

Si [4]autem quæritur quomodo simplex et multiplex sit illa substantia; animadvertenda est primò creatura quare sit multiplex, nullo autem modo verè simplex. Et prius corpus universum utique partibus constat : ita ut sit ibi alia pars major, alia minor, et majus sit universum quàm pars quælibet, aut quantalibet. Nam et cœlum et terra partes sunt universæ mundanæ molis : sed et sola terra, et solum cœlum innumerabilibus partibus constat, et in tertia sui parte minor est quam in cætera, et in dimidia minor quam in tota ; et totum mundi corpus quod duabus plerumque partibus appellari solet, id est, cœlum et terra, utique majus est quàm solum cœlum aut sola terra. Et in unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim et diminutâ magnitudine manere idem color et eadem figura, et colore mutato manere eadem figura, et eadem magnitudo, et figurâ eàdem non manente, tam magnum esse et eodem modo coloratum. Et quæcumque alia simul dicuntur de corpore, possunt et simul et plura sine cæteris commutari. Ac per hoc multiplex esse

[1] Lib. de Mor. Manich. — [2] Lib. 7, de Trinit., c. 2. — [3] Ibid., lib. 6, c. 7. — [4] Ibid., cap. 6.

convincitur natura corporis, simplex autem nullo modo. Creatura quoque spiritualis, sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior; sine comparatione autem corporis multiplex est, etiam ipsa non simplex. Nam ideò simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, et in toto tota est, et in qualibet ejus parte tota est. Et ideò cum fit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen etiam in anima cùm aliud sit artificiosum esse, aliud inertem aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia, possintque et alia sine aliis, et alia magis, alia minus, innumerabilia, et innumerabiliter in animæ natura inveniri; manifestum est non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est; omnis autem creatura mutabilis.

Deus vero multipliciter quidem, sicut *jam dictum est superius*, dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute. Et eadem bonitas quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. [1] Non *igitur* alio magnus, alio Deus; sed eo magnus, quo Deus; quia non aliud illi est magnum esse, aliud Deum esse. [2] Quis *etiam* audeat dicere, aliud in Patre intelligi esse, aliud sapientem esse, ut non hoc ipso sit quo sapiens est? quod de anima intelligi solet, quæ aliàs insipiens est, aliàs sapiens, velut natura mutabilis et non summè perfectèque simplex. [3] Hoc *sanè* est ibi esse, quod sapere. [4] Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia est quæ essentia; [5] quod enim est sapientiæ sapere, et potentiæ posse, et æternitati æternam esse, justitiæ justam esse, magnitudini magnum esse; hoc est essentiæ ipsum esse.

[1] Ibid., lib. 7, c. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

Ibi[1] est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse, sed idem est esse et vivere; et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere, et aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia.

Est[2] itaque bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. [3]Sed ideo simplex dicitur, quod qui habet hoc sit quod habet: [4]propter hoc quippe dicitur natura simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit habens, aliud quod habet; sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem sive fervorem, aut anima sapientiam. Nihil enim horum est id quod habet, *ut jam alibi probatum est.* [5]Sed etsi sit corpus incorruptibile, quale sanctis in resurrectione promittitur, habet quidem ipsius incorruptionis inamissibilem (*ex libero scilicet Dei decreto, non tamen simpliciter et absolutè*) qualitatem, sed manente substantia corporali non hoc est, quod ipsa incorruptio. [6]Et ideo etiam sic non hoc est quod habet. Anima quoque ipsa, etiamsi semper sit sapiens, sicut erit cùm a præsenti miseria liberabitur in æternum, *licet tunc sapiens sit in æternum* ; participatione tamen incommutabilis sapientiæ sapiens erit, quæ non est quod ipsa. Neque enim si aer infusa luce nunquam deseratur, ideo non aliud est ipse, aliud lux qua illuminatur.

Secundum[7] hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia; nec aliorum participatione vel divina, vel sapientia, vel beata sunt. [8]Sicut *enim* absurdum est dicere candidum non esse candorem : sic absurdum est dicere *per se* sapientem non esse sapientiam. [9]Sapientia *certè* sapiens est, et seipsa sapiens est. [10]Quod si *non* hoc est *Deo* esse quod sapere, non ibi erit jam summa simplicitas. Sed absit ut ita sit: quia verè ibi est summè simplex essentia; hoc ergo est ibi esse quod sapere.

Verùm et summam istam simplicitatem, iterum accuratius

[1]Lib. 6, de Trinit., c. 10. — [2]Lib. 11, de Civit. Dei, c. 10. — [3]Lib. de Trinit., cap. 14. — [4]Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]Ibid. — [8]Lib. 7, de Trinit., cap. 1. — [9]Ibid. — [10]Ibid.

attendamus. [1]Quis, *quæso*, Deum audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem vel intelligentem, [2]aut esse mortalem sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum? aut quisquam neget potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, batissimum? [3]Redigamus *jam* hæc plurima ad aliquam paucitatem. Quæ enim vita dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque Deus vivit nisi vita quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis qualis inest pecori : habet enim vita pecoris sensum quinquepartitum, sed intellectum habet nullum : at illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia ; et, sentit mente non corpore, quia spiritus est Deus. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus. Non enim ex anima constat et corpore : ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit, sentit; sicut sentit, intelligit : idemque sensus qui intellectus est illi. Nec ita ut aliquando esse desistat aut cœperit : immortalis est enim. Nec frustra de illo dictum est, quod *solus habeat immortalitatem* : nam immortalitas ejus verè immortalitas est, in cujus natura nulla est commutatio. Ipsa est etiam vera æternitas quâ est immutabilis Deus, sine initio, sine fine ; consequenter et incorruptibilis. Una ergo eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis : itemque cum dicitur, vivens et intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percipit sapientiam quâ sit sapiens, sed ipse sapientia est. Et hæc vita, eademque virtus sive potentia eademque species, quâ potens, atque speciosus dicitur. Quid enim potentius et speciosius sapientiâ, *quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter?* Bonitas etiam, atque justitia, numquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tanquam duæ diversæ sint qualitates Dei ; una, bonitas; alia, justitia? Non utique. Sed quæ justitia, ipsa bonitas ; et quæ bonitas, ipsa beatitudo. Incorporalis autem vel incorporeus ideò dicitur

[1]Lib. 15, de Trinit., cap. 5. — [2]Ibid. — [3]Ibid.

Deus, ut spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus. Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus; horum omnium novissimum quod posui quasi tantummodo videtur significare substantiam, cætera verò hujus substantiæ qualitates; sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura. Quicquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cætera quæ commemoravimus, unde in superioribus multa jam diximus.

Redigimus[1] quidem illa duodecim in istam paucitatem trium; sed eo modo forsitan possumus et hæc tria in unum aliquod horum. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia et potentia, aut vita et sapientia; cur non una eademque res esse possit in Dei natura, æternitas et sapientia, aut beatitudo et sapientia? Ac per hoc sicut nihil intererat utrum illa duodecim, an ista tria diceremus, quando illa multa in istam redegimus paucitatem; ita nihil interest utrum tria ista dicamus, an illud unum in cujus singularitatem duo cætera similiter redigi posse monstravimus.

CAPUT XVI.

QUAMVIS ATTRIBUTA DIVINA RES PRORSUS UNA SINT, EORUM TAMEN DIVERSA ESSE NOMINA: QUATENUS SCILICET EX PARTE EORUM, QUÆ SUNT EXTRA DEUM, DIVERSUM ALIQUID SIGNIFICANT.

Vita[2] *igitur, verbi gratia*, sapientia, potentia, species *in Deo* nomina quatuor, res autem una est. *Sic etiam*[3] una quædam eademque res est *in Deo sapientia et numerus.* Verumtamen, quoniam nihilominus in divinis Libris de sapientia dicitur, quod *attingit a fine ad finem fortiter et*

[1] Lib. 15, de Trinit., c. 6. — [2] Ibid., cap. 5. — [3] Lib. 2, de Lib. arb., c. 11.

disponit omnia suaviter, eâ potentiâ, quâ *fortiter a fine usque ad finem attingit*, numerus fortasse dicitur : eâ vero qua *disponit omnia suaviter*, sapientia propriè jam vocatur ; cum sit utrumque unius ejusdemque sapientiæ. [1] *Similiter* ad misericordiam pertinet quod a peccatis mundat et de miseria liberat : ad bonitatem vero, quod cœlum et terram, et omnia valdè bona creavit ut essent ; misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet, [2] omnia *enim* indigent domino et miseria et felicia. [3] Sine illo miseri non sublevantur, sine illo felix non regitur.

CAPUT XVII.

QUOMODO SPIRITUS SAPIENTIÆ IN SCRIPTURIS SANCTIS DICTUS SIT MULTIPLEX.

Cæterum [4] dictus est in Scripturis sanctis Spiritus sapientiæ multiplex, eo quod multa in se habeat : sed quæ habet, hæc et est, et ea omnia unus est. Neque enim multæ, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt ; *de quibus rationibus inferius.*

Numeros [5] *etiam* infinitos esse, certissimum est : quoniam quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens in ipsa ratione atque scientia numerorum, non solum duplicari, verùm etiam multiplicari potest. *Sed quamvis* [6] omnes infiniti sint, *Dei tamen* [7] sapientia simpliciter multiplex, et uniformiter multiformis, incomprehensibili comprehensione omnia ista incomprehensibilia comprehendit, [8] plena omnium rationum viventium, incommutabilium ; *quæ* omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum.

[1] In Psalm. 32. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [5] Ibid., lib. 12, cap. 18. — [6] Ibid. — [7] Idid. — [8] Lib. 6, de Trinit., c. 10.

CAPUT XVIII.

DEUM NON IDEO NON SIMPLICEM ESSE QUIA TRINITAS EST : CUM NEC IPSA TRINITAS DEO TOLLAT QUOD IPSE SIT HOC OMNE QUOD HABET, EXCEPTO QUOD RELATIVÈ QUÆQUE PERSONA AD ALTERAM DICITUR, NEC IN EA TRINITATE MAJUS ALIQUID SINT DUÆ AUT TRES PERSONÆ QUAM UNA : UNDE NEC DEUM QUONIAM TRINITAS EST, IDEO TRIPLICEM PUTANDUM ESSE DEMONSTRATUR.

Quod [1] enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est : et hoc est quod illud de quo genitum est ; quæ duo Patrem et Filium dicimus ; et utrumque hoc cum Spiritu suo unus est Deus : qui Spiritus Patris et Filii, Spiritus sanctus proprià quâdam notione hujus nominis in sacris Litteris nuncupatur. Alius est autem quàm Pater et Filius, quia nec Pater est, nec Filius : sed Alius dixi, non Aliud : quia et hoc pariter simplex pariterque bonum est incommutabile et coæternum. Et hæc Trinitas unus est Deus : nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus. Aut verò sola est ista nominis Trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani hæretici putaverunt. Sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quòd relativè quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius : et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater.

Dicimus [2] *certè* non esse in hac Trinitate majus aliquid duas aut tres personas quàm unam earum ; quod non capit consuetudo carnalis, non ob aliud, nisi quia vera quæ creata sunt, sentit, ut potest ; veritatem autem ipsam quà creta sunt, non potest intueri. Nam si posset, nullo modo esset lux ista corporea manifestior quàm hoc quod diximus. In substantia quippe veritatis, quoniam sola verè est, non est major aliqua, nisi quæ verius est. Quicquid autem

[1] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [2] Lib. 8, de Trinit., cap. 1.

intelligibile atque incommutabile est, non aliud alio verius est; quia æquè incommutabiliter æternum est. Nec quod ibi magnum dicitur, aliunde magnum est, quàm eo quo verè est. Quapropter ubi magnitudo ipsa veritas est, quicquid plus habet magnitudinis, necesse est ut plus habeat veritatis. Quicquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis. Porrò, quicquid plus habet veritatis, profectò verius est, sicut majus est quod plus habet magnitudinis : hoc ergo ibi est majus quod verius. Non autem verius est Pater et Filius simul, quàm singulus Pater, aut singulus Filius. Non igitur majus aliquid utrumque simul, quàm singulum eorum. Et quoniam æquè vere est etiam Spiritus sanctus, nec Pater et Filius simul, majus aliquid est quàm ipse, quia nec verius est. Pater quoque et Spiritus sanctus simul, quoniam veritate non superant Filium, non enim veriùs sunt, nec magnitudine superant. Atque ita Filius et Spiritus sanctus simul tam magnum aliquid sunt, quàm Pater solus, quia tam verè sunt. Sic et ipsa Trinitas tam magnum est, quàm unaquæque ibi persona. Non enim ibi major est, quæ verior non est, ubi est ipsa veritas magnitudo. Quia in essentia veritatis, hoc est verum esse quod est esse ; et hoc est esse quod est magnum esse : hoc est ergo magnum esse, quod verum esse. Quod igitur ibi æquè verum est : etiam æquè magnum sit necesse est.

In corporibus autem fieri potest, ut æquè verum sit hoc aurum atque illud, sed majus hoc sit quàm illud, quia non eadem ibi est magnitudo quæ veritas. Aliudque illi est aurum esse, aliud magnum esse. Sic et in animi natura, secundum quod dicitur magnus animus, non secundum hoc dicitur verus animus. Animum enim verum habet etiam qui non est magnanimus, quandoquidem corporis et animi essentia, non est ipsius veritatis essentia, sicut est Trinitas Deus unus, solus, magnus, verus, verax, veritas. Quem si cogitare conamur, quantum sinit et donat, nullus cogitetur per locorum spatia contactus aut complexus, quasi trium corporum ; nulla compago juncturæ, sicut tricorporem Geryonem fabulæ ferunt : sed quicquid animo tale occurrerit, ut majus sit in tribus quàm in singulis, minusque in

uno quam in duobus sine ulla dubitatione respuatur. Ita enim respuitur omne corporeum. In spiritualibus autem omne mutabile quod occurrerit, non putetur Deus.

CAPUT XIX.

DEUM UBIQUE PRÆSENTEM ESSE; NON TAMEN LOCALITER, SEU DIFFUSIONE LOCALI AUT QUASI CONTINEATUR LOCO; QUIA TOTUS EST IN SINGULIS LOCIS; NEC EIS INDIGET, TANQUAM SINE EIS ESSE NON POSSIT : QUOD QUIDEM EX ÆTERNÆ VERITATIS UBIQUE PRÆSENTIS IMMENSITATE, MIRUM IN MODUM, ILLUSTRATUR.

Est[1] *etiam* Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetam : *Cœlum et terram ego impleo;* [2]eique dicitur in quodam Psalmo : *Quò abibo a spiritu tuo, et a facie tua quò fugiam? si ascendero in cœlum, tu ibi es : si descendero in infernum, ades* : quia substantialiter Deus ubique diffusus, [3]Quanquam in eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens à corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur; omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto. [4]Non sic est Deus per cuncta diffusus, [5]per spatia locorum, quasi mole diffusa : ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidius, atque ita per totum totus : sed in solo cœlo totus, et in sola terra totus, et in cœlo et in terra totus, et nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus. [6]Nullo loco est, et ubique est. [7]Neque enim est in ejus substantia, qua Deus est, quod brevius sit in parte quam in toto, sicut necesse est esse de iis quæ in locis sunt. [8]Non *itaque* sic Deus dicitur implere mundum velut aqua, velut aer, velut ipsa lux, ut minore sui parte minorem mundi impleat partem et majore majorem. Novit ubique totus esse et nullo contineri loco.

[1]Epist. 57. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Ib. — [5]Ib. — [6]Serm. 44, de Diversis. — [7]Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 19. — [8]Epist. 3.

Porro [1] autem quod parum distinctè putavimus posse intelligi, cum diceremus Deum esse ubique totum, nisi adderemus, in seipso, video diligentius exponendum. [2]Non enim negligenter intuendum est quod diximus in seipso esse ubique totum. [3]Quomodo *igitur* ubique, si in seipso? Ubique scilicet, quia nusquam est absens; in seipso autem, quia non continetur ab eis, quibus est præsens : tanquam sine eis esse non possit. [4]Ita totus in seipso est. Nec in quibus est, ita est, ut indigeat eis, tanquam non possit esse, nisi in eis. [5]Non enim vasa, quæ te plena sunt, stabilem te, Domine, faciunt : quia etsi frangantur non effunderis : et cum effunderis super nos, non tu jaces, sed erigis nos, nec tu dispergeris, sed colligis nos. [6]Nec igitur spatio aereo tanquam loco suo Deus indiget, ubi præsentibus præsto sit; sed æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus. [7]Hi autem ab eo longe esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt ([8] *hi enim* inveniunt longe *se* esse a *Deo* in regione dissimilitudinis); [9]et hi ei propinquare, qui ejus similitudinem piè vivendo recipiunt; sicut rectè dicuntur oculi tantò esse ab hac luce longiùs, quantò fuerint cæciores. Quid enim tam longè est a luce quam cæcitas, etiamsi lux præsto sit, atque oculos perfundat extinctos? Propinquare autem luci meritò perhibentur oculi, qui sanitatis accessu aciem recipiendo, lucem recipiunt.

Ideo [10] *verò* ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est; ideo totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, et alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori vero minorem, majorique majorem. Sed non solum universitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus, totus pariter adest. [11]Ubique scilicet adest, quia nusquam est absens; [12]et, *ut modo dicebamus*, æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest et singulis totus.

[1] Epist. 57. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. 1, Confess., cap. 3. — [6] Epist. 57. — [7] Ibid. — [8] Lib. 7, Confess., c. 10. — [9] Epist. 57. — [10] Ib. — [11] Ibid. — [12] Ibid.

Quid? [1]justè esse vivendum et deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum et tam mihi quam tibi, atque omnibus id videntibus præsto esse communiter? [2]Illas tanquam regulas et quædam lumina virtutum et vera et incommutabilia, et sive singula sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis qui hæc valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides certissimumque esse concedis. [3]Quapropter nullo modo negaveris, esse incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem; quam non possis dicere tuam, vel meam, vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum et publicum lumen, præsto esse ac se præbere communiter.

Ubi, [4]*quæso*, videmus eam? si hoc loco esset ubi corpus nostrum est, non eam videret qui hoc modo in Oriente de rebus judicat. Non ergo ista continetur loco; et cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, et per potentiam nusquam non est. [5]De toto mundo ad se conversis, qui diligunt eam, omnibus proxima est.

Ubique[6] est veritas, ubique est sapientia. Intelligit quis in Oriente justitiam; intelligit alius in Occidente justitiam. Numquid alia est justitia, quam ille intelligit, alia quam iste? Separati sunt corpore, et in uno habent acies mentium suarum. Quam video justitiam hìc constitutus, si justitia est, ipsam videt justus nescio quot mansionibus a me carne sejunctus, et in illius justitiæ luce conjunctus.

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 12. — [4] Lib. de Vera Relig., cap. 32. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 24. — [6] Tract. 35, in Evang. Joann.

CAPUT XX.

DEUM, QUAMVIS IN SPATIIS QUIBUSDAM EXTRA MUNDUM INDEFINITIS, QUÆ NONNULLI COGITANT, NON ESSE, DICENDUS SIT; NON TAMEN HOC MUNDO CLAUDI, SED IN SEIPSO ÆTERNA STABILITATE MANENTEM, EXTRA ET ANTÈ HUNC MUNDUM ESSE; SICUT ANTÈ OMNIA TEMPORE, NON QUIDEM IN ALIQUO TEMPORE, SED IN SUA ÆTERNITATE, SEMPER FUIT.

An[1] verò, *Domine*, cœlum et terra, quæ fecisti, et in quibus me fecisti, capiunt te? [2]Capiuntne ergo te cœlum et terra, quoniam tu imples ea? An imples et restat, quoniam non te capiunt? et quò refundis quidquid impleto cœlo et terra restat ex te? [3]An quia te totum non possunt capere omnia, partem tui capiunt, et eamdem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, majores majora, minores minora capiunt? Ergo est aliqua pars tui major, aliqua minor. An ubique totus es, et res nulla te totum capit?

An[4] *ergo* substantiam Dei, quam isti philosophi, qui cæteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporeâ præsentiâ ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam?

Sed[5] inanes sunt hominum cogitationes, [6]quibus cogitant extra mundum infinita spatia locorum, ubi [7]per interminabilem immensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium *sit Deus;* [8]cum locus nullus sit præter mundum. *Quo etiam* [9]modo inaniter homines spatia temporis ante mundum cogitant : cum nullum sit tempus ante mundum. *Mundo tamen sic* [10]totus est præsens, ut eum non ex toto *mundus* capiat [11]æterna stabilitate in seipso manentem (*ex quo nimirum habet quod, ut supra jam diximus,*

[1]Lib. 1, Confess., c. 2. — [2]Ibid., c. 3. — [3]Ibid. — [4]Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 5. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]Ibid. — [8]Ibid. — [9]Ibid. — [10]Epist. 57. — [11]Ibid.

totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus) [1] nullo claudatur loco : [2] cum sit ipse, nullo locorum vel intervallo, vel spatio, incommutabili æternitate excellentique potentia, et interior omni re, quia in ipso sunt omnia, et exterior omni re, quia ipse est super omnia : *sicut* nullo temporum vel intervallo, vel spatio, incommutabili æternitate et antiquior est omnibus; quia ipse est ante omnia, et novior omnibus; quia idem ipse post omnia.

CAPUT XXI.

DEUM NON POSSE PERCIPI OCULIS CORPOREIS, SICUT NEC ALIO QUOLIBET SENSU CORPOREO, QUI SOLA CORPORA, NON AUTEM SAPIENTIAM, VERITATEM, JUSTITIAM POTEST ATTINGERE.

Deum autem [3] dicimus non posse videri oculis corporeis. Nec latet, sed patet ratio bene intelligentibus, quia perspicuum est Deum corpus non esse, nec aliquid corporeis oculis cerni posse, nisi quod alicujus intervalli interpositione cernatur; id autem non nisi corpus esse, eamque substantiam quæ minor sit in parte quam in toto, quod de Deo credere nefas esse debet, etiam iis qui hoc intelligere nondum valent. *Unde* [4] ostenditur, non rationem latere, sed rationem omnino nullam esse, qua credi debeat, vel possit intelligi, Deum, qui ubique totus est, per spatia locorum corporea mole diffundi, in qua necesse habeat partibus majoribus minoribus que constare, *ut* cerni corporeis oculis possit. [5] Omne quippe, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem. Non ita est Deus invisibilis.

Invisibilibus [6] similis est Deus, [7] non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut *videtur* sapientia, et veritas et

[1] Tract. 36, in Evang. Joann. — [2] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 26. — [3] Epist. 101. — [4] Ibid. — [5] Epist. 6. — [6] Serm. 17, de Verb. Apost. — [7] Lib. de Cat. rud., cap. 26.

sanctitas et justitia et charitas, et si quid aliquid tale dicitur. *Nam et ab ipso Platone persuasum est*, [1]non corporeis oculis sed pura mente veritatem videri : [2]*sicque* esse aliquid quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat ; [3]quod non per oculos corporis *animus* sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum : [4]quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque color aut frigus, aut duritia aut mollitudo.

Quis [5]*igitur* audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri? [6] *Qui dicunt* carni tantum hoc *præstari posse* ut oculis corporeis *videat* Deum, [7]cur solis oculis corporis hoc donum *attribui posse* contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit *carnis* etiam auribus percipi? Et halitus erit Deus, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? Et moles erit, ut possit et tangi? Non, inquiunt. Quid ergo? an illud potest Deus, et hoc non potest. [8]Audiat caro carnalibus ebria cogitationibus : *Spiritus est Deus*, [9] et ideo *ipsum* oculus videre corporis neque nunc potest, neque *post resurrectionem* poterit. [10]Lux enim est mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum ; [11]*sicque* nec Deum possunt oculi carnis conspicere, sed oculi mentis.

CAPUT XXII.

DIVINITATIS PLENITUDINEM A NULLO CREATO INTELLECTU POSSE COMPREHENDI, ID EST, ITA PLENÈ VIDERI, UT NIHIL EJUS LATEAT VIDENTEM, CUM IN EA SINT IMMENSI QUIDAM ATQUE INFINITI RATIONUM INTELLIGIBILIUM THESAURI, QUORUM INFINITAS POTEST QUIDEM PER INFINITAM IDEOQUE DIVINAM, NON TAMEN PER FINITAM CREATURÆ SCIENTIAM COMPREHENDI.

Eam tamen, [12] quæ in Deo habitat, [13] plenitudinem divinitatis, nemo mente aut oculis comprehendit. Aliud est

[1] L. de Vera Relig., c. 3. — [2] Ib. — [3] In Psalm. 41. — [4] Ib. — [5] Epist. 6. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Epist. 112. — [12] Epist. 112. cap. 9. — [13] Ibid.

enim videre, aliud est totum videndo comprehendere ; quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur. Totum autem comprehenditur videndo quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circùmspici possunt : sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui. Exempli gratia duo posui ; quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet. [1] *Quanquam* et corpus oculo comprehendere omnino non potes. Quidquid enim aspicis, non totum aspicis. Cujus hominis faciem vides, dorsum non vides eo tempore quo faciem vides. Et quando dorsum vides, eo tempore faciem non vides. Non sic ergo vides, ut comprehendas : sed quando aspicis aliam partem, quam non videras, nisi memoria tecum faciat ut memineris te vidisse unde recedis, nunquam te dixeris aliquid vel in superficie comprehendisse. Tractas quod vides : versas huc atque illuc, vel ipse circuis ut totum videas. Uno ergo aspectu totum videre non potes. Et quamdiu versas ut videas, partes vides : et contexendo quia vidisti alias partes, videris totum inspicere. Non autem hic oculorum visus, sed memoriæ vivacitas intelligitur. Quid ergo de illo Verbo, fratres, dici potest ? Ecce de corporibus dicimus subjacentibus oculis nostris : Non illa possunt comprehendere aspectu. Quis ergo oculus cordis comprehendit Deum ? Sufficit ut attingat si purus est oculus. [2] Attingere autem aliquantum te mente Deum magna beatitudo est ; comprehendere autem omnino impossibile. [3] In *Deo quippe* sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum. *Nec enim* [4] Deus, ut inquiunt *aliqui*, rerum *duntaxat*, quas fecit, omnium finitarum omnes finitas apud se rationes habet. *Numeros certè* [5] infinitos esse certissimum est, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse non dico uno addito augeri, sed quantumlibet sit magnus, et quamlibet

[1] Serm. 38, de Verbis Domini. — [2] Ibid. — [3] Lib. 11, de Civ. Dei, c. 10. — [4] Ibid., lib. 12, cap. 17. — [5] Ibid., cap. 18.

ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione atque scientia numerorum, non solùm duplicari, verum etiam multiplicari potest. Ita verò suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuicumque alteri possit. Ergo et dispares inter se, atque diversi sunt et singuli quique finiti sunt, et omnes infiniti sunt. [1] Non *ergo* Dei plenitudinem quisquam *creatus*, *ideoque finitus*, *spiritus*, non solùm oculis corporis, sed vel ipsâ mente aliquando comprehendit. *Alias enim* [2] si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, et quod se comprehendit finitum est sibi ; profectò et *ipsa* infinitas *Dei finitæ cognitioni creaturæ* finita est (*quo nihil absurdius*), *sicut* et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. [3] Ita *nempe* nec numeros propter infinitatem nescit omnipotens Deus, et usque ad quamdam summam numerorum scientia Dei pervenit, cæteros ignorat. Quis hoc etiam vel dementissimus dixerit ? [4] Absit ut dubitemus, quod ei notus sit omnis numerus, cujus intelligentiæ, sicut in Psalmo canitur, *non est numerus*. Infinitas *sanè* numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus. [5] Neque ab hac fide, me philosophorum argumenta deterrent, quorum acutissimum illud putatur, quod dicunt, nulla infinita ulla scientia posse comprehendi. [6] Dei quippe sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis, incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit. [7] *Cum verò* dicunt nec Dei scientia quæ infinita sunt posse comprehendi, [8] hinc maximè isti errant, quod mentem divinam omninò immutabilem, cujuslibet infinitatis capacem, et innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de suâ humanâ, mutabili, angustaque metiuntur : [9] *Quæ proinde si Deum* attingit, tactu quodam attingit incorporeo et spirituali, non tamen comprehendit.

[1] Epist. 112, cap. 16. — [2] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 18 — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 17. — [6] Ibid., cap. 18. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 17. — [9] Serm. 38, de Verbis Dom.

[1]De Deo *quippe* loquimur, *id est, de immenso infinitoque bono;* quid mirum si *finitus* non comprehendis? si enim comprehendis, non est Deus; *cum ita non sit ipse infinitus.*

CAPUT XXIII.

IN ESSENTIA DIVINA, QUANTUMVIS SUMMÈ SIMPLICI, ESSE ALIQUID QUOD CONSPICI POSSIT, ALIO NON CONSPECTO : CUM MULTÆ IBI SINT RATIONES INTELLIGIBILES SINGULIS REBUS PROPRIÆ, QUARUM ALIÆ SINE ALIIS POSSUNT INTELLIGI.

Est [2]*igitur* illic quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum *ignoremus.* Et [3] in hac *quidem* vita quantumcumque sciatur *Deus*, incomparabiliter *tamen* longè est amplius quod inde nescitur; *ac per hoc* [4] ex parte cernitur *Deus. Quanquam enim* verè et summè simplex [5]prima et summa vita, plena omnium rationum viventium et incommutabilium, et omnes unum in ea, [6] dictus est *tamen, ut alibi jam observatum est*, in Scripturis sanctis, Spiritus sapientiæ multiplex, eo quod multa in se habeat, *quamvis* quæ habet hoc et est, et ea omnia unus est; neque enim multæ, sed una sapientia est, in qua *tamen* sunt immensi quidam, *ut jam diximus*, atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt, *vel etiam fieri possunt;* [7] *et ita quidem* ut singula propriis sint creata, *vel creari possint*, rationibus; nec eadem ratione homo, qua equus (hoc enim absurdum est existimare). [8]*Sic enim* et in ipsa ratione atque scientia numerorum, [9] *ubi* omnes infiniti sunt, [10] ita suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuicumque alteri possit. [11] *Ibi* et dispares inter se atque diversi sunt, et singuli quique finiti sunt, et omnes infiniti: [12] *quos quidem* nec propter infinitatem nescit

[1] Sermo 38, de Verbis Dom. — [2] Lib. 15, de Trinit., cap. 6. — [3] Lib. 1, Retract., cap. 14. — [4] Ibid. — [5] Lib. 6, de Trinit., cap. 10. — [6] Lib. 11, de Civit. Dei, c. 10. — [7] Lib. 83, qq., q. 46. — [8] Lib. 12, de Civ. Dei, c. 18. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid.

omnipotens Deus, et usque ad quamdam summam numerorum scientia Dei pervenit, cæteros ignorat. [1] Absit *tamen* ut *credamus*, quod *ulli* notus sit omnis numerus, nisi cujus intelligentiæ non est numerus.

CAPUT XXIV.

AB IIS QUI DIVINAM ESSENTIAM CERNUNT NON VIDERI NECESSARIO RATIONES OMNES INTELLIGIBILES, QUÆ IN IPSA EXISTUNT : QUONIAM ALIAS AB IPSIS OMNIA PRORSUS ETIAM POSSIBILIA, IBI COGNOSCERENTUR, CUM TAMEN AB IIS MULTA NESCIRI CONTINGAT.

De [2] primis *autem* illis divinis, incommutabilibus, æternisque rationibus, de quibus *superius*, *sicut* ipsa Dei Sapientia per quam facta sunt omnia, priusquam fierent ea noverat, *sic et multa planè videre possumus etiam possibilia, uti jam ostendimus.* [3] Nec *tamen* idonea est ipsa mens nostra, in ipsis rationibus, quibus *fieri possunt,* ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta, qualiaque sint, etiamsi non ista videamus per corporis sensus. *Multa enim non videre possunt ipsi etiam qui intuitive Deum vident. Ita enim* [4] Apostolo doctori gentium *quamvis* rapto usque ad istam excellentissimam visionem [5] *qua in tertio cœlo* videtur claritas Dei, quamvis *inquam* abrepto Apostolo a carnis sensibus in tertium cœlum et Paradisum, hoc ipsum certè defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ Angelis inest, quod sive in corpore, sive extra corpus esset nesciebat. [7] Ita etiam futura Spiritu Dei revelante Prophetæ, dum hìc viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat : [8] *etiamsi* aliquorum ex eis mentes per Spiritum sanctum ita sublimatæ sint, ut eo visu ea viderent quo et ipsi Angeli vident. [9] *Sic enim aliquando Prophetæ* quæ animo ac mente sentiuntur,

[1] Lib. 12, de Civit. cap. 18. — [2] Lib. 5, de Genesi ad lit., cap. 13. — [3] Ibid., cap. 16 — [4] Lib. 12, de Genesi ad litt , c. 28. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 36. — [7] Lib. de Cura pro mortuis gerenda, c. 15. — [8] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 24. — [9] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 3.

hoc est, invisibilia, quæ a nostro sensu interiore remota sunt, in *ipso* incorporeo Dei lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur. [1] Ita *denique* possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, et quæ necessarium non est eos non nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura Spiritu Dei revelante cognoscere; sicut non omnes homines sed Prophetæ, dum hic viverent, ut *jamjam dictum est*, cognoscebant, nec ipsi omnia; [2] *unde fit ut et* ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis quos per eos certum est adjuvari; an *scilicet* ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conversatione remoti, et tamen generaliter orantibus pro diligentia supplicantium sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, nec quid agant scimus, Deus omnipotens qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces per angelica ministeria usquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda, [3] etsi nesciunt mortui quid agant vivi. [4] Res hæc altior est, quam ut a me possit attingi, et abstrusior quam ut a me valeat perscrutari.

CAPUT XXV.

QUOD SUPERIORI CAPITE DICTUM EST, GRAVIOREM EO DIFFICULTATEM NON PATI QUOD NECESSARIO FATENDUM OMNIBUS, AB ALIIS SCILICET PLUS, AB ALIIS MINUS CAPI POSSE DEUM; QUOD ETIAM FACILÈ SUADERI POTEST TUM EX NOSTRO IN DIVINORUM COGNITIONE PROFECTU, TUM EX INÆQUALITATE VISIONIS QUA DIVINAM ESSENTIAM, SEU BEATI SECUNDUM MERITORUM DIVERSITATEM, SEU DEUS IPSE, QUEM A SE SOLO COMPREHENDI POSSE CONSTAT, MODO SIBI UNI PROPRIO VIDET; TUM DENIQUE EX EO QUOD IN QUIBUS HABITAT, NON ÆQUALITER HABITAT DEUS.

Nec utique id incredibile, si [5] alii plus eum capiunt, alii minus. [6] *Divina certè* ab eis ipsis a quibus bene intelliguntur,

[1] Lib. de Cura pro mortuis gerenda, cap. 15. — [2] Ibid., cap. 16. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Epist. 57. — [6] Tract. 97, in Joann.

ab aliis minus, ab aliis amplius, mentis vivacitate cernuntur. [1] *Ita enim* in ipsâ mente, hoc est, in interiore homine, quodammodo crescitur; non solùm ut ad cibum a lacte transeatur; verum etiam ut amplius atque amplius cibus ipse sumatur ([2] intelligentiâ *nempe* luminosa, quia et ipse cibus intelligibilis lux est), [3] *ut et vos* quanto magis crescitis, tanto magis magisque capiatis; *sicque* Deus, qui semper perfectus est, *quodammodo* crescat in vobis. Quantò enim magis intelligis Deum, et quantò magis capis, videtur in te crescere Deus; ipse autem non crescit, sed semper perfectus est. [4] Lumen ipsum Dei crescit in te velut Deus crescit, qui semper perfectus manet.

Quantum [5] quisque fuerit particeps *Dei*, alius minus, alius amplius, hæc erit diversitas præmiorum pro diversitate meritorum. Hæc erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum; sed tamen omnium in æternitate vivorum et sine fine beatorum.

Sicque [6] pax Dei, sicut ait Apostolus, superat omnem intellectum, *etiam* [7] Angelorum, ut ne ipsos excepisse videatur, qui ait, *omnem intellectum. Sic enim illud* secundum hoc dictum esse debemus accipere, quia pacem Dei, qua ipse Deus pacatus est, sicut novit Deus, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angeli. *Superat omnem intellectum*, non dubium quod præter suum.

Sed et [8] in quibus habitat *Deus*, non æqualiter habitat. Nam unde est illud quod Eliseus poposcit, *ut dupliciter* in *eo fieret Spiritus Dei qui erat in Elia*? Et unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum; *qui* [9] *tamen* in seipso est ubique totus?

[1] Tract. 97, in Joann. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ib. — [5] Tract. 68, in Joann. — [6] Lib. 22, de Civit. Dei, c. 29. — [7] Ibid. — [8] Epist. 57. — [9] Ib.

CAPUT XXVI.

DEUM LICET UBIQUE IN SEIPSO TOTUM, NON SIC TAMEN ESSE TOTUM IN ALIIS, UT AB IIS TOTIES CAPIATUR.

At, [1] *inquies* quomodo verum *jam* supra diximus, quod Deus ubique sit totus, quando in aliis est amplius, in aliis minus? Sed non est negligenter intuendum quod diximus, in seipso esse ubique totum. Non ergo in eis, quia alii plùs eum capiunt, alii minus. Ideò enim ubique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est ; ideò totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, et alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem, sed non solum universitati creaturæ, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. [2] Totus enim in seipso est, nec in quibus est, ita est ut indigeat eis, tanquam non possit esse nisi in eis. Sicut autem nec ab illo abest, in quo non habitat et totus adest, quamvis eum ille non habeat : ita et illi in quo habitat, totus est præsens, quamvis eum non ex toto capiat. Neque enim ad habitandum dividit se per hominum corda seu corpora, aliam sui partem huic tribuens, illi aliam : sicut lux ista per aditus et per fenestras domorum : sed potiùs, si quemlibet sonum, cùm corporea res sit ac transitoria, surdus non capit, surdaster non totum capit, atque in his qui audiunt cùm pariter ei propinquant, tanto magis alius alio capit, quanto est acutioris, tanto autem minus quanto est obtusioris auditus, cùm ille non variè magis minusve insonet, sed in eo loco in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit : quanto excellentiùs Deus itaque natura incorporea et immutabiliter viva, qui non sicut sonus per moras temporum tendi et dividi potest, nec spatio aereo tanquam loco suo indiget, ubi præsentibus præsto sit, sed æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus

[1] Epist. 57. — [2] Ibid.

potest, et singulis totus : quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat.

CAPUT XXVII.

DE IDEIS DIVINIS, QUARUM NOMEN LICET FORTÈ A PLATONE PRIMO FUERIT IMPOSITUM, REM TAMEN IPSAM ANTÈ EUMDEM PLATONEM FUISSE, NEGARI NON DEBET, AUT ETIAM A PRIORIBUS SAPIENTIBUS ESSE INTELLECTAM.

Ideas [1] Plato primus appellasse perhibetur : non tamen si hoc nomen, antequam ipse instituerat, non erat, ideò vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ : sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem : aut istas, quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis gentibus sapientes : quod etiam Plato ipse non solùm peregrinando sapientiæ perficiendæ gratià satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortassè eas nomine vocaverint.

Ideas [2] *autem* latine possumus vel formas vel species dicere : ut verbum è verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Rationes enim græcè λόγοι appellantur, non ideæ : sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, à re ipsa non errabit. [3] Sed de nomine hactenùs dictum sit, rem videamus, quæ maximè consideranda atque noscenda est, in potestate constitutis vocabulis, ut quod volet quisque appellet rem quam cognoverit.

[1] Lib. 83, qq., q. 46. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

CAPUT XXVIII.

IDEAS ESSE PRINCIPALES QUASDAM FORMAS, VEL RATIONES RERUM STABILES ATQUE INCOMMUTABILES : QUAS QUIDEM NEGARE NEMO POTEST, NISI DEUM IRRATIONABILITER, ID EST, NESCIENTEM, OMNIA CONDIDISSE FATEATUR.

Sunt [1] *igitur* ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur, et cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant; secundùm eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit.

Quis [2] autem religiosus et verâ religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imò non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propriâ quâdam naturâ continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concesso, [3] non opinor eum, [4] qui noverit vel inconcussè credat, quod Deus hæc omnia fecerit [5] esse tam excordem ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur. [6] Deus *certè* non aliquid nesciens fecit : quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest. Porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat.

Quis [7] *igitur* audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eadem ratione homo qua equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus.

[1] Lib. 83,, qq. q. 46. — [2] Ibid. — [3] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 15. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] L. 11, de Civ. Dei, c. 18. — [7] Lib. 83, qq., q. 46.

CAPUT XXIX.

IDEAS NON ESSE FORMAS QUASDAM ÆTERNAS EXTRA DEUM, ID EST, A DEO DISTINCTAS; NE FORTÈ DEUS AB ALIO DIDICISSE CREDATUR : SED EXEMPLARIA RERUM IN DIVINA MENTE VIVENTIA; IN QUIBUS SOLUM NON AUTEM IN SEIPSIS, CREATURÆ AB ÆTERNO COGNOSCUNTUR; CUM AB ÆTERNO NON IN SEIPSIS, SED IN DEO SOLO SINT TANQUAM SUMMA VITA, QUÆ DEUS IPSE EST : EA SCILICET RATIONE, QUA SPECIES ARTEFACTI IN ARTIFICIS MENTE CONTINETUR.

Interim peto, [1] has rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsâ mente Creatoris? non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat : hoc opinari sacrilegum est. [2] Nam si extra seipsum ea noverat, quis eum docuerat? Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. [3] Numquid *ergo* Deus ea ipsa, quæ non per corpus, quod est ei nullum; sed per seipsum scit, aliunde ab aliquo didicit; aut nuntiis vel testibus, ut ea sciret, indiguit?

Sed neque [4] potest videri id quod non est. [5] Quod non est non utique doceri, *seu ostendi*, potest. [6] Neque *igitur* cum hæc, *quæ facta sunt*, ita disponerentur, ut haberent mensuras, et numeros et pondera, extra seipsum cernebat ipse disponens, sicut cernimus oculis corpora; quæ utique nondum erant, cum disponerentur ut fierent : *nam*, [7] si erant alicubi, antequam crearetur universa terra, ubi erant? Neque [8] enim ante creaturam erat aliquid nisi Creator.

In [9] ipso ergo erant. Sed quomodo? Nam et ista, quæ creata sunt, in ipso esse legimus. An illa sicut ipse, ista verò sicut in illo, a quo reguntur et gubernantur? *Sed* quomodo illa ipse? In illo erant; [10] non sicut creatura, quam fecit;

[1] Lib. 83, qq., q. 46 — [2] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 13. — [3] Lib. 18, de Trinit., cap. 13. — [4] Lib. 11, Confess., cap. 17. — [5] Ibid., cap. 19. — [6] L. 4, de Genesi ad litt., c. 6. — [7] Ib. — [8] Ib — [9] Ib. — [10] Ib., lib. 5, c. 14.

sed sicut vita et lux hominum, quod est ipsa sapientia et ipsum Verbum unigenitus Dei Filius. Eo modo enim in illo vita est quid factum, quomodo dictum est : *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* [1]Quod factum est, *inquit Joannes apostolus*, in ipso vita erat. Quid est hoc? Facta est terra; sed ipsa terra quæ facta est non est vita. Est autem in ipsa Sapientia spiritaliter ratio quædam, quâ terra facta est; hæc vita est. Quomodo possum, dicam Charitati vestræ. Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam : si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere; numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, et illa manet quæ in arte est : nam potest illa arca putrescere, et iterum ex illa quæ in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est : quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia : hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra. Cœlum vides; est in arte cœlum, solem et lunam vides; sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt; in arte vita sunt. [2]Aliter ergo in illo sunt ea, quæ per illum facta sunt, quia regit et continet ea; aliter autem in illo sunt ea, quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est, ut ipse sit. [3]Aliter hic, aliter ibi, aliter in propria natura, in qua facta sunt, aliter in arte, per quam facta sunt, *ut jam dudum superiùs.*

[1] Tract. 1, in Evang. Joann. — [2] Lib. 2, de Genesi ad litt., cap. 6. — [3] In Psalm. 61.

CAPUT XXX.

EX DICTIS COLLIGITUR CREATURAS DEO PRÆSENTES ESSE AB ÆTERNO, NON QUATENUS SUNT IN PROPRIA NATURA, CUM IN EA NON EXISTANT AB ÆTERNO : SED QUATENUS IN DIVINIS IDEIS EXHIBENTUR ; IN QUIBUS TANTUM COGNOSCI POSSUNT A DEO, NON AUTEM IN SEIPSIS : NE DEUS COGNITIONEM SUAM A REBUS EXTERNIS MUTUETUR.

Proinde[1] antequam fierent, et erant, et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura. [2]Hæc *enim* antequam fierent, utique non erant *in seipsis*. [3]Et utinam sic sciam quidquid utiliter scire cupio, quemadmodum scio, quod nulla erat creatura, antequam fieret ulla creatura. [4]Quæ enim fuissent, *Domine*, quæ abs te condita non essent? [5]Nulla igitur tempora tibi coæterna sunt, *id est*, *æternitati tuæ ab æterno coexistunt*; quia tu permanes : at illa si permanerent, *æternitati scilicet semper præsentia*, non essent tempora. [6]Duo *certè* illa tempora, præteritum et futurum, quomodo sunt, quando et præteritum jam non est, et futurum nondum est? Ex [7] quo enim præteritum est, non est. Postquam *enim* præteriit, simul et *aliquid* esse destitit, quod esse destitit. [8]An verò futurum est *aliquid?* non quidem dicimus, aliquid est quia nondum est : sed dicimus, *aliquid* erit. [9]An et ipsa sunt *illa duo*, sed ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro fit præsens, et in aliquod recedit occultum cum ex præsenti fit præteritum? *Ita certè semper æternitati coexisterent etiam ab æterno. At* [10]scio ubicumque sunt, non ibi ea futura esse, aut præterita ; sed præsentia. Nam si et ibi futura sunt, nondum ibi sunt : si et ibi præterita sunt, jam non ibi sunt. Ubicumque ergo sunt quæcumque sunt, non sunt nisi præsentia.

Quomodo [11] se *itaque* habeat, arcana præsensio futurorum, videri nisi quod est non potest. Quod autem jam est,

[1] Lib. 5, de Genesi ad litt., c. 18. — [2] Ibid. — [3] Lib. 11, Confess., c. 12. — [4] Ibid., cap. 13. — [5] Ibid., cap. 14. — [6] Ibid. — [7] Ibid. c. 15. — [8] Ibid. — [9] Ibid., cap. 17. — [10] Ibid., cap. 18. — [11] Ibid.

non futurum, sed præsens est. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipsa quæ nondum sunt, id est quæ futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur, quæ jam sunt; ideò non futura sed præsentia sunt jam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. Quæ rursus conceptiones jam sunt, et eas præsentes apud se intuentur qui illa prædicunt. Loquatur mihi aliquod exemplum tanta rerum numerositas. Intueor auroram, oriturum solem prænuntio; quod intueor, præsens est; quod prænuntio, futurum. Non sol futurus qui jam est, sed ortus ejus qui nondum est. Tamen etiam ortum ipsum nisi animo imaginarer, sicut modò cùm id loquor, non eum possem prædicere. Sed nec illa aurora quam in cœlo video, solis ortus est, quamvis eum præcedat; nec illa imaginatio in animo meo : quæ duo præsentia cernuntur, ut futurus ille antè dicatur. Futura ergo nondum sunt. Et si nondum sunt, non sunt. Et si non sunt, videri omnino non possunt; sed prædici possunt ex præsentibus, quæ jam sunt et videntur.

Ità[1] de primis illis divinis, incommutabilibus æternisque rationibus, quoniam ipsa Dei sapientia, per quam facta sunt omnia, priusquam fierent ea noverat. *Sic quæ* [2] novit omnia Deus in seipso tanquam seipsum; et in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. [3] In Verbo *enim* illo, per quod fecit omnia, antequam fierent, erant omnia. [4] Vidit Verbum, per quod facta sunt omnia, et in quo simul sunt omnia, non diversa, non separata, non inæqualia [5] Hæc *enim* omnia, priusquam fierent, erant in notitiâ facientis. Et utique ibi meliora, ubi æterna, et incommutabilia. [6] Nam, si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quicquam nisi æternum atque incommutabile potest esse; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato : non solum sunt ideæ, sed ipsæ sunt veræ, quia æternæ sunt; et ejusmodi, atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quicquid est, quoquomodo est.

[1] L. 5, de Gen. ad litt., c. 13. — [2] L. 15, de Trinit., c. 14. — [3] In Psalm. 61. — [4] Ibid. — [5] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 15. — [6] Lib. 83, qq., q. 46.

CAPUT XXXI.

DEUM QUANTUMVIS IN SEIPSO CREATURAS CONSPICIAT, NON EAS TAMEN ITA CERNERE, SICUT ABSENTIA CORPORA, PER EORUM PHANTASIAS SEU IMAGINES, ANIMO CERNIMUS : QUASI NIMIRUM ALIUNDE IPSARUM IDEAS, SICUT NOS CORPORUM IMAGINES, ACCEPERIT : HINCQUE FIERI, UT CREATURÆ INEFFABILI MODO APUD DEUM ESSE DICANTUR ET COGNOSCI QUALES NIMIRUM IN SEIPSIS FORMALITER EXISTUNT ; QUIA SICUT VIDIT EAS, ITA FECIT; NON PRÆTER SEIPSUM, SED IN SEIPSO VIDENS : QUEMADMODUM ET ARTIFEX REM FACIENDAM IN SEIPSO CONTUETUR.

In [1] sapientiâ *igitur increatâ* sunt immensi atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt. *Ac* [2] *per hoc*, si Deus noverat ea, *quæ fecit,* priusquam faceret ea, [3] ubi, nisi apud seipsum, apud quem Verbum erat, per quod facta sunt omnia ?

Nec [4] *tamen* intra seipsum ista cernebat, sicut animo cernimus phantasias corporum, quæ non præsto sunt oculis, sed ea quæ vidimus, vel ex eis quæ videmus imaginando cogitamus; *nam* [5] etiam nos mortales et peccatores, quorum animas aggravant corpora corruptibilia, et quorum sensum multa cogitantem terrena deprimit habitatio, [6] senarii, *verbi gratia*, numeri perfectionem, nec extra nos ipsos cernimus, sicut oculis corpora ; nec ita intra nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias : et visibilium imagines rerum, sed alio quodam longe differenti modo. Quamvis enim se objectent mentis aspectui quasi corpusculorum quædam simulacra, cùm senarii numeri compositio, vel ordo, vel partitio cogitatur : tamen validior et præpotentior desuper ratio non eis annuit, interiusque numeri vim contuetur ; per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse; nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles dividi; et facilius cœlum et terram transire quæ secundum

[1] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [2] Lib. 5, de Genesi ad lit., cap. 15. — [3] Ibid., c. 13. — [4] Ibid., lib. 4, cap. 6. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 7.

senarium numerum fabricata sunt, quàm effici posse ut senarius numerus non suis partibus compleatur. [1] Quo ergo modo ista cernebat *Deus*, ut ita disponeret? quo nisi isto, quo solus potest? *nam* [2] et si corda mundissima et mentes simplicissimas gereremus, sanctisque Angelis jam essemus æquales, non utique nobis ita esset nota divina substantia, sicut ipsa sibi. [3] Tanta *igitur* est notitia Dei, [4] qua noverat quod crearat, et antequam crearet noverat, ut apud ipsum essent quodam ineffabili modo, antequam creata essent. [5] Cum illo *quippe* sunt omnia, cognitione quadam ineffabilis Sapientiæ Dei, in Verbo constituta ; et ipsum Verbum omnia. [6] Profecto *enim* priusquam fierent, apud illum erant, *ut sæpe jam diximus*, eo modo nota, quo sempiternè atque incommutabiliter vivunt, et vita sunt. [7] In qua vita vidit omnia, quando fecit ; et sicut vidit ea, ita fecit : non præter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quæ fecit, [8] *neque enim* illa æterna incommutabilisque natura, quæ Deus est, habens in se ut sit, sicut Moysi dictum est : *Ego sum qui sum ;* longè scilicet aliter quam sunt ista quæ facta sunt : quoniam illud verè ac primitùs est, quod eodem modo semper est, nec solùm non commutatur, sed commutari omnino non potest ; nihil horum quæ fecit existens, et omnia primitùs habens, sicut ipse est. Neque enim ea faceret, nisi ea nosset antequam faceret ; nec nosset nisi videret ; nec videret nisi haberet ; nec haberet, ea quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus.

Dicam plenius, dicam, fratres, ut intelligatis. Faber, [9] ut exemplo utar supra jam adducto, facit arcam. Primò in arte habet arcam ; si enim in arte non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sic ergo, fratres carissimi, Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia.

[1] Lib. 5, de Genesi, cap. 6. — [2] Ibid. — [3] In Psalm. 49. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 5, de Genesi ad litt., cap. 15. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 16. — [9] Tract. 1, in Evang. Joann.

CAPUT XXXII.

CREATURAS A DEO IN SEIPSO VIDERI ; SICQUE DEI SCIENTIAM ; QUA CREATURAS NOVIT, EX EARUM CREATIONE NEC DUPLICATAM FUISSE, NEC ULLA EX PARTE AUCTAM.

Inde est, quòd [1] ipsam creaturam, *ut jam dictum est,* Angeli boni meliùs ibi, hoc est, in Sapientia Dei, tanquam in arte, qua facta est, quam in ea ipsa, sciunt. *Sic enim* [2] factus est *Angelus*, cui utroque modo quæ facta sunt innotescerent, et in Deo et in seipsis : illâ velut matutinâ sive diurnâ cognitione, hâc vero velut vespertinâ. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo, quo ea noverat ut faceret : apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio.

Nec *igitur Deus* [3] aliter ea scivit creata, quam creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis ; sed illis existentibus, sicut oportebat, et quando oportebat, illa mansit ut erat. Ita et scriptum est in libro Ecclesiastico : *Antequam crearentur, omnia nota sunt illi ; sic et postquam consummata sunt. Sic*, inquit, non aliter, et *antequam crearentur, et postquam consummata sunt, sic ei nota sunt.* [4] Tu *enim Domine*, ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda, [5] quoniam in Verbo illo, per quod fecisti omnia, antequam fierent, erant omnia ; et cum facta sunt, ibi sunt omnia ; [6] ibi, *in illa scilicet arte*, novit omnia Deus quæ fecit per ipsam. Et ideo, cum decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo quia facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur.

[1] Lib. 9, de Civit. Dei, cap. 22. — [2] Lib. 5, de Genesi ad litt., c. 18. — [3] Lib. 15, de Trinit., cap. 13. — [4] Lib. 13, Confess., c. 38. — [5] In Psalm. 61. — [6] Lib. 6, de Trinit., c. 10.

CAPUT XXXIII.

NON ESSE PROPRIÈ PRÆSCIENTIAM IN DEO, CUI RES IPSÆ IN IDEIS SEMPER PRÆSENTES SUNT, NEC UNQUAM FUTURÆ ; NE SENTIENDO, CUM PRÆSENTIA SUNT, QUÆ NON SENTIEBANTUR SED PRÆSCIEBANTUR TANTUM ANTEQUAM FIERENT, SCIENTIÆ DEI TEMPORALITER ALIQUID ACCEDAT ; SED SCIENTIAM TANTUM, UNA ATQUE ÆTERNA COGNITIONE CUNCTA COLLUSTRANTEM.

Proinde, [1] cùm liquidiore consideratione *quis* ista pertractans, quæsierit quemadmodùm ipsa præscientia Deo congruat, *inveniet* hujus verbi notionem illius ineffabili divinitate longe lateque superari. [2] Quid est enim præscientia; nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes : ac per hoc non jam præscientia, sed tantùm scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo; bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero verò modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei ; quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit, nosse cùm venerint; nisi bis innotescant, et prænoscendo antequam sint, et cognoscendo cùm jam sunt. Ita fit, ut, quod longè à veritate seclusum est, temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cùm temporalia quæ præsciuntur etiam præsentia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsciebantur. Si verò etiam cùm venerint quæ præsciebantur esse futura, nihil novi accedit scientiæ Dei, sed manebit illa præscientia sicut erat etiam priusquam venirent, quæ præsciebantur ; quomodo jam præscientia dicetur, quando non est rerum futurarum? Jam enim præsentia sunt quæ futura cernebat, et paulò post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsen-

[1] Lib. 2, ad Simplic. q. 2. — [2] Ibid.

tium nullo modo potest dici præscientia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsentibus scientia, quæ eisdem rebus futuris erat præscientia : et cùm ea quæ præscientia erat priùs, posteà scientia fiat in Deo, admittit mutabilitatem et temporalis est; cùm sit Deus, qui verè summeque est, nec ulla ex parte sit mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis. Placet ergo ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam : quæramus et hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus : id est, cùm meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id cum volumus, recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit propriè dici : Intelligit et intellexit, sentit et sensit ; admittit tempus, et subrepit, nihilominus illa mutabilitas quæ longè a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus, et præscit Deus, ineffabili modo. [1]Cumque scientia Dei longè distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur. [2]Nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita, quæ in quotidiana consuetudine versantur et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam. Cùm enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cùm recolimus, ut cernamus, animo quod in contuitu ejus paulò ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus : unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam : cùm ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero sola vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis; imò non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuatur mihi utcumque scientia Dei : quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune : *quoniam*, [3]ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli.

Sed [4]absit ut tu Conditor universitatis, Conditor anima-

[1]Lib. 2, ad Simpl. q. 2. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Lib. 11, Confess., cap. 31.

rum et corporum, absit ut ita noveris omnia futura et præterita. Longè tu, longè mirabilius, longèque secretius. Neque enim sicut nota cantantis, notumve canticum audientis, expectatione vocum futurarum, et memoria præteritarum variatur affectus sensusque distenditur ; ita tibi aliquid accidit incommutabiliter æterno, hoc est, verè æterno Creatori mentium. [1]Nec *enim* ista quæ creata sunt, ex aliquo tempore *Sapientia* tua cognovit, ut nosset ; sed futura omnia temporalia [2]sine initio ante præscivit.

CAPUT XXXIII.

SCIENTIAM, QUA DEUS CREATURAS NON QUIA SUNT IDEO NOVIT, SED CUM POTIUS IDEO SINT QUIA EAS NOVIT, ESSE SCIENTIAM, QUA DEUS NOTA FECIT, NON FACTA COGNOVIT ; SEU QUA CREATURAS, PRIUSQUAM FIERENT, IN RATIONIBUS ÆTERNIS COGNOVIT : QUA QUIDEM SICUT ET ALIA QUALIBET COGNITIONE, POSTERIUS ESSE NON POTEST QUIDQUID PER EAM COGNOSCITUR.

Universas [3]*itaque* creaturas suas, et spirituales et corporales non, quia sunt, ideo novit ; sed ideo sunt quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus, *ut ante jam dictum est.* Quia ergo scivit, creavit ; non quia creavit, scivit. [4]Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset : Deo autem nisi notus esset, esse non posset. [5]Nos enim ista, quæ fecisti, Domine, videmus, quia sunt : tu autem, quia vides ea, sunt. [6] A factis quidem sciri nisi ante facta non possunt ; a te scilicet, ô homo, ab homine in imo facto, et in imo posito. Antequam autem fierent hæc omnia, sciebantur ab illo, a quo facta sunt ; et quod scivit fecit.

Nota [7] ergo fecit, non facta cognovit. Antequam fierent, erant. [8]Non erant *quidem* in natura sua, *sicut jam superius explicatum est* : erant *tamen* in Dei scientia, [9] in quo sunt omnium etiam, quæ temporaliter facta sunt, æternæ ratio-

[1] Lib. 15, de Trinit., c. 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [5] Lib. 13, Confess., cap. 38. — [6] In Psalm. 61. — [7] Lib. 5, de Genesi ad litt., c. 18. — [8] Ibid. — [9] Ibid., lib. 4, c. 24.

nes, tanquam in eo per quod facta sunt. [1]*Sicque* priora sunt in Verbo, per quod facta sunt omnia, quam in iis, quæ facta sunt omnibus. [2]*Alioquin* quomodo Deo nota erant? [3]Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant, *seu supponantur*? [4]Præcedit *certè* cognitione quidquid cognosci potest; nisi prius sit, quod cognoscatur, cognosci non potest.

CAPUT XXXIV.

VOLUNTATES QUOD FACTURÆ SUNT, OMNINO FACTURAS DICI, QUIA IPSAS ID FACTURAS DEUS PRÆSCIVIT; QUONIAM SCILICET IPSIUS PRÆSCIENTIA FALLI NON POTEST: NON QUOD ILLUD VI PRÆSCIENTIÆ FUTURUM SIT, UT EX PECCATO, ET RERUM PRÆTERITARUM MEMORIA POTEST DEMONSTRARI.

Sic autem [5]quod facturæ sunt voluntates omnino facturæ *dicuntur*, quia facturas Deus præscivit, cujus præscientia falli non potest. *Ita enim* [6]non dubitatur hominem peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, ipsum peccaturum esse præscivit. [7]Neque *tamen* ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit. *Homines enim* malos ipse non fecit, etsi malos futuros esse præscivit. [8]Neminem certè Deus ad peccandum cogit, *seu impellit*, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt (*undè et eorum peccata merito vindicat*, cur enim non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius?). Sicut enim nemo memoriâ suâ cogit, *seu facit* facta esse quæ præterreunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ facit meminit, nec tamen omnia quæ meminit facit, ita Deus omnia, quorum ipse auctor est præscit; nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est. [9]Ita fit ut nec Deum aliquid futurorum lateat, nec præsciendo quemquam peccare compellat.

— [1] Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 32.— [2]Ibid., lib. 5, cap. 18. — [3]Ib., lib. 4, c. 32. — [4] Ibid. — [5]Lib. 5, de Civit. Dei, cap. 9. — [6]Ibid., cap. 10. — [7]Ibid. — [8]Epist. 59. — [9]Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 27.

CAPUT XXXV.

IN DEO DARI SCIENTIAM ACTIONUM SEU BONARUM SEU MALARUM SUB ALIQUA DUNTAXAT CONDITIONE FUTURARUM, QUÆ TAMEN NUNQUAM FUTURA EST, QUAMVIS EX HUJUSMODI ACTIONIBUS NEMO JUDICETUR, QUÆ LICET CONDITONATÈ FUTURÆ SINT, NUNQUAM TAMEN ABSOLUTÈ SUNT FUTURÆ.

Aliquos etiam [1] prævidit Deus, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros. [2] Ipse *enim* Dominus, *cum* infidelitatem Judæorum increpans, dicit : *Væ tibi Corozain et Bethsaida*; *quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent*, [3] attestatur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. [4] Numquid *ergo* possumus dicere etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? Imo [5] verò si apud illos facta essent, in cinere et cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis.

Alios quoque, [6] quibus Evangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. [7] Illos nec verbis, nec miraculis suis, credituros esse præsciebat, [8] *sicque* contumaciam vel obedientiam præscivit Deus aliquos habituros fuisse, si audissent *Evangelium*.

Absit tamen, [9] ut dicatur judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse si viverent. [10] Nullus *certè* mortuus judicatur ex bonis, seu malis quæ fuerat, si non moreretur, acturus. [11] Hominum enim futura (*scilicet conditionatè*), quæ non sunt factura (*nimirùm absolutè*), proculdubio nulla sunt merita.

[1] Lib. de Dono persever., cap. 11. — [2] Ibid. cap. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid, c. 10. — [11] Lib. de Prædestinat. Sanct., cap. 13.

CAPUT XXXVI.

DEUM OMNIPOTENTEM ESSE, QUI ETIAM SECUNDUM PLATONEM FACIT IMPOSSIBILIA, QUÆ NEMPÈ NULLIS NATURÆ VIRIBUS FIERI POSSUNT; HANCQUE VERISSIMAM ESSE RATIONEM OMNIA SINE ULLA DUBITATIONE CREDENDI, QUÆ NOBIS DIVINITUS REVELATA SUNT, QUAMVIS INFIDELIBUS TAM INCREDIBILIA SINT DEI OPERA.

Deus [1] omnipotens est. [2] Qui etiam secundum Platonem facit impossibilia, *seu quæ nullis prorsus naturæ creatæ viribus fieri possunt. Unde et statim* [3] evertitur illud, *verbi gratia*, quod dicunt *Platonici*, quoniam est impossibilis, ideo resurrectionem carnis nec esse credendam. Apertissime quippe juxta eumdem philosophum ubi diis à se factis promisit Deus non factus immortalitatem, quod impossibile est, se dixit esse facturum. Sic enim eum locutum narrat Plato: « Quoniam estis orti, inquit, immortales esse et indissolubiles non potestis. Non tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora, quàm consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis colligati. » Si, non solum absurdi, sed surdi non sunt qui hæc audiunt, non utique dubitant diis factis, ab illo Deo qui eos fecit, secundum Platonem, quod est impossibile fuisse promissum. Qui enim dicit: « Vos quidem immortales esse non potestis, sed meâ voluntate immortales eritis: » quid aliud dicit, quàm id quod fieri non potest, me faciente tamen eritis? Ille igitur carnem incorruptibilem, immortalem, spiritalem resuscitabit, qui juxta Platonem, id quod impossibile est, se facturum esse promisit. Quid adhuc, quod promisit Deus, quod Deo promittenti credidit mundus, qui etiam promissus est crediturus, esse impossibile clamant? Quandoquidem nos Deum, qui etiam secundum Platonem facit impossibilia, id facturum esse clamamus.

Meritò sane infidelibus, [4] quando aliquid velut impossibile nolunt credere, rationis redditionem poscentibus responde-

[1] Lib. 1, de Symb., c. 1. — [2] L. 22, de Civit. Dei, c. 26. — [3] Ibid. — [4] Ib., lib. 21, cap. 7.

mus, hanc esse voluntatem omnipotentis Dei. [1]Nam quæ melior et validior ratio de rebus talibus redditur, quam cum Omnipotens ea posse facere perhibitur? [2]Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis; [3]*quâ potuit, verbi gratia*, nasci de Virgine, a mortuis resurgere, in cœlum ascendere, ad quod respondent *infideles* se factum esse non credere. [4]Hæc *profectò* veraciter, non fallaciter facta sunt. Sed nova sunt, sed insolita sunt, sed contra naturæ cursum notissimum sunt, quia magna, quia mira, quia divina, et eo magis vera, certa, firma.

Qui [5] etiam ista non credunt, nimium de divina potestate diffidunt, [6]ex consuetudine rerum expertarum, inexperta opera divina, infirmitas metitur humana, et argutulè se garrire arbitratur, cum *naturæ consulta* dicit : [7]scio, *verbi gratia*, quod corpus humanum naturæ lege non sinitur in fluctibus liquidis habere fixa vestigia. Sed accedat donum gratiæ, et paululum cesset lex ista naturæ. [8]Quando audis miraculum, serva fidem, non inquirat animus rationem. [9]Quid mirum, si Dominus illæso materni pudoris signaculo, januam mundi hujus intravit; [10]*si* eum non coercuit pondus sepulcri; [11]*si* etiam penetralia supernorum et solis angelis familiare secretum *ei* patere *potuit?* Quid [12] mirum si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, [13]*quando* ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit. [14]Magnum *ubique* miraculum; sed mirari desinis si Deum cogitaveris. Mirum enim esset si solus homo hoc fecisset.

Refer ad omnipotentiam non ad phantasiam. [15]Hæc *omnia* veraciter non fallaciter facta sunt. Sed nova, sed insolita sunt, sed contra naturæ cursum notissimum sunt: quia magna, quia mira, quia divina, et eo magis vera, certa et firma. [16]Ille hæc fecit cui nihil impossibile est.

[1] Ibid., lib. 21, cap. 7. — [2] Epist. 3. — [3] Ibid. — [4] Lib. 29, contra Faust., c. 4. — [5] Epist. 146. — [6] Ibid. — [7] Serm. 4, de Verbis Domini. — [8] Serm. 159, de temp. — [9] Serm. 156, de tempore — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid. — [13] Ib. — [14] Serm. 160. — [15] L. 2, cont. Faust., c. 4. —[16] Serm. 159, de Temp.

CAPUT XXXVII.

DEUM LICET OMNIPOTENTEM, ALIQUA TAMEN NON POSSE, QUÆ NEMPE, CUM PLANE FALSA SINT, NEC ULLA PRORSUS INTELLIGIBILIS DETUR IPSORUM RATIO, IPSE NEC INTELLIGERE, NEC PROINDE VELLE POTEST.

Quanquam verò [1] Deus etiam secundum Platonem facit impossibilia, *quæ scilicet, ut jam monuimus, nullis naturæ viribus fieri possunt, non ideo tamen negandum multa proferri posse,* [2] quæ omninò, *id est, divina etiam virtute,* esse non possunt. [3] Nam qui dicit, verbi gratia, septem et tria undecim esse, id dicit quod omninò esse non potest. *Ita* [4] nec quisquam potest efficere cum voluerit, ut, *verbi gratia,* ter terna aut non sint novem aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla. [5] Fieri *etiam* non potest, ut ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ non per medium ducuntur maxima. [6] Neque ulla vis unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima.

Sed et [7] nulla res formare seipsam potest, quia nulla res potest dare sibi quod non habet; et utique, ut habeat formam, formatur aliquid : *ac proinde* [8] si qua *res* non habeat formam, *ut revera priusquam sit, non habet,* non potest à se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. *Sicque* [9] verissimum est, quod *alicubi* posuimus, nullam rem à se posse fieri, *et* [10] quod nulla res se facit aut gignit : alioquin erat antequam esset. *Unde* [11] qui putat ejus esse potentiæ Deum, ut seipsum genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est; sed nec spiritalis, nec corporalis creatura. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat, ut sit. *Ita* [12] unum genus est eorum quæ omnino esse non possunt. [13] Nam qui

[1] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 26. — [2] Lib. 2, de Doctr. Christ, cap. 35. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 38. — [5] Lib. de Immort. animæ, cap. 9. — [6] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 6. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 17. — [8] Ibid. — [9] Lib. de Immort. animæ, cap. 8. — [10] Ibid. — [11] Lib. 1, de Trinit., c. 1. — [12] L. 2, de Doctr. Christ., c. 35. — [13] Ibid.

dicit, *ut jam advertimus*, septem et tria undecim esse, id dicit, quod omnino esse non potest. [1] Falsa sunt hæc: nec quisquam intelligit falsa. [2] Nemo enim falsa novit.

At [3] non potes Deum dicere ignota facere *posse. Non enim*, [4] nisi volens, quicquam facit; et omnia quæcumque vult facit. Firmissimè *autem* novimus amari nisi nota non posse. Nam quod quisque prorsus ignorat, amare *seu velle*, nullo pacto potest. [5] Habent *certè* omnia causas suas atque rationes rectas et inculpabiles, quæ Deus vel usitata vel inusitata operatur. [6] Et *aliqua* ideo mira sunt, quia occultiorem habent rationem, quàm ut videri vel reddi ab homine homini possit. *Unde* [7] *et* ex illa causa latentis rationis ego *aliquando* dixi, cum eis responderem qui negant esse credendum, quod Christum Virgo pepererit, Virgo permanserit; si ratio quæritur, non erit mirabile. [8] Hoc enim dictum est, non quod ratione res careat; [9] sed quod eos lateat, quibus hoc Deus voluit esse mirabile.

Nec [10] *tamen* quisquam existimet ideo merito posse dici, *quod simpliciter impossibile est, à Deo fieri posse, puta* corporeis oculis à Filio Patrem videri, ac non potius sicut à Patre Filium, quia illi qui hoc putant, cum in reddenda ratione defecerint, possunt et ipsi dicere, si ratio quæritur, non erit mirabile : hoc enim dictum est, non quia non est ratio, sed quia latet. Illius autem non miraculi, sed erroris, demonstrare debet nullam esse rationem, quisquis id opinantes refellere aggreditur. Sicut enim nulla ratio est, qua Dei natura moriatur, aut corrumpatur, aut peccet; et cùm hoc Deum non posse dicimus, non derogamus potestati ejus, sed æternitatem veritatemque laudamus : ita cùm dicimus non posse videri oculis corporeis, non latet sed patet ratio bene intelligentibus, qua perspicuum est Deum corpus non esse ; nec aliquid corporeis oculis cerni posse, nisi quod alicujus intervalli interpositione cernatur : id autem non nisi corpus esse, eamque substantiam quæ minor sit in parte quam in toto, quod de Deo credere nefas esse debet, etiam iis qui hoc intelligere nondum valent. Latet

[1] Lib. de Vera Relig., c. 34. — [2] Lib. 15, de Trinit., cap. 10. — [3] In Psalm. 61. — [4] Enchir. ad Laurent., cap. 102. — [5] Ibid. — [6] Epist. 101. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid.

ratio diversarum commutationum : et hinc est omnium visibilium silva miraculorum. Numquid tamen ideo latet esse corpora, habere nos corpus, nullum esse quantumcumque corpusculum, quod non pro suo modo loci occupet spatium ; nec in eo quod occupat ubique sit totum, sed minus sit in parte quàm in toto? Hæc quoniam non latent, his contexenda sunt consequentia, quod nunc facere nimis longum est, quibus ostendatur non rationem latere, sed rationem omnino nullam esse qua credi debeat, vel possit intelligi, Deum qui ubique totus est, nec per spatia locorum corporea mole diffunditur, in qua necesse habeat partibus majoribus minoribusque constare, cerni corporeis oculis posse. [1] Sicut nec ulla ratio est, qua Dei natura moriatur, aut corrumpatur, aut peccet ; [2] nulla *etiam* ratio patitur, ut vel facturam factori suo æquetur, vel opus artifici comparetur. [3] Quo constituto atque concesso quis audeat dicere Deum irrationabiliter, id est, *sine ulla prorsus ratione quidpiam condere posse ?* Quod [4] si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione *condantur ; et ita quidem ut* [5] singula propriis rationibus *fiant*, [6] Deus *enim, ut alibi jam dictum est*, non aliquid nesciens facit. [7] Porro si sciens facit omnia, ea utique facit, quæ *jam in seipso noverat.*

Rationes [8] enim rerum stabiles atque incommutabiles [9] in divina intelligentia continentur [10] et secundum eas formari dicitur omne, quod oriri et interire potest.

CAPUT XXXVIII.

DEUM ALIQUA NON POSSE ; QUIA FIERI OMNINO NON POTEST, UT IDEM SIT VERUM SIMUL ET FALSUM ; VEL EODEM TEMPORE SIT ET NON SIT ; SIBIQUE IPSI DIVINA VERITAS ADVERSETUR.

Quisquis [11] itaque dicit : Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint ; non videt hoc se dicere : Si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eo

[1] Ibid. — [2] Serm. 1. de Verbis Apost. — [3] Lib. 83, qq. q. 46. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 10. — [7] Ibid. — [8] Lib. 83, qq., q. 46. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Lib. 26, contra Faust. Manich., c. 5.

ipso quo vera sunt falsa sint. Potest enim facere ut aliquid non sit quod erat : tunc autem facit ut non sit, quando id esse invenerit de quo fiat : velut cum aliquem, qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo : hoc enim factum invenit, de quo fieret. Quis autem dicat ut id, quod jam non est, faciat non esse? Quicquid enim præteritum est jam non est : quod si et de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat. Et si est, quomodo præteritum est? Non ergo est, quod verè dicimus fuisse : sed ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in ea re quæ jam non est. Sententia quippe, quà dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.

Quod si quæras, ubi sit hæc vera sententia : priùs invenitur in animo nostro, cum id verum scimus et dicimus. Sed si et animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate. Semper enim verum erit fuisse illud quod erat, et non est : et ibi verum erit jam fuisse quod erat, ubi verum erat antequam fieret futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest adversari, in quo est ipsa summa et incommutabilis veritas, quo illustratur ut sit, quicquid in quorumque animis et mentibus veri est.

CAPUT XXXIX.

DEUM NON IDEO OMNIPOTENTEM NON ESSE, QUOD ALIQUA NON POSSE DICATUR, CUM NON IDEO DESINAT POSSE QUIDQUID VULT (QUÆ OMNIPOTENTIÆ VERISSIMA RATIO EST) QUI QUIDQUID MALI FIT, AUT NULLATENUS FIERI POTEST, NON VULT : IMO VERO EA POTENTER NON POSSE, QUIA EST OMNIPOTENS ; QUÆ SI POSSET JAM NON ESSET OMNIPOTENS ; QUIPPÈ QUI NON POSSET QUIDQUID VULT, ET QUI ESSET OMNIPOTENS DIGNUS NON ESSET.

Sed [1] argutè sibi videntur nonnulli dicere, potuit, *verbi gratia*, Christus carni suæ præstare ut oculis corporeis videret Patrem, an non potuit? Ut si non potuisse responderimus omnipotentiæ Dei nos derogasse proclament.

[1] Epist. 6.

At eorum, [1]qui carnem asserunt conversum iri in substantiam Dei, et hoc futuram esse quod Deus est, ridiculam vanitatem credo istos abigere a fide sua, fortasse et ab auribus. Et tamen si interrogatione de hoc similiter urgeantur, possitne Deus hoc, an non efficere possit, utrum ejus potestati detrahent, si non posse responderint; an hoc futurum fatebuntur, si posse concesserint? Quomodo ergo exirent de hoc laqueo alieno, sic exeant de suo.

Deus[2] certè non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest. Quod *autem* non vult omnipotens hoc solum non potest, qui facit quidquid benè vult, quidquid justè vult; quidquid autem malè fit, *aut fieri nullatenus potest*, non vult.

Rectè[3] itaque omnipotens dicitur, qui tamen *aliquid*, *putà* mori et falli, non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Cum hoc Deum non posse dicimus, non derogamus potestati ejus; sed æternitatem veritatemque laudamus.

Ita[4] nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis, patiendo *nempe* quod non vult: [5]quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quædam non potest, quia omnipotens est.

Prorsus [6]omnipotens Pater noster, *qui* peccare non potest, aut fallere. [7]Potenter hoc non potest; nec est infirmitas ista, sed firmitas, qua falsa esse non potest veritas. [8]Deus cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest; et, quod ait Apostolus, *negare seipsum non potest*: Et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.

[1] Ibid. — [2] Lib. 21, de Civit. Dei, cap. 7. — [3] Lib. de Symb. ad Catech., cap. 1. — [4] Lib. 5, de Civit. Dei, cap. 10. — [5] Lib. 5, de Civit. Dei, cap. 10. — [6] Ibid. — [7] L. 15, de Trinit., c. 14. — [8] L. 1, de Symb. ad Catech., c. 1.

CAPUT XL.

DEI OMNIPOTENTIAM SEU POTESTATEM SUMMAM, ESSE IPSAM EJUS VOLUNTATEM : QUÆ, CUM OMNIA QUÆ FACIT, NON ALITER QUAM DICENDO SEU VOLENDO FACIAT, OMNIUM PRIMA EST, ET SUMMA CAUSA, QUA FIUNT.

Jam verò [1] in ejus voluntate summa potestas est; [2] fit *enim Domine*, quidquid dicis ut fiat; nec aliter quàm dicendo facis. [3] *Ipse quippe dixit, et facta sunt*; *ipse mandavit, et creata sunt.* Nemo *autem* dicit, nemo mandat, nisi verbo. [4] Hæc considerans spiritus prophetæ cum dixisset : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis,* addidit : *Quæ faciunt verbum ejus. Cum autem* addidit : *Quæ faciunt verbum ejus*, [5] satis ostendit eorum rerum ordinem divino subditum imperio; [6] creaturamque locis suis et ordine suo sub nutu et jussu Dei agentem motus suos. [7] *Omnia quippe* verbo Dei in omni motu suo deserviunt. Quò vult Deus, illùc lucet ignis, illùc fertur nubes; sive pluviam, sive nivem, sive grandinem portet.

Hoc [8] *etiam* necessariò futurum est, quod ille vult, [9] id utique faciens quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat et in sua voluntate servabat; [10] *sicque* secundum causas, quæ sunt in voluntate Dei, [11] hoc verè futurum erat, [12] quod tempore facturus erat.

Voluntas [13] itaque Dei omnium quæ sunt, ipsa est causa, *id est*, [14] causa omnium, quæ facit, voluntas ejus est. [15] Ac per hoc voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter quod non de interiore, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur.

[1] L. 5, de Civit. Dei, cap. 9. — [2] L. 11, Confess., c. 7. — [3] In Psalm. 148. — [4] Ibid. — [5] L. 18, de Genesi ad litt., cap. 2. — [6] In Psalm. 148. — [7] Ibid. — [8] Lib. 6, de Genesi ad litt., cap. 17. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid. — [13] Lib. de Genesi contr. Manich., cap. 2. — [14] In Psalm. 134. — [15] Lib. 3, de Trinit., c. 4.

PARS QUARTA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS

DE ANIMA.

CAPUT I.

ANIMAM RECTÈ DEFINIRI VITAM CORPORIS; QUÆ NEMPÈ CORPUS FORMALITER VIVIFICAT : UT EX EO PATET, QUOD PER CORPUS IPSA SENTIT, MULTAQUE HUJUSCEMODI PER IPSUM ET DE IPSO FACIT, QUÆ PRÆSTARE NULLATENUS POSSET, NISI PER MODUM FORMÆ MOLEM EJUS VITALITER INSPIRARET.

Vita [1] corporis anima est; *quæ quidem* [2] hæret corpori et vitaliter compagem ejus replet : *ita ut* [3] miris modis ipso incorporeo nutu commixta sit vivificando corpori.

Nec [4] enim sola *est* sine ulla permixtione præsentia; *quâ* [5] vitaliter inspirantur *seu* [6] animantur carnes per [7] animas dantes *corporibus* vitam. [8] Sed in quolibet animante magna et mirabilis animæ vis est, quæ illam *corporis* compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, et in quamdam sui moduli redigit unitatem : cum eam non indifferenter, sed ut ita dicam, indignanter patitur corrumpi atque dissolvi.

Sed et [9] intendit se anima in tactum *verbi gratia*, et eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, levia, gravia, sentit atque discernit; atque in iis omnibus ea, quæ secundum naturam sui corporis sunt, adscissit atque appetit; rejicit fugitque contraria. *Ita enim novimus* [10] animam facere

[1] Serm. 18, de Verb. Apost. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 7. — [3] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 21. — [4] Ibid., lib. 2, cap. 18. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lib. 21, de Civ. Dei, c. 10. — [8] Lib. 3, de Genesi ad litt., cap. 16. — [9] Lib. de Quant. animæ, cap. 33. — [10] Tract. 23, in Joann.

aliquid per corpus et de corpore, atque habere subjectum corpus; et per corporalia mulceri posse sensus corporis vel offendi, et propter hoc, id est, propter consortium quoddam animæ et corporis in hac vita atque complexu, delectari animam lenitis, vel contristari offensis corporis sensibus.

Membris [1] *igitur* terrenis miro modo coaptantur *animæ*; ut ea primitus vivificare, post etiam ætatis accessu regere, possint.

CAPUT II.

QUOD VITAM SEU ANIMAM IN SEIPSO EXISTERE, QUISQUE NOSTRUM CERTISSIMÈ NORIT; ET INTERIORI QUADAM CONSCIENTIA ET VIVERE SE, ET MEMINISSE, ET INTELLIGERE, ET VELLE SE PERCIPIAT.

Vitam *autem* [2] suam, in qua nunc vivit in corpore, et hæc terrena membra vegetat facitque viventia, interiore sensu, quisque *hominum*, *etsi* non per corporeos oculos, novit. [3] Quadam enim interiore, non simulatâ, sed verâ præsentiâ, cogitat, vivere se, et meminisse, et intelligere, et velle se. Novit hæc in se, nec imaginatur, quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur.

Intima [4] *igitur* scientia est, quâ nos vivere scimus. In quo prorsus non metuimus, ne aliqua verisimilitudine fortè fallamur; quoniam certum est eum, qui fallitur, vivere. *Et* [5] quoniam manifestum est esse id verissimum; nec tibi aliter manifestum esset, nisi viveres : id quoque *tibi* manifestum est, et te vivere.

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 14. — [2] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 29. — [3] Lib. 10, de Trinit., c. 10. — [4] Ibid., lib. 15, cap. 12. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3.

CAPUT III.

EXISTENTIAM ANIMÆ, SICUT IN ALIIS HOMINIBUS, ITA ETIAM IN BRUTIS EX EO POSSE A NOBIS COLLIGI, QUOD MOTUS, VERBI GRATIA, DOLORIS AUT ALTERIUS CUJUSCUMQUE PASSIONIS HABERE DEPREHENDANTUR, IIS OMNINO SIMILES, QUOS IN NOBIS, CUM DOLEMUS AUT ALIO QUOCUMQUE MODO AFFICIMUR, NON NISI AB ANIMA PROFICISCI EXPERIMUR.

Aliorum [1] verò, *seu hominum, seu brutorum vitas*, cum sint invisibiles, quisque per corpus videt. [2]Nam et motus corporum, quibus præter nos alios vivere sentimus, ex nostra similitudine agnoscimus; quia et nos ita movemus corpus vivendo, sicut illa corpora moveri advertimus. Neque enim, cum corpus vivum movetur, aperitur ulla via oculis nostris ad videndum animum, rem scilicet quæ oculis videri non potest : sed illi moli aliquid inesse sentimus, quale nobis inest ad movendum similiter molem nostram, quod est vita et anima.

Quæritur [3] enim *in muscâ*, quid illa membra tam exigua vegetet; quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat; quid currentes pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret.

Sic igitur [4] homines inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus. *Quanquam tamen* [5]nec *aliorum* animas videmus, sed ex motibus corporis *conjicimus*; idque statim ex facillima quadam conspiratione naturali. [6]Neque *hoc* quasi humanæ prudentiæ rationisque proprium est. Et bestiæ quippè sentiunt vivere non tantùm seipsas, sed etiam se invicem atque alterutrum, et nos ipsos.

Pecus [7] *itaque* vivit. [8]Possunt enim et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecùs corporalia, et ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, fugere incom-

[1] Lib. 22, de Civit. Dei, c. 29. — [2] Lib. 8, de Trinit., cap. 6. — [3] Lib. de Duabus animabus, cap. 4. — [4] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 29. — [5] Lib. 8, de Trinit., c. 6. — [6] Ib., — [7] L. 2, de L. arb., cap. 3. — [8] L. 12, de Trinit., c. 2.

moda : [1]nam appetere voluptates corporis et vitare molestias ferinæ vitæ omnis actio est. [2]Atque in his omnibus non distamus à pecore; *sed* [3]genus ipsum rerum est nobis certè commune cum belluis; [4]quæ si exanimes essent, dicerem nos eo præstare, quod animam habemus. Nunc verò cum et illa sint animalia, [5]quidpiam habemus in animo commune cum pecore; *quatenus nempe* [6]lux quædam incorporea in anima est, ad quam vitandi et appetendi refertur examen à sensibus corporis, quâ non carent etiam animæ bestiarum. *Imò etiam* [7]videre atque audire, et olfactu, gustu et tactu corporalia sentire posse bestias, et acriùs plerasque, quam nos, cernimus et fatemur. [8]Sensus *autem* est certe omnis passio corporis non latens animam, *ut infra fusiùs explicabitur.*

Sensum [9] *etiam* concedimus bestiis : *quoniam vermiculus, verbi gratia*, [10] stylo tactus contorquet se ad doloris locum, [11]videmusque, et vocibus sentimus, cum dolore mori animantia; [12]Dolor autem quem bestiæ sentiunt, animarum, etiam bestialium, vim quamdam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quàm sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus, divisionis vel corruptionis impatiens? Unde luce clarius apparet, quàm sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, sed potius renitenter et reluctanter intenditur in eam passionem corporis sui, per quam ejus unitatem atque integritatem labefactari molestè accipit.

Jam, [13]quæso, explica illud, quod de cane Ulyssis commemoratur, qualenam sit. [14]Sciebat enim, *seu noverat*, ut opinor, dominum suum canis: quem post viginti annos recognovisse perhibetur : ut taceam de cæteris innumera-

[1]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8. — [2]Lib. 12, de Trinit., cap. 1. — [3]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8. — [4]Ibid., cap. 7. —[5]Lib. 12, de Trinit., cap. 1. — [6]Lib. de Genesi ad litt. imperf., cap. 5. — [7]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8. — [8]Lib. de Quantit. animæ, c. 25. — [9]Ibid. — [10]Ibid., cap. 31 — [11]Lib. de Moribus Manich., c. 17. — [12]Lib. 3, de Lib. arb., c. 23. — [13]Lib. de Quant. animæ, cap. 28. — [14]Ibid., cap. 26.

bilibus. [1]Quid autem hoc putas esse, nisi vim quamdam sentiendi?

Sed [2] et rerum corporearum memoriam bestiæ habere sentiuntur. Nam et per loca nota sine errore jumenta pergunt, et cubicula sua bestiæ repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque murmurant, et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria visarum rerum, vel per corpus utcumque sensarum versarentur imagines.

Nonnulli [3] *quidem* putaverunt, propterea non *animam vivam*, sed *reptilia animarum vivarum*, pisces, *in Scriptura sacra*, esse appellatos, quod eis memoria nulla sit. Sed fallit eos experientia minor. Nam quidam scripserunt quæ animadvertere potuerunt in vivariis piscium multa miranda. Sed etiamsi fortè falsa scripserunt, memoriam tamen pisces habere certissimum est. Quod ipse sum expertus, et experiantur qui possunt et volunt. Nam fons quidam magnus Bullensium regionum, ferè plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assuefacti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis gregatim natando eunt et redeunt, expectantes unde aliquid jactent, quorum præsentiam sentiunt. Non itaque frustra mihi videtur aquarum animalia sic appellata reptilia, quemadmodum et aves volatilia : nam si vel nulla memoria, vel sensus tardior, animæ vivæ nomen repulisset à piscibus, volatilibus certè adhiberetur, quorum vita in oculis nostris est, et memor et garrula , et in nidis construendis educandisque fœtibus solertissima.

Ita igitur [4] ex motibus corporalibus corpus vivum videndo discimus; [5]et viventia discernimus à non viventibus corpora.

Nostra [6] *autem* cogitatio à nobismetipsis intus aspicitur cum cogitamus ; *sicque* [7] nos vivere non solùm verum, sed

[1] Ibid., cap. 28. — [2] Contra Epist. Manich., cap. 17. — [3] Lib. 3, de Genesi ad litt., cap. 8. — [4] Lib. 13, de Trinit., cap. 1. — [5] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 29. — [6] Epist. 112, cap. 2. — [7] Enchirid. ad Laurent., cap. 21.

etiam certum est. *At*[1] in intimis nostris est; nec eam quisque hominum videt in alio ([2]secundùm hoc enim dixit Apostolus, neminem scire quid agatur in homine nisi spiritum hominis, qui in ipso est, secundum quod videmus in nobis), [3]etsi aliquibus signis sese indicet, creditur potiùs, quàm videtur.

Si [4]quis *enim* mihi indicet voluntatem, *aut cogitationem* suam; cujus os et vox mihi præsens est; tamen, quia ipsa voluntas *aut cogitatio*, quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi, credo, non video.

CAPUT IV.

ANIMAM SENSITIVAM NON ESSE ADMITTENDAM IN PLANTIS.

Arbores plantasque omnes[5] nonnulli nimis errantes hæretici, non solùm sentire per corpus, id est, videre, audire, et calorem ignemque discernere; sed etiam intelligere rationem, et cogitationes nostras nosse arbitrantur, *ut infra pluribus explicabitur.*

Sed de his *nulla* quæstio est. [6]Ut enim omittam, quod nullis motibus in ligno sensus doloris apparet: quid manifestius, quàm tunc se optimè habere arborem, cum viget, cum frondet, cum floribus læta, fructibus opulenta est? At hoc ei plerumque ac maximè putatione præstatur. Quòd si ferrum sic sentiret, uti volunt, contabesceret potius tot tantisque affecta vulneribus, quàm ex illis pullulans locis, tam certa exsultatione revirescerent.

Non *verò*[7] nihil videtur *factum aliquid* in animam vivam, *ut supra jam monui*, nisi quia sentire *potest* in corpore; quod est animatæ viventisque carnis certissimum indicium.

Quid[8] *igitur* arbusta omnesque frutices, quibus nullus est sensus?

[1] Lib. 13, de Trinit., cap. 2. — [2] Epist. 112, cap. 4. — [3] Lib. 13, de Trinit., cap. 2. — [4] Epist. 112. c. 3. — [5] Lib. de Genesi ad litt. imperf., cap. 5. — [6] Lib. de Mor. Manich., cap. 17. — [7] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 3. — [8] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27.

Moventur [1] *quidem* et arbusta, non tantum vi extrinsecùs impellente, veluti cum ventis agitantur; sed illo motu, quo intrinsecùs agitur quicquid ad incrementum speciemque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertiturque in ea quibus constat herbæ natura vel ligni : nihil enim horum sine interno motu. *Quatenus scilicet* [2] ut arbusta in auras tutum culminis germen emittant, altius terræ radices affigunt, quo alimentum trahant, atque ita suum quodammodo esse conservent. [3] Sed iste motus non est spontaneus, qualis ille qui sensui copulatur ad corporis administrationem, sicut in omnium animalium genere, quam vocat Scriptura animam vivam. Nam et nobis nisi inesset etiam ille motus, nec crescerent nostra corpora, nec ungues capillosque producerent. Sed si hoc solùm esset in nobis sine sensu motuque illo spontaneo, non diceretur homo factus in animam vivam.

Cum [4] enim ipsam vim sentiendi non habet vita quælibet; [5] cum talis potentia non est in anima : jam nec anima dici solet; sed tantum vita, qualis esse perhibetur in arboribus.

CAPUT V.

DE ANIMA MUNDI NONNULLORUM, PRÆSERTIM VERO PLATONICORUM, PROPONITUR ET EXPLICATUR OPINIO.

Plerique *autem* [6] volunt esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili motu semina cuncta vivificet, ut non sit concreta cum genitis, sed vitam præstet ipsa gignendis.

Id certè [7] de ipso universo mundo, tanquam uno animali maximo, quo cuncta cætera continerentur animalia, Plato instanter affirmat. *Et ita quidem, ô Platonici,* [8] ut de anima

[1] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 16. — [2] L. 11, de Civit. Dei, c. 27. — [3] L. 7, de Genesi ad litt., cap. 16. — [4] Lib. de Genesi ad litt. imperf., c. 5. — [5] Ibid. — [6] Lib. contra Felician. arian., cap. 12 (supposit). — [7] Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 16. — [8] Ibid., lib. 10, cap. 29.

mundi hujus visibilis, et tam ingentis corporeæ molis, cum illo tam incredibilia sapiatis. Platone quippè auctore, animal esse dicitis mundum, et animal beatissimum, quod vultis esse etiam sempiternum. [1] Libros vestros lego : mundum istum animal dicitis, id est, cœlum et terram, maria, omnia quæ sunt ingentia corpora et immensa usquequaque elementa ; totum hoc universumque corpus, quod ex his elementis omnibus constat, dicitis esse animal magnum ; id est, habere animam suam, sed sensus corporis non habere : quia extrinsecùs nihil est quod sentiri possit : habere tamen intellectum, hærere Deo : et ipsam animam mundi vocari Jovem, vel vocari Hecatem, id est, quasi animam universalem mundum regentem, et unum quoddam animal facientem : eumdemque mundum æternum esse dicitis, semper futurum, finem non habiturum.

Ita Platonici [2] Jovis ipsius animam, quem mundum istum volunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tota moles à terra in cœlum surgit, inclusam *dicunt.* Hanc enim animam Plato ab intimo terræ medio, quod geometræ centrum vocant, per omnes partes ejus usque ad cœli summa et extrema diffundi, et extendi per numeros musicos opinatur, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima et perfectam sapientiæ felicitatem teneret, et corpus proprium non relinqueret ; cujusque corpus et in æternum ex illa viveret, et eam quamvis non simplex, sed tot corporibus tantisque compactum, hebetare atque tardare non posset. *Quanquam*, cùm suspicionibus suis ista permittant, nolunt credere, divina voluntate atque potentia immortalia corpora fieri posse terrena, in quibus animæ nulla ab eis morte separatæ, nullis eorum oneribus aggravatæ, sempiternè ac feliciter vivant ; quod deos suos posse asserunt in corporibus igneis, Jovemque ipsum eorum regem in omnibus corporeis elementis.

Arbitrantur enim quod [3] Deus ille summus (*a quo* eorum auctor [4] et magister Plato donum diis factis dicit esse con-

[1] Serm. 143, de Tempore. — [2] Lib. 13, de Civ. Dei, cap. 17. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 16.

cessum, ne aliquando moriantur, id est, à corporibus, quibus eos connexuit, separentur) [1] fecerit eis alterum, quem putant Deum, id est, istum mundum, cæteris diis qui infra eum sunt præferendum, eumdemque existimant esse animantem, anima scilicet, sicut asserunt, rationali vel intellectuali, in tam magna mole corporis ejus inclusa: ipsiusque corporis tanquam membra locis suis posita atque digesta, quatuor constituerit elementa, quorum juncturam, ne unquam Deus eorum tam magnus moriatur, indissolubilem ac sempiternum velint: *ita ut* [2] ipsam universam terram dei sui, non quidem summi, sed tamen magni, id est, totius hujus mundi, membrum in medio positum et sempiternum esse non dubitant.

Et quoniam [3] Saturnum aliter *ac alii* interpretari conati sunt, dicentes appellatum χρόνον, velut à satietate intellectus, eo quod græcè satietas χόρος, intellectus autem sive mens νους dicitur; cui videtur suffragari et latinum nomen, quasi ex prima latina parte et græca posteriore compositum, ut diceretur Saturnus, tanquam satur esset νοῦς: [4] secundùm novellam istam interpretationem, quam veteres eorum si habuissent, mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Jovem dicunt, tanquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quem volunt esse velut animam mundi hujus, omnia cœlestia et terrena corpora implentem; unde illud Maronis est: *Jovis omnia plena.* [5] Nos *enim, inquiunt*, Jovem colimus, de quo ait Maro: *Jovis omnia plena*, id est, omnia vivificantem Spiritum, *aliundè tamen beatum.* [6] Neque enim ullam animam rationalem sapientem fieri disputant, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ: non solùm cujusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem.

[1] Lib. 13, de Civ. Dei, cap. 17. — [2] Ibid. — [3] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 23. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

CAPUT VI.

OPINIONEM DE ANIMA MUNDI SUPERIUS EXPLICATAM NON ESSE TEMERÈ VEL AFFIRMANDAM VEL REFELLENDAM.

Nos [1] verò, esse quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens, quæcumque anima fit verè sapiens, non tantùm concedimus, verùm etiam maximè prædicamus. Utrum autem universa ista corporis moles, quæ mundus appellatur, habeat quamdam animam vel quasi animam suam, id est, rationalem vitam, qua ita regatur, sicut unumquodque animal, magna atque abdita quæstio est.

Et [2] ista *quidem* opinio comperto, quod vera sit; *cum dicitur*, [3] et Spiritus Dei ferebatur super aquam, [4] *ita* potest *illud* intelligi, ut spiritum Dei, vitalem creaturam, qua universus visibilis mundus atque omnia corporea continentur, et moventur, intelligamus : cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum iniis quæ gignuntur. Qui Spiritus cum sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurdè spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex iis quæ condidit, cùm etiam de ipsa terra dictum sit : *Domini est terra et plenitudo ejus* : et illud universali complexione quod scriptum est : *Quoniam tua sunt omnia, Domine, qui animas amas.* Sed tunc potest iste Spiritus sic intelligi, si quod dictum est : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, tantum de visibili creatura dictum sentiamus; ut super materiam rerum visibilium in exordio fabricationis earum superferretur invisibilis spiritus, qui tamen etiam ipse creatura esset, id est, non Deus, sed à Deo facta atque instituta natura.

At [5] nec affirmari debet ista opinio, nisi comperto quod vera sit; nec refelli, nisi comperto quod falsa sit. Quid

[1] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Genesi ad litt. imperf., cap. 4. — [4] Ibid. — [5] Lib. 1, de Consensu Evang., cap. 23.

autem hoc ad homines, etiamsi semper eos lateat; quandoquidem nulla anima fit sapiens vel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa atque incommutabili Dei sapientia ?

Ego quidem [1]animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, aliique Philosophi quamplurimi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum Scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi : unde tale aliquod a me dictum *aliquando*, quo id accipi possit, *etiam* libro de Immortalitate animæ temerè dictum, *libri Retractationum mearum primi, capite quinto*, notavi *his verbis* : [2]Illud quoque temerè dictum est, à summa essentia speciem corpori per animam tribui, quia est in quantumcumque est. Per animam ergo corpus subsistit, et eo ipso est, quo animatur ; sive universaliter ut mundus ; sive particulariter, ut unumquoque animal intra mundum.

Hoc *certè* totum prorsus temerè dictum est ; [3]non quia hoc falsum esse confirmo ; sed quia nec verum esse comprehendo, quod sit animal mundus.

CAPUT VII.

NIHIL QUOQUE NOBIS CREDENDUM TEMERE DE ANIMABUS , QUÆ SIDERIBUS , UT SOLI ET LUNÆ, SIGILLATIM A QUIBUSDAM TRIBUUNTUR.

Alia [4]est quæstio de sideribus et sole et luna, utrum vel rationales habeant spiritus in his conspicuis corporibus lucidisque (quæ corpora esse qui dubitat, quid sit omnino corpus ignorat) [5]utrum, *inquam*, cœli luminaria ista conspicua corpora sola sint; an habeant rectores quosdam spiritus suos : et si habent, utrum ab eis etiam vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium ; an sola sine ulla permixtione præsentia.

[1] Lib. 1, Retract., cap. 11. — [2] Ibid., cap. 5. — [3] Ibid., cap. 2. — [4] Lib. ad Oros. contra priscill. et origen., c. 11. — [5] L. 2, de Genesi ad litt., c. 18.

Solem [1] *quidem* istum, ô Platonici, et cætera sidera, non solùm in libris vestris corpora esse fatemini; quod vobiscum omnes homines et conspicere non cunctantur, et dicere : verùm etiam altiore, ut putatis, peritiâ, hæc esse animalia beatissima perhibetis, et cum his corporibus sempiterna.

Sed [2] hoc utrum Plato verum de sideribus dicat, alia quæstio est : neque enim ei continuò concedendum est globos istos luminum, sive orbiculos, luce corporea super terras seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, eisque intellectualibus et beatis.

De [3] sole *quidem* et luna cæterisque sideribus, quod cœlestia sint corpora, videmus; quod animata sint, non videmus.

Unde [4] nec illud quidem certum habeo, utrum ad *ipsam cœlestem Angelorum* societatem pertineant sol et luna et cuncta sidera; quamvis nonnullis lucidis corpora esse, non cum sensu vel intelligentia, videantur.

Nunc [5] *ergo* servata semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temere debemus; ne fortè quod postea veritas patefecerit, quamvis libris sanctis, sive Testamenti Veteris, sive Novi, nullomodo esse possit adversum, tamen propter amorem nostri erroris oderimus.

Sed [6] neque ista multùm ad nos pertinent, ut ea summo studio indagare curemus, quæ remota sunt à sensibus nostris, et ab intellectu infirmitatis humanæ; nec in ipsis scripturis ita posita, ut nobis eorum sit mandata cognitio. Imò verò ne præcipiti suspicione in fabulas sacrilegas irruamus, clamat Scriptura divina : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper;* ut magis in istis temeraria præsumptio, quàm cauta ignoratio, culpanda videatur.

[1] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 29. — [2] Ibid., lib. 13, cap. 16. — [3] Lib. ad Oros., cap. 8. — [4] Enchirid. ad Laurent., cap. 58. — [5] Lib. 2, de Genesi ad litt., cap. 18. — [6] Lib. ad Oros., cap. 11.

CAPUT VIII.

INCONCUSSÈ RETINENDUM MUNDI HUJUS ANIMAM NON ESSE DEUM.

Hoc *tamen* [1] inconcussè retinendum esse non dubito, Deum nobis non esse istum mundum, sive anima ejus ulla, sive nulla sit. Quia si ulla est, ille qui eam fecit, est Deus noster : si autem nulla est, nullorum Deus potest esse iste ; quantò minus Deus noster ?

Terram [2] *igitur*, quam quidem plenam videmus animalibus suis, ipsam magnum corpus in elementis, mundique infimam partem, cur volunt *aliqui profanorum* Deam ?

Pars [3] animæ mundi, inquiunt, quæ per illam permeat, deam illam facit : quasi non evidentior sit in hominibus anima, quæ utrum sit, nulla fit quæstio : et tamen homines dii non habentur. Et quod est graviter dolendum, his qui dii non sunt, et quibus ipsi meliores sunt, colendis et adorandis mirabili et miserabili errore subduntur. Et certè idem Varro in eodem libro de diis selectis, tres esse affirmat animæ gradus in omni universaque natura. Unum, qui omnes partes corporis quæ vivunt, transit, et non habet sensum, sed tantum ad vivendum valetudinem : hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa, ungues, capillos : sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt, et modo quodam suo vivunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo sensus est : hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ esse summum, quod vocatur animus, in quo intelligentia præeminet : hoc præter hominem omnes carere mortales, in qua, quoniam homines Deo videntur esse similes, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem genium vocari. Sic ergo et in anima mundi tres gradus instituens, unam partem ejus lapides esse dicit ac ligna : et hanc terram quam videmus, quò non permanat sensus. Aliam verò, quam sensum

[1] Lib. 1, Retract., cap. 11. — [2] Lib. 7, de Civit. Dei, cap. 23. — [3] Ibid.

vocat ejus, ut æthera. Tertiam porrò, quam et animam ejus nuncupat, quæ scilicet pervenit in astra : eam quoque asserit facere deos, et per ea quod in terram permeat, deam Tellurem : quod autem inde permeat in mare atque oceanum, deum esse Neptunum. *Sic tamen ut* [1] Deus unus, de quo multi à Poeta nobilissimo dictum putant

> Deum namque ire per omnes
> Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum :

ipse in æthere sit Jupiter, ipse in aere Juno, ipse in mari Neptunus, in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, *etc.* [2] Hæc, *inquam*, omnia, quæ dixi, et quæcumque non dixi (non enim omnia dicenda arbitratus sum), hi omnes dii deæque sit unus Jupiter : sive sint, ut quidam volunt, omnia ista partes ejus : sive virtutes ejus, sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum, [3] qui universam istam molem ex quatuor, vel quot eis placet, elementis constructam atque compactam implet et movet ; [4] quæ sententia velut magnorum multorumque doctorum est.

Ita [5] inter *profanos* illi sibi videntur religiosissimi, qui universam simul creaturam, id est, mundum totum cum omnibus, quæ in eo sunt ; et vitam, qua spiratur et animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt : hoc ergo totum simul unum Deum magnum esse arbitrantur, cujus partes sint cætera.

Quid [6] illud ? nonne debet movere acutos homines, vel qualescumque homines ? Non enim ad hoc ingenii opus est excellentia, ut deposito studio contentionis attendant, si mundi anima Deus est, eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, atque iste Deus est sinus quidam naturæ, in seipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua vivificatur tota ista moles, vitæ atque animæ cunctorum viventium pro cujusque nascentis sorte sumantur, nihil omnino remanere posse, quod non

[1] Ibid., lib. 4, cap. 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. de Vera Relig., cap. 37. — [6] Lib. 4, de Civit. Dei, cap. 12.

sit pars Dei. Quod si ita est, quis non videat quanta impietas et irreligiositas consequatur : ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet : et in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur ? Nolo omnia dicere quæ possunt occurrere cogitantibus : dici autem sine verecundia non possunt.

Propterea [1]Socrates audacior cæteris *gentium Philosophis* fuisse perhibetur jurando per canem quemlibet, et lapidem quemlibet, et quicquid juraturo esset in promptu, et quasi ad manum occurrisset ; [2] non quod vere lapis et canis essent colenda sapientibus ; sed, ut hoc modo [3]illos, qui mundum istum visibilem summum Deus esse opinabantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens, ut quilibet lapis tanquam summi Dei particula jure coleretur ; quod si exsecrarentur, mutarent sententiam, et unum Deum colerent, quem solum supra mentes nostras esse et totum istum mundum fabricatum esse constaret.

Si [4]autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt : non video quidem si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separent. Sed obluctari quid opus est ? De ipso rationali animante, id est, homine, quid infelicius credi potest, quàm Dei partem vapulare, cùm puer vapulat? Jam verò partes Dei fieri lascivas, iniquas, impias, atque omnino damnabiles, quis ferre possit, nisi qui prorsus insanit ? Postremò quid irascitur eis, à quibus non colitur, cùm à suis partibus non colatur ?

CAPUT IX.

NON UNAM OMNIUM ANIMAM GENERALEM ESSE ADMITTENDAM ; SED SINGULAS SINGULIS ANIMALIBUS ESSE ASSIGNANDAS : CUM ALTERIUS PROPRIA SEU SENSATIO, SEU INTELLECTIO NULLATENUS PERCIPIATUR AB ALTERO.

De [5]numero animarum *modò dicendum est.* [6]Plerique *autem* volunt, *ut supra jam observavimus*, esse in mundo

[1]Lib. de Vera Relig., c. 1. — [2]Ib. — [3]Ib. — [4]L. 41, de Civit. Dei, c. 13. — [5]Lib. de Quant. animæ, c. 23 — [6]Lib. contra Felician. arian., cap. 22.

animam generalem, quæ sic ineffabili motu semina cuncta vivificet, et non sit concreta cum genitis, sed vitam præstet ipsa gignendis. *Quod si verum est* : cum hæc in uterum passibilem, materiam ad usus suos formatura pervenerit, unam facit secum esse personam ejus rei, quam non eamdem constat habere substantiam : et fit operante anima et patiente materia, ex duabus substantiis unus homo : cùm aliud anima doceatur esse, aliud caro : sicque animam nasci *fatendum* ex utero, quam ad uterum venientem vitam dicimus contulisse concepto. Nasci, inquam, ex matre dicitur, quia ex hac sibi corpus aptavit, in quo nasci posset : non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset.

Ex [1] matris utero cum corpore *dicendum* animam nasci, sed etiam matre priorem videmus animam prædicari. In filio mater animam gignit, sed tamen etiam in ipsa matre non nisi anima vivit, sine qua nec ipsa quidem potest esse quæ genuit. Itaque si originem animantis potentiæ requiramus, prior est anima matre, et ex hac rursus nata videtur esse cum sobole. Prior, inquam, anima, per quam mater est animata : prior mater, per quam in filio nata videtur et anima : sed non mater in carnem animam vertit, nec carnem in animam commutavit, sed animatam carnem de utero matris *asserendum* exhiberi [2] per dispensationem analogiæ diversa, *corpus nimirum et animam*, jungentis in uno atque eodem homine, et utrumque insolubili unitate *conjungi*, et neutrum ex alterius participatione *confundi*.

At [3] cum eam rem, non pro fide sui, sed pro *alienæ sententiæ* ostensione nunc profero, non in ea me conjicias explicare quod credo, sed *eam* me *tantùm explicare* ad præsens puta, ut intelligere facilius possis ista, quæ [4] plerique volunt.

Cum [5] *ergo* talia proponimus, oppugnanda prædicamus. [6] Si *enim* dixero unam esse animam, cunctaberis quod in altero beata est, in altero misera : nec una res simul et beata et misera esse potest.

[1] Lib. contra Felician arian, cap. 12 (supposit.). — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Quantit. animæ cap. 23.

Quid [1] *igitur* quæro, utrum sensus corporis meus idem sit qui tuus, an verò meus non sit nisi meus, et tuus non sit nisi tuus? Quod si non ita esset, non possem per oculos meos videre aliquid, quod tu non videres. Concede prorsus, quamvis ejusdem generis, tamen singulos nos habere sensus videndi, vel audiendi, vel quoslibet, alios cæterorum. Non enim solùm videre, sed etiam audire aliquis hominum potest, quod alius non audiat; et aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire, quod alius non sentiat. Unde manifestum est, et tuum non nisi tuum, et meum sensum non esse nisi meum.

Hoc idem respondebis de *ipso* etiam sensu interiore? an aliquid aliud? Nihil sanè aliud *potes*: nam et ille utique sensum meum sentit meus, et tuum sentit tuus: nam ideo plerumque interrogor ab eo, qui aliquid videt, utrum hoc etiam ego videam; quia ego me videre aut non videre sentio, non ille qui interrogat.

Quid? ipsam rationem, nonne unusquisque nostrum habet suam? Quandoquidem fieri potest, ut ego aliquid intelligam, cum tu id non intelligis: nec utrum intelligam tu scire possis, ego autem sciam.

Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere. *Sicque* [2] tot *esse* mentes hominum quot homines sunt; unde nec ego de tua mente aliquid cerno, nec tu de mea. *Quod certe de ipsis etiam omnium viventium animabus cum proportione dicendum esse liquet.*

CAPUT X.

UNICAM IN QUOLIBET HOMINE, IDEOQUE IN QUOLIBET ETIAM ALIO ANIMALI ANIMAM EXISTERE; ITA UT EADEM PRORSUS RATIONALIS ANIMA OMNIBUS PLANE, CUM RATIONALIBUS, TUM SENSITIVIS OPERATIONIBUS, QUÆ VARIA EJUS OFFICIA DICUNTUR, EXERCENDIS ABUNDE SUFFICIAT: NEC EX ÆSTUANTE, MODO IN BONAM, MODO IN MALAM PARTEM, DELIBERATIONE DUPLEX ANIMÆ GENUS IN NOBIS EVINCI.

Constat *etiam* [3] esse aliquid in anima *rationali*, quod propriè spiritus nominetur; quo excepto propriè nominetur

[1] L. 2, de Lib. arb., c. 7. — [2] Ib., c. 9. — [3] L. 4, de Anim. et ejus orig., c. 22.

anima. [1]Propriè *quippe* dicitur spiritus, non universa anima, sed aliquid ipsius, [2]id est, quo ratiocinamur et intelligimus; *seu* [3]rationale nostrum, quo sentit atque intelligit anima : non sicut sentit corporis sensibus ; sed sicut ille est internus sensus, ex quo appellata est sententia.

Hunc [4] autem spiritum mentem videtur appellare *Apostolus*, cum dicit : mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. [5]Mentem quippè nostram, nisi rationale et intellectuale nostrum, dicere non solemus: ac per hoc, quod ait idem Apostolus. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ*, quid aliud dicit, nisi renovamini mente vestra? Sic enim spiritus mentis nihil est aliud, quam mens, quomodo corpus carnis nihil aliud potest esse, quàm caro : nam et hoc scriptum est : *In exspoliatione corporis carnis* : ubi carnem corpus carnis appellat.

Cum [6] igitur disserimus, *exempli gratia*, de natura mentis humanæ, de una quadam re disserimus ; nec eam in hæc duo, quæ commemoravi, nisi per officia, geminamus : *sicut* [7]diversa per sensus ago unus ego animus. *Sicque* [8]ascendentes introrsus quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, *primò quidem* [9]illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus. *Deinde verò* [10]incipit aliud occurrere, quod non sit nobis commune cum bestiis, unde incipit ratio, ubi homo interior jam possit agnosci. *Et quanquam anima rationalis* [11]dat imaginibus corporum formandis quiddam substantiæ suæ, servat *tamen* aliquid, quo liberè de specie talium imaginum judicet : et hoc est magis mens, id est, rationalis intelligentia.

Hincque est quod [12] sensu nos multæ bestiæ superant, [13]quod anima belluarum magis corpori affixa est, cujus illi sunt sensus quibus utitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit. Humana verò anima propter rationem atque scientiam, de quibus agimus, quod

[1]Ibid. — [2]Ibid. — [3]Ibid., cap. 23. — [4]Ibid., cap. 22. — [5]Ibid. — [6]Lib. 12, de Trinit., c. 3. — [7]Lib. 10, Confess., cap. 7. — [8]Lib. 12, de Trin., cap. 8. — [9]Ibid , lib. 10, c. 5. — [10]Ibid., lib. 12, cap. 8. — [11]Ibid., lib. 10, cap. 5. — [12]Lib. de Quant. animæ, cap. 28. — [13]Ibid.

sunt ista longè præstantiora sensibus, suspendit se a corpore quantum potest, et ea quæ intus est, libentius fruitur voluptate; quantoque in sensus declinat, tantò magis similiorem hominem pecori facit. Inde est quòd etiam pueri vagientes, quanto alieniores à ratione sunt, tantò facilius discernunt sensu etiam contactum conjunctionemque nutricum; nec odorem aliarum possunt sustinere, cum quibus consuetudo non fuit.

Sic et eamdem ob causam[1] dicendum est de infantis mente ita adhuc parvuli, et in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis, quæ aliquid novit, exhorreat; *quod*[2] intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tantò majore, quantò noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare *quidem* se potest, *ut dicetur inferius*, sed *tamen* cogitare se non potest.

An[3] *verò* hinc ostendi *potest* animarum duo esse genera, quòd in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat assensio? Cur non magis hoc signum est unius animæ, quæ libera illa voluntate huc et illuc ferri, hinc atque hinc referri potest? Nam mihi cum accidit, unum me esse sentio utrumque considerantem, alterutrum eligentem. Sed plerumque illud libet, hoc decet, quorum nos in medio positi fluctuamus. Nec mirum: ita enim nunc constituti sumus, ut et per carnem voluptate affici, et per spiritum honestate possimus. Quare non duas animas hinc fateri cogor. Possumus enim meliùs et multo expeditiùs intelligere duo genera rerum bonarum, quorum tamen neutrum ab auctore Deo sit alienum, unam animam ex diversis afficere partibus, inferiore ac superiore, vel quod rectè ita dici potest, exteriore atque interiore. Ita sunt duo genera, quæ sensibilium et intelligibilium nomine paulò ante tractavimus quæ carnalia et spiritalia libentius et familiarius nos vocamus. Sed factum est nobis difficile à carnalibus abstinere, cùm panis verissimus noster spiritalis sit. Cum labore namque nunc edimus panem. Neque enim nullo in supplicio sumus, peccato trangressionis mortales ex im-

[1] Lib. 14, de Trinit., c. 5. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Duab. animabus, cap. 13.

mortalibus facti. Ideo contingit, ut cùm ad meliora conantibus nobis consuetudo facta cum carne, et peccata nostra quodammodo militare contra nos, et difficultatem nobis facere cœperint, nonnulli stulti aliud genus animarum, quod non sit ex Deo, superstitione obtusissima suspicentur.

Quamobrem [1] quid habet argumenti æstuans in utramque partem deliberatio, modò in peccatum prona, modò in rectè factum subvecta : ut duo animarum genera, quorum alterius natura ex Deo sit, alterius non sit, cogamur accipere, cùm alias tot causas alternantis cogitationis conjicere liceat?

CAPUT XI.

NEC PLURES SIBI INVICEM ANIMAS IN HUMANO ETIAM FETU SUCCEDERE; QUI NEC MAGIS, QUAM ARBOR, ANIMA INDIGET ANTE SENSUM; NEC, DUM SENTIRE INCIPIT, ALIAM QUAM RATIONALEM ANIMAM, SED SOPITAM, QUALIS IN PUERO INFANTE DEPREHENDITUR, HABERE CREDENDUS EST; NE BELLUAM QUAMDAM CUM HUMANI CORPORIS FIGURA TUNC ESSE FETUM, NEC ALIQUANDO CUM ALIIS RESURRECTURUM, ADMITTAMUS.

Ut *autem* [2] de illa vita *breviter* dicam, quæ in utero agitur (non enim puto esse nullam), [3] scrupulosissimè inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod utrum ab homine inveniri possit ignoro, quando incipiat homo in utero vivere. Utrum sit quædam vita et occulta, quæ nondum motibus viventis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur et ejiciuntur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur.

Ex [4] quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest. Mortuus verò ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum. [5] Neque enim et monstra, quæ nas-

1 Lib. de Duabus anim., c. 13. — 2 Lib. 2, Soliloq., c. 20. — 3 Enchirid. ad Laurent., cap. 86. — 4 Ibid. — 5 Ibid., cap. 87.

cuntur et vivunt, quamlibet citò moriantur, resurrectura negabuntur.

Quod ergo spectat [1] ad abortivos fetus, qui cum jam vixissent in utero, ibi sunt mortui: [2] non video quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui resurgent, et erunt aliquæ humanæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana, quamvis intra viscera materna, gestarunt: aut si omnes animæ humanæ recipient resurgentia sua corpora, quæ habuerunt ubicumque viventia, et morientia reliquerunt, non invenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in uteris matrum.

Si [3] *autem* resurrecturos eos dixerimus, qui jam formati sunt, *habuerunt utique* [4] mentem, hoc est rationalem animam, qua homo à pecoribus secundum animum differt. *Nam et* [5] mente quidem sopita *vivit* puer infans, *id est*, [6] ratio et intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicet atque exercenda ætatis accessu, quæ sit scientiæ capax atque doctrinæ, et habilis perceptioni veritatis et amori boni. *Sed* [7] quamvis ratio vel intellectus nunc in anima humana sit sopitus, nunc parvus, nunc magnus appareat; nunquam *tamen* nisi rationalis et intellectualis est.

Quin etiam [8] si videmus infantilem animam, jam utique hominis animam, nondum cœpisse uti ratione, et tamen eam rationalem jam dicimus: cur non credatur, *si vita est aliqua sine sensu*, sic *in fetu, statim ac vivere cœpit*, quietum esse motum etiam sentiendi: sicut in ista infantili, quæ jam certè est anima hominis, quietus est adhuc motus ratiocinandi.

Qui autem [9] animam irrationalem *fetum primò* habere voluerunt *proindeque* rationalem *ipsi tunc* negaverunt, *necessariò* dederunt ei animam hominis. [10] Fatendum *enim*, si

[1] Lib. 22, de Civit. Dei, c. 13. — [2] Ibid. — [3] Enchirid. ad Laurent., c. 86. — [4] Lib. 83 qq., q. 80. — [5] Lib. 14, de Trinit., cap. 14. — [6] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 24. — [7] Lib. 14, de Trinit., cap. 14. — [8] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 7. — [9] Tract. 48, in Joann. — [10] Lib. 83 qq. q. 80.

ita est, belluam quamdam cum figura humani corporis *tunc esse fetum : sicut* [1] oculi *verbi gratia* carnis sine mente belluini sunt.

Si [2] *verò* hoc solum tunc esset in nobis, *ut* [3] interno motu, *de quo jam superius, de plantarum anima disserendo,* [4] crescerent corpora nostra, [5] sine sensu, motuque illo spontaneo, [6] qui sensui copuletur ad corporis administrationem, [7] non diceretur, *sicut ibidem jam observatum fuit,* homo factus in animam vivam.

CAPUT XII.

NULLAM PRORSUS ANIMAM ESSE CORPUS, ID EST, REM QUANTAM, SEU IN LONGUM, LATUM, VEL PROFUNDUM EXTENSAM.

Quæris *nunc fortè,* [8] quanta sit anima ; utrum ejus quasi spatium *sit* latitudinis, vel longitudinis, vel roboris, vel horum simul omnium.

Illud [9] *certè* dici non potest, nec omnino intelligi de anima. Non enim ullo modo aut longa, aut lata, aut quasi valida suspicanda est anima. Corporea ista sunt, ut mihi videtur, et de consuetudine corporum sic animam quærimus.

Quamobrem [10] quanta sit anima secundum inquisitionem hanc tibi respondere non possum ; sed possum affirmare, neque illam longam esse, nec latam, nec robustam, neque aliquid horum, quæ in mensuris corporum quæri solent.

Anima *igitur* non est corpus, [11] si *tamen* hoc dixeris corpus, quod et nos, id est, naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem.

[1] Lib. 14, de Trinit., c. 14. — [2] Lib. 7, de Gen. ad litt., c. 16. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Lib. de Quant. animæ, cap. 3. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 21.

CAPUT XIII.

PRIMA PROPOSITÆ CAPITE PRÆCEDENTI DOCTRINÆ RATIO EX EO DESUMITUR, QUOD ANIMA SUPERIOR EST CORPORE; QUIPPE QUÆ VITAM EI PRÆBET, QUAM NULLUM CORPUS CORPORI PRÆSTARE POTEST : CUM IPSI NULLUS, SEU MOTUS, SEU SENSUS, SINE QUIBUS NULLA PRORSUS VITA POTEST INTELLIGI, SED SOLA SECUNDUM VARIAS DIMENSIONES EXTENSIO, PER SE COMPETAT.

Primo enim [1] superior est anima, quam corpus; et [2] id, quod ipsâ inferius, hoc est, corpus facit vivere. [3] Tu *quippe* melior es, tibi dico, anima; quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam; quod nullum corpus præstat corpori.

Non [4] *enim* mihi videtur *factum aliquid* in animam vivam, nisi quia sentire cœpit in corpore, quod est animatæ viventisque carnis certissimum indicium. [5] Sentire *autem* non est corporis; sed animæ per corpus. *Sic enim* [6] dolere quidem anima, etiam non dolente corpore, potest : dolere autem corpus sine anima non potest. [7] Non enim vel ipse, qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima. [8] Ab anima igitur corporis sensus et vita. [9] Ab anima spontaneus corporis motus.

Corpus [10] *certè*, nisi de anima, non *videt. Videt quidem* per oculum; sed intus est, qui per fenestras aspicit. Denique discedente habitatore jacet domus; discedente, qui regebat, cadit quod regebatur : et quoniam cadit, cadaver vocatur. Nonne ibi oculi integri? Etsi pateant, nihil vident. Aures adsunt; sed migravit auditor. Linguæ organum manet; sed abscessit musicus, qui movebat.

Anima vero [11] ex operibus quibusdam suis ostendit se vivam. Nisi enim viveret, corpus non moveret; pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum non

[1] Tract. 32, in Joann. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, Confess., c. 6. — [4] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 16. — [5] Ibid., lib. 3, cap. 5. — [6] In Psalm. 87. — [7] Ibid. — [8] Lib. 21, de Civ. Dei, c. 3. — [9] Lib. 7, de Genesi ad litt, c. 15. — [10] Serm. 143, de Tempore — [11] Tract. 19, in Joannem.

imperaret; non aperiret os ad vocem; linguam ad distinctionem vocum non moveret. His itaque operibus vivere se ostendit, et esse aliquid quod sit corpore melius. [1]Nihil *enim* horum fieri potest, si non sit corpore melior.

Semper[2] *igitur* corpus, quoniam corpus est, infra animam est; et quævis anima vilis excellentissimo corpore excellentior invenitur.

Ego certè[3] Manichæorum laqueis *adhuc irretitus*, [4]si tempore illo quæstionem de ipsa vita ([5]de anima enim *loquor*, de spontaneo et vivido motu, de actu, de vita) mea cogitatio ferre ac sustinere posset (quæ profectò magna est et multùm serenæ disputationis inter doctissimos indigens) illud inspicere fortè valuissem, quod omni homini sese sine studio partium benè consideranti manifestissime apparet, omnibus *sensibus corporis sensum interiorem* longè lateque præstare et excellere? [6]Quid *enim*? illum sensum interiorem dubitabisne huic sensui *corporis* præponere? [7]Quis mihi non vel ingratus concederet, [8]sensum interiorem huic sensui, quo sentimus corpora, esse præferendum. [9]Quo constituto atque firmato, illud consequi *perspicerem*, ut cuncta, quæ tactu, et visu, vel quolibet alio modo corporaliter sentirentur, tantò essent inferiora his, quæ *interiore sensu* assequeremur, quantò ipsos sensus *corporis interiori sensui* cedere videremus. Quamobrem cum omnis vita, et ob hoc omnis anima nullo corporis sensu, sed solo *sensu interiore*, percipi queat : sol autem iste atque luna, omnisque lux *corporea*, mortalibus his oculis cernatur : [10]credo veniret in mentem, tantò esse quamlibet animam ([11]illud *enim* ipsum tantùm, quod *anima* vivat, attenderem) luci, quam per hos sentimus oculos præferendam, quantò *sensum interiorem* ipsis oculis præferremus.

Volverem[12] mecum hæc, loquerer mecum, deferrem ad alios, quæ vis esset *interior sentiendi*. [13]Colligerem primò

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 13. — [2] In Psal. 145. — [3] Lib. de Duabus animabus, cap. 1. — [4] Ibid., cap. 2. — [5] Ibid., c. 3. — [6] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 5. — [7] Lib. de Duabus animabus, cap. 2. — [8] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 5. — [9] Lib. de Duabus animabus, cap. 2. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid., c. 3. — [13] Ibid.

longè esse sensui oculorum istorum *vim illam* anteponendam : deinde subjungerem id, quod re meliore perciperemus, necessariò melius judicandum. Quis hoc non daret? Ergo pergerem quærere anima *ulla* oculisne sentiretur istis, an *sensu interiore cerneretur? Interiore sensu* faterentur. [1]Vitam *enim* suam, *ut supra jam diximus et pluribus infra docebitur*, in qua nunc vivit in corpore, et hæc terrena membra vegetat, facitque viventia; interiore sensu quisque, non per corporeos oculos, novit. [2]Intima scientia est, qua nos vivere scimus. [3]Quibus omnibus inter nos convenientibus atque confirmatis, quid conficeretur ostenderem; animam scilicet *quamlibet* luce ista *corporali* esse meliorem; quandoquidem illa *sensu interiore animi*, hæc sensu innotescit.

Hic verò hærerent fortasse, ducemque rationem sequi recusarent : tanta est vis veternosarum opinionum, et diu defensæ atque creditæ falsitatis. Sed ego instarem magis hærentibus, non asperè, non pueriliter, non pervicaciter; repeterem quæ concessa sunt; et quæ essent concedenda, monstrarem. Hortarer ut in commune consulerent; viderent certè quid nobis negandum esset, utrum intellectum istis carneis luminibus præferendum, an excellentius esse quod animi excellentia, quàm quod vili sensu corporis cognoscitur, falsum putarent : an illas animas, quas alienigenas crederent, tantum intelligendo, id est, ipsa animæ excellentia sciri posse nollent fateri : an solem ac lunam non nisi istis oculis notos fieri vellent abnuere. Quod si nihil horum nisi absurdissimè atque impudentissimè negari posse animadverterent; suaderem non eos oportere dubitare istam lucem, quam colendam prædicarent, esse anima illa viliorem, quam fugiendam monerent.

Atque[4] hìc si fortè turbati à me quærerent, num etiam muscæ animam huic luci præstare censerem; responderem: Etiam; nec me terreret musca, quòd parva est; sed quòd viva, firmaret. Quæritur enim, *quod supra jam quæsitum*

[1]Lib. 12, de Civ. Dei, c. 29. — [2]Lib. 15, de Trinit., cap. 12. — [3]Lib. de Duabus animabus, cap 3. — [4]Ibid., cap. 4.

est, quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentis pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret? Quod qualecumque est, bene considerantibus, in tam parvo tam magnum eminet, ut cuivis fulgori perstringenti oculos præferatur.

Quærerem [1] *deinde* quid ad sensum propriè pertineret oculorum : invenirem colores, quorum principatum lux ista obtineret. [2] Unde colligerem tantò cæteris corporeis et sensibilibus præstare lucem, quantò aliis sensibus aspectus esset illustrior. [3] Et ideo animam, inquantum anima esset, et vitæ participaret, sine qua nullo pacto anima esse potest, rectissimè omnibus sensibilibus *seu corporibus* anteferri. [4] Quomodo *igitur* ex eo genere aliquid esset, cum ejusdem generis summum non sit nisi lumen, quo illa *est præstantior?* [5] At si erit corpus, melior corpore profectò non erit.

Non [6] est *igitur* eadem natura corporis et animæ. [7] Natura *enim* animæ præstantior est, quàm natura corporis ; excellit multùm ; *ideoque* res spiritualis est, res incorporea est. Invisibile quiddam est, regit corpus, movet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines.

Quis [8] *itaque* quod Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamque post mortem in easdem atomos solvi atque interire, id verum ac sibi credendum arbitretur ; *sicque* [9] à rebus non vivis res vivas fieri posse *sibi persuadeat* sicut Epicurei ? [10] Epicurus *enim* sentit inesse concursioni atomorum vim quamdam animalem et spiritalem. [11] Quorum corpusculorum concursu et animantia, et ipsas animas, fieri dicit.

Anima [12] quidem in corporis *quibusdam partibus*, tanquam in organis, agit. At nihil horum est ipsa ; sed vivificat et regit omnia, et per hæc corpori consulit. [13] Namque

[1] Ibid., cap. 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 14. — [5] Lib. de Immort. animæ, cap. 13. — [6] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 3. — [7] In Psalm. 145. — [8] Lib. de Utilit. credendi, cap. 3. — [9] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 5. — [10] Epist. 56, ad Dioscorum. — [11] Ibid. — [12] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 8. — [13] Ibid., cap. 20.

aliud esse ipsam, aliud hæc ejus corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt, hinc evidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus rectèque valentibus multa posita nesciat, et si major intentio est, dum ambulabat, repentè subsistat, avertens utique imperandi nutum à ministerio motionis, qua pedes agebantur. Si autem non tanta est cogitationis intentio, ut figat ambulantem loco; sed tamen tanta est, ut partem illam cerebri mediam nuntiantem corporis motus, non vacet advertere, obliviscitur aliquando et unde veniat, et quò eat, et transit imprudens villam quò tendebat, natura sui corporis sana, sed sua vi in aliud avocata.

CAPUT XIV.

SECUNDA EJUSDEM DOCTRINÆ RATIO EX EO PETITUR, QUOD SUAM SEU COGITATIONEM SEU SUBSTANTIAM, ET QUIDEM TOTAM, ANIMA CERTISSIMÈ VIDET; NEC ULLAM TAMEN IN IIS, VEL EXTENSIONEM, VEL FIGURAM, VEL COLOREM, DEPREHENDIT.

Desinat [1]ergo nunc *anima* suspicari se esse corpus; quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quæ magis se novit, *ut infra dicetur,* quàm cœlum et terram, quæ per sui corporis oculos novit; nec *tamen* ipsa sibi tale aliquid occurrit, cum se nescire non possit, *quæ* [2]seipsam totam novit, *ideoque* substantiam suam novit, *ut pluribus infra demonstrabitur.*

Vides [3]*certè* voluntatem tuam, inquisitionem, scientiam, ignorantiam; [4]sic vides hæc omnia, ut in te videas, apud te habeas. Sine ullis *tamen* figurarum lineamentis colorumque nitoribus, tantò clariùs et certiùs, quantò simplicius interiusque conspicis. [5]Quis *etiam* non videt cogitationem suam?

Si [6]*autem* vides, dic mihi qualis vel quanta sit, utrum

[1] Ibid., cap. 21. — [2] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [3] Epist. 112. — [4] Ibid. — [5] Lib. 15, de Trinit., c. 9. — [6] Lib. 3, de Symb., cap. 3.

THE INSTITUTE OF ... ST. MICHAEL'S COLLEGE LIBRARY

quadrata, an rotunda; utrum lenis, an aspera; utrum calida, an frigida; utrum alicujus coloris, an omni colore carens?

CAPUT XV.

TERTIA EJUSDEM DOCTRINÆ RATIO EX EO DESUMITUR, QUOD ANIMA DE SE QUIDEM EST CERTISSIMA, QUOD NEMPÈ SENTIAT AUT COGITET; DE QUO NULLUS UNQUAM DUBITARE POTUIT: NEC TAMEN EST CERTA UTRUM SIT CORPUS: CUM ALII QUIDEM ALIUD, ALII ALIUD CORPUS ANIMAM ESSE PUTAVERINT.

Errat autem *anima*, [1] cum se corporum imaginibus tantò amore conjungit, ut etiam se esse aliquid hujusmodi existimet. [2] Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum sensarum imagines secernere à se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim mirabiliter glutino amoris; et hæc est ejus immunditia; quoniam dum se solam nititur cogitare, hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare, *Et ita quidem, ut* [3] non se imaginem *duntaxat corporis* putet, sed omnino illud ipsum, cujus imaginem secum habet.

Cum [4] itaque se tale aliquid putat, corpus esse se putat. Et quia sibi bene conscia est principatus sui, quo corpus regit; hinc factum est, ut quidam quærerent quid corporis amplius valeret in corpore: et hoc esse mentem, vel omnino totam animam existimarent. Itaque alii sanguinem, alii cerebrum, alii cor, non sicut Scriptura dicit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*; et, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: hoc enim abutendo vel transferendo vocabulum ducitur à corpore ad animam: sed ipsam omnino particulam corporis, quam in visceribus dilaniatis videmus, eam esse putaverunt. Alii ex minutissimis individuisque corpusculis, quas atomos dicunt, concurrentibus in se atque cohærentibus, eam confici crediderunt. Alii aerem, alii ignem substantiam ejus esse dixerunt. Alii eam nullam esse

[1] Lib. 10, de Trinit., c. 6. — [2] Ibid., cap. 8. — [3] Ibid., cap. 6. — [4] Ibid., cap. 7.

substantiam, quia nisi corpus nullam substantiam poterant cogitare, et eam corpus esse non inveniebant : sed ipsam temperationem corporis nostri, vel compagem primordiorum, quibus ista caro tanquam connectitur, esse opinati sunt. [1]Nam de quinto illo nescio quo corpore, quod notissimis quatuor hujus mundi elementis, quidam conjungentes, hinc animam esse dixerunt, hoc locò diu disserendum non puto. Si enim hoc vocant corpus quod nos, cujus in loci spatio pars toto minor est : et in illis annumerandi sunt, qui mentem corpoream esse crediderunt.

In [2] his omnibus sententiis quisquis videt *animæ* naturam et esse substantiam et non esse corpoream, id est, non minore sui parte minus occupare loci spatium, majusque majore ; simul oportet videat eos, qui opinantur esse corpoream, [3]ob hoc errare, [4] quod adjungunt ea, sine quibus nullam possunt cogitare naturam. Sine phantasiis enim corporum quicquid visi fuerint cogitare, nihil omnino esse arbitrantur.

Non [5]ergo adjungat aliud *anima* ad id, quod seipsam cognoscit. [6]Nam se esse et vivere scit. Cum ergo verbi gratia aerem se putat *anima*, aerem *vivere* putat; se tamen *vivere* scit : aerem autem se esse non scit, sed putat. Secernat quod se putat; cernat quod scit; hoc ei remaneat, unde ne illi quidem dubitaverunt, qui aliud atque aliud corpus esse animam putaverunt. Neque enim omnis *anima* aerem se esse existimat ; sed aliæ ignem, aliæ cerebrum, aliæque aliud corpus, et aliud aliæ, sicut supra commemoravi : omnes tamen se *cogitare* noverunt et esse, et vivere.

Quoniam ergo de *animæ* natura *jam* agitur, removeamus à consideratione nostra omnes notitias, quæ capiuntur extrinsecùs per sensus corporis ; et ea quæ posuimus, omnes *animas* de seipsis nosse, certasque esse, diligentiùs attendamus. Utrum enim aeris sit vis vivendi, reminiscendi *seu recordandi*, [7] volendi *seu appetendi*, cogitandi ; [8] an ignis,

[1] Lib. 10, de Trinit. c. 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. 10. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

an cerebri, an sanguinis, an atomorum, an præter usitata quatuor elementa, quinti nescio cujus corporis, an ipsius carnis nostræ compago, vel temperamentum hæc efficere valeat, dubitaverunt homines : et alius hoc, alius aliud affirmare conatus est. Vivere se tamen et meminisse, et [1] velle, et cogitare [2] quis dubitet ?

Hæc [3] omnia, qui vel corpus, vel compositionem seu temperationem corporis esse *animam* putant, in subjecto esse volunt videri ; ut substantia sit aer, vel ignis, sive aliquod aliud corpus, quod *animam* putant : *cogitatio* verò ita insit huic corpori, sicut qualitas ejus : ut illud subjectum sit, hæc in subjecto : subjectum scilicet mens quam corpus esse arbitrantur, in subjecto autem *cogitatio*, sive quid aliud eorum, quæ certa nobis esse commemoravimus. Juxta opinantur etiam illi qui *animam* ipsam negant esse corpus, sed compaginem aut temperationem corporis. Hoc enim interest, quod illi *animam* ipsam dicunt esse substantiam, in quo subjecto sit *cogitatio* : isti autem ipsam *animam* in subjecto esse dicunt, corpore scilicet cujus compositio vel temperatio est. Unde consequenter etiam *cogitationem* quid aliud quàm in eodem subjecto corpore existimant ?

Qui [4] omnes non advertunt, animam nosse se totam sicut *inferiùs* ostendemus. [5] *At* cum se *anima* novit substantiam suam novit ; et cum de se certa est, de substantia sua certa est. Certa est autem de se, *sicut jam diximus ;* [6] nec omnino certa est utrum aer, an ignis sit, an aliquod corpus, vel aliquid corporis. Non est igitur aliquid eorum. *Itaque* [7] certa sit, non se esse aliquid eorum, de quibus incerta est ; idque solum esse se certa sit, quod solum esse se certa est.

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

CAPUT XVI.

QUARTA EJUSDEM DOCTRINÆ RATIO EST, QUIA, SI QUOD ANIMA CORPUS ESSET, ILLUD NON SICUT CÆTERA OMNIA PER IMAGINALE FIGMENTUM; SED SICUT SE IPSAM, SUAMQUE COGITATIONEM QUADAM INTERIORE, NON SIMULATA, SED VERA PRÆSENTIA, COGITARET.

Sic *certè* [1] cogitat ignem, aut aerem, et quicquid aliud corporis cogitat *anima*. Neque ullo modo fierit posset, ut ita cogitaret id quod ipsa est, quemadmodum cogitat id quod ipsa non est. Per phantasiam quippe imaginariam cogitat hæc omnia, sive ignem, sive aerem, sive illud vel illud corpus, partemve illam, sive compaginem temperationemque corporis : nec utique ista omnia, sed aliquid horum esse dicitur. Si quid autem horum esset, aliter id quàm cætera cogitaret, non scilicet per imaginale figmentum, sicut cogitantur absentia, quæ sensu corporis tacta sunt, sive omnino ipsa, sive ejusdem generis aliqua, sed quadam interiore, non simulata, sed vera præsentia, non enim quicquam illi est seipsa præsentius : sicut cogitat vivere se et meminisse et velle se. Novit enim hæc in se, nec imaginatur quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se putet, quicquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est.

CAPUT XVII.

QUINTA EJUSDEM DOCTRINÆ RATIO IN EO POSITA EST, QUOD ANIMA IN SINGULIS CORPORIS SUI PARTICULIS SICUT TOTA SENTIT, ITA ETIAM TOTA PRÆSTO EST; QUOD NULLI PRORSUS CORPORI COMPETERE MANIFESTUM EST.

Nec [2] omnino potest esse aliquod corpus, sive cœleste, sive terrestre, sive aereum, sive humidum, quod non minus sit in parte quàm in toto : neque ullo modo possit

[1] Lib. 10. de Trinit., cap. 10. — [2] Contra Epist. Manich., cap. 16.

in loco hujus partis simul habere aliam partem : sed aliud hic et aliud alibi habens per quælibet spatia locorum distanti et dividua, vel potius, ut ita dicam, sectili mole distenditur.

Animæ verò natura, etiamsi non illa ejus potentia consideretur, qua intelligit veritatem, sed illa inferior qua continet corpus et sentit in corpore, nullo modo invenitur locorum spatiis aliqua mole distendi. [1]Nam anima non modò universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique partĭculæ illius tota simul adest. [2]Singulis sui corporis particulis tota præsto est, cum tota sentit in singulis : nec minor est pars ejus in digito, et major in brachio, sicut ipse digitus brachio minor est; sed ubique tanta est, quia ubique tota est. [3]Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. [4]Cum, *verbi gratia*, tangitur digitus, non per totum corpus sentit, et tamen tota sentit; totam enim tactus ille non latet. [5]Cum *etiam* quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus; quod non fieret, nisi id quod animæ in eis partibus est, et in pede sentiret ; nec sentire quod ibi factum est absens posset.

Non enim nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat : quia passio, quæ fit, non per continuationem molis currit, ut cæteras animæ partes, quæ alibi sunt, latere non sinat ; sed illud tota sentit anima, quod in particula fit pedis ; et ibi tantùm sentit, ubi fit.

Nec[6] sic tota præsto est, cum tangitur digitus et sentit in digito, ut cæterum deserat corpus, et sese ad unum illum locum, in quo sentit, agglomeret. Sed cùm tota sentit in digito manus, si alius locus tangatur in pede, nec ibi desinit tota sentire : atque ita in singulis distantibus locis tota simul adest, non unum deserens, ut in altero tota sit, neque ita utrumque tenens ut aliam partem hìc habeat, et alibi aliam : sed sufficiens exhibere se singulis locis simul

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 16. — — [2] Contra Epist. Manich., cap. 16. — [3] Lib. de Immort. animæ, cap. 16. — [4] Contra Epist. Manich., cap. 16. — [5] Lib. de Immort. animæ, cap. 16. — [6] Contra Epist. Manich., cap. 16.

totam, quoniam tota sentit in singulis, satis ostendit se locorum spatiis non teneri.

Nam [1] in omnibus simul et in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare et amplioribus ampliora. [2] Omnia quippè talia majora sunt in majoribus locis, et nihil eorum in aliqua sui parte totum adest : sed ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Unde intelligitur anima propriam quamdam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus cogitari. [3] Tota *enim* singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Nec tamen hoc modo adest tota, ut candor vel alia hujusmodi qualitas in unaquaque parte corporis tota est. Nam quod in alia parte corpus patitur candoris immutatione, potest ad candorem, qui est in alia parte, non pertinere. Quapropter secundùm partes molis à se distantes, et ipse à se distare convincitur. Non autem ita esse in anima per sensum, de quo dictum est, probatur.

Neque [4] enim aliter, quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam, *ut supra jam diximus*, cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet; neque id quod sentitur, per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur ubi fit. Unde ergo ad totam mox pervenit, quod non in toto fit, nisi quia et ibi tota est ubi fit, nec ut tota ibi sit cætera deserit ? Vivunt enim et illa ea præsente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, et utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret.

[1] Epist. 28. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Immort. animæ, cap. 16. — [4] Epist. 28 ad Hieronym.

CAPUT XVIII.

SEXTA EJUSDEM DOCTRINÆ RATIO EX EO DEDUCITUR, QUOD MEMORIAM ETIAM SENSITIVAM, IN QUA RECIPIUNTUR SPECIES SEU IMAGINES CORPORUM, QUÆ NON CORPORA, SED CORPORUM DUNTAXAT SIMILITUDINES ESSE DEMONSTRANTUR, PRORSUS INCORPOREAM ESSE NECESSE SIT.

At, *inquis*, [1] si ventum corpus esse confitemur, negare non possum corpus mihi animam videri : nam tale aliquid eam esse cogito. [2] Ego animam non ipsum *quidem* ventum, sed tale aliquid dico.

Corpus [3] quidem ventum esse tam concedo, quàm si me de fluctu interroges. Nam nihil aliud, quàm istum aerem commotum ac agitatum ventum esse sentimus. [4] Quid *autem* hoc aere longius, et latius, et altius facile invenire potest, quem commotum, ventum esse nunc mihi persuasum est? *At modò videndum est*, [5] utrum tale aliquid anima sit, ut hoc modo etiam quanta sit intelligere possimus.

Dic [6] *itaque* mihi, quæso te, utrum ea quæ appellatur memoria tibi nomen inane videatur? Cui hoc videri potest? Animæ *autem* hanc esse arbitraris, an corporis? Et hinc dubitare ridiculum. Quid enim? exanime corpus meminisse aliquid credi aut intelligi potest? *Jam verò*, meministi, *ut opinor*, urbis Mediolanensis; et [7] quia ejus facta mentio est, recordaris quanta et qualis sit. [8] Nunc ergo, cum oculis eam non videas, animo vides. [9] Meministi, credo etiam, quanto spatio terrarum hinc à nobis longè absit; *sicque* [10] vides animo etiam ipsam locorum distantiam. [11] Cum igitur anima tua hìc sit, ubi corpus; nec ultra spatium ejus porrigatur; [12] unde fit, ut illa omnia videat? Per memoriam hæc fieri puto, non quod illis locis sit præsens. [13] Nam et quod ibi nunc agatur ignoro; quod utique non ignorarem, si animus meus usque ad ea loca porrigeretur præsentiaque sentiret.

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Quant. animæ, c. 5. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ib. — [12] Ibid. — [13] Ibid.

[1]Imagines ergo illorum locorum memoria continentur. Et [2]certè istæ imagines corporum sunt; [3]non enim aliud sunt urbes terræque, quam corpora.

Necesse est *autem* imagines corporum, si parva sunt corpora in quibus apparent, parvas apparere, *ut infra pluribus ostendetur.* Cur ergo cum tam parvo spatio sit anima quàm corpus est ejus, tam magnæ in ea possunt exprimi imagines, ut et urbes, et latitudinem terrarum, et quæque alia ingentia apud se possit imaginari? Volo enim cogites paulò diligentiùs, quanta et quam multa memoria nostra contineat, quæ utique anima nostra continentur. Qui ergo fundus est, qui sinus, quæ immensitas, *quæ* possit hæc capere, *si* et eam tantam, quantum corpus est, *fortassis existimes?* [4]Non ergo jam tibi tale aliquid videatur *anima*, qualis ventus est. [5]Nam etiamsi aer iste, cujus quasi flatum ventum esse probabiliter creditur, universum istum mundum possit implere, innumerabiles tales tantosque mundos secum anima imaginari potest, quas imagines quo spatio contineat suspicari non possum. [6]Vide ergo ne melius sit eam credere, ut superius dixeram, nec longam, nec latam, nec altam.

Epicurus[7] ista ratione *multùm* urgeri potest; *qui* [8]non vult omnino aliquid præter corpora cogitare : quæ tamen ut cogitet, imagines dicit ab ipsis rebus, quas atomis formari putat, defluere, atque in animum introire subtiliores quàm sunt illæ imagines, quæ ad oculos veniunt. Nam et videndi causam hanc esse dicit, ingentes quasdam imagines, ita ut universum mundum complectantur extrinsecùs. Intelligis autem jam, ut arbitror, quas iste opinetur imagines. Miror non *Epicureos advertisse*, vel hoc ipso falsa esse quæ dicunt, quia venientes tam magnæ imagines in tam brevem animum nostrum, si corporeus, ut illi volunt, tam parvo corpore includitur, totæ illum tangere non possunt. A magno enim corpore cum parvum corpus attingitur a toto simul attingi nullo pacto potest : quomodo igitur totæ simul cogi-

[1] Lib. de Quant. anim., cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Epist. 56. — [8] Ibid.

tantur, si intantum cogitantur, inquantum venientes atque intrantes animum attingunt, quæ nec totæ intrare possunt per tam parvum corpus, nec totæ tam parvum animum attingere? Memento me secundum illos hæc dicere : non enim ego talem animum sentio.

Nam [1] procul dubio spiritalis est, non corporalis *imaginum illarum materies* : *quandoquidem* hujusmodi species velut corporum, non tamen corpora, et vigilantium cogitatione formantur, et profunditate memoriæ continentur, et ex ejus abditissimis sinibus, nescio quo mirabili et ineffabili modo, cùm recordamur, prodeunt, et quasi ante oculos prolata versantur. Tam multas igitur et tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere cogitando vel memoria continendo non posset. Secundum tuam quippe definitionem, corporea substantia sua corpus hoc exterius non excedit.

His [2] *certè* visorum imaginibus, maximè anima probatur non esse corporea. [3] Si *enim* ejus memoriam cogitemus, non rerum intelligibilium, sed harum corporearum, quam et bestiæ habere sentiuntur : [4] quis dignè cogitet, ubi capiantur istæ imagines, ubi gestentur, vel ubi formentur? Si enim non possent esse majores, quàm nostri corporis quantitas tenet, diceret forte aliquis, intra ipsa sui corporis spatia, quibus et illa concluditur, has imagines animam figurare atque servare. Nunc verò cùm perexiguam terræ partem occupet corpus, immensarum regionum et cœli ac terræ imagines animus volvit, quibus catervatim discedentibus ac succedentibus non fit angustus; atque hinc se ostendit non diffusum esse per locos, quia maximorum locorum imaginibus non quasi capitur, sed potiùs eas capit; non sinu aliquo, sed vi potentiaque ineffabili, qua licet eis et addere quodlibet et detrahere, et in angustum eas contrahere, et per immensa expandere, et ordinare ut velit, et perturbare, et multiplicare, et ad paucitatem singularitatemve redigere.

Illud [5] *igitur* animæ quod etiam pecora habere intelligun-

[1] Lib. 4, de Anima et ejus orig , c. 17. — [2] Ibid.— [3] Contra Epist. Manich., cap. 17. — [4] Ibid. — [5] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 21.

tur, vel cœli volatilia, cùm habitacula sua, seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est : et utique hoc potiùs corpori simile esse deberet, ubi corporearum rerum similitudines continentur. At si hoc corpus non est, quia certum est eas similitudines corporum illic non solum memoriter detineri, verum etiam innumerabiles pro arbitrio figurari ; quantò minus alia qualibet vi sua corpori esse anima similis potest?

Quapropter[1] si non potes aciem mentis tuæ à corporearum similitudinum quasi nubilo perspicuè serenare, eas ipsas apud teipsam vigilanter attende ; intuere cœlum et terram cogitando, sicut oculis corporis cernendo consuesti ; easque imagines cœli et terræ, quæ ante oculos cogitationis productæ sunt, vide similitudines corporum esse, non corpora. Sic ergo judica contra teipsum pro teipsa, si non potes omnifariam corporalium qualitatum imaginarias formas ab acie tuæ mentis abigere ; et unde vinceris, inde convince. Neque enim est, ut opinor, quisquam etiam talibus imaginationibus ita deditus, ut credat sic esse in memoria sua, vel in ipso conspectu cogitationis suæ solem, lunam, stellas, amnes, maria, montes, colles, urbes, parietes denique domus suæ, vel etiam cubiculi sui, et quicquid per oculos corporis tale cognovit et tenet, ut locorum spatiis atque intervallis sive stent, sive moveantur. Porrò si ea quæ in animo nostro sunt corporibus locisque simillima, non tamen locorum spatiis atque finibus continentur, nec intervallis localibus in nostra memoria reponuntur ; quantò magis illa, quæ nullam gerunt similitudinem corporum, ut videre est [2]in affectionibus *animi*, in quibus nulla sunt quasi lineamenta membrorum?

Si[3] *ergo* corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur ; oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum corpusve non esse. [4]Hæc *enim* quæ tam multa videmus *etiam* in somnis, cœlum, terram, mare,

[1]Epist. 112, cap. 17. — [2]Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 19. — [3]Lib. de Quant. animæ, cap. 13. — [4]Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 17.

solem, lunam, stellas, fluvios, montes, arbores, animalia, qui corpora esse credit, incredibiliter desipit. Sunt tamen corporibus omnino simillima.

CAPUT XIX.

ANIMAM RATIONALEM INCORPOREAM ESSE RATIONE SPECIALI DEMONSTRATUR, QUIA NEMPÈ NEC IPSA FACULTAS, QUA JUDICAT, NEC SAPIENTIA, SEU VERITAS, QUAM INTUETUR ULLA PRORSUS HABERE CORPORIS LINEAMENTA DEPREHENDUNTUR.

Quid [1] jam de illa loquar potentia, qua intelligitur veritas, qua istis ipsis quæ de corporis sensu haustæ figurantur, imaginibus sese pro veritate opponentibus magna vivacitate resistitur? Qua videtur aliam, verbi gratia, veram esse Carthaginem, aliam quam cogitans fingit, et pro suo arbitrio tota facilitate commutat : ex eadem facilitate innumerabiles venire mundos, in quibus Epicuri cogitatio innumerabiliter peregrinata est.

Quid [2] ergo est hæc potentia, quæ ista discernit? Quæ profecto quantacumque sit, et his omnibus major est, et sine ulla tali rerum imaginatione cogitatur. Huic inveni spatia, si potes; hanc diffunde per locos, hanc infinitæ molis tumore distende. Profectò si bene cogitas, non potes. Quicquid enim tibi tale occurrerit, judicas ipsa cogitatione secari posse per partes, facisque ibi aliam partem minorem, aliam majorem quantum placet. Illud autem ipsum quo ista judicas, cernis esse supra ista, non loci altitudine, sed potentiæ dignitate.

Vides [3] *profectò* fidem tuam, vides dubitationem tuam, vides studium tuum voluntatemque discendi; [4] incunctanter vides, distribuis et discernis hæc omnia. [5] Num ergo iis oculis cordis tui, quibus hæc omnia vera et certa esse contueris, tibique præsentia invisibiliter cernis atque discernis, ullo modo corporeos oculos comparabis? cùm etiam

[1] Contra Epist. Manich., cap. 18. — [2] Ibid. — [3] Epist. 112, c. 16. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 17.

de ipsis rebus visibilibus, quæ corporalium oculorum acie quodammodo radiantur, et de ipsis corporeis oculis eorumque acie, qualiscumque et quantacumque sit, quantum distet ab invisibilibus, *etiam* [1] iis quæ commemoravi, non eisdem ipsis carnis oculis, sed illis interioribus judices. Cùm ergo interiores oculi judices sint oculorum exteriorum, isti autem illis quodam officio nuntiandi et ministerio famulentur, multaque illi videant quæ isti non vident, nihil isti videant, unde non illi tanquam præsides judicent, quis non illos istis incomparabili æstimatione præponat? Quæ cùm ita sint, obsecro te, cùm agitur in teipsa hoc tam grande negotium; cùm ab exterioribus interiora distinguis, atque illa istis ineffabiliter anteponis; cùmque istis foris relictis, in illis intrinsecùs demoraris, et ea suis quibusdam incorporalibus finibus metiendo judicas, in nulla te putas, an in aliqua luce versari? Ego enim existimo quòd tanta ibi et talia, tam vera, tam clara, tam certa videri sine luce non possunt. Ipsam igitur lucem in qua cuncta illa perspicis, intuere, et vide utrùm ad eam possit accedere ullus corporeorum radius oculorum. Profectò non potest. Attende etiam, et utrum in ea videas ulla locorum spatia vel intervalla, responde. Nihil ibi tale, ut arbitror, invenis, sed vigilanter abigis ab aspectu intimo quicquid imaginum corporalium exterioris hominis sensus invexit.

Hoc [2] *enim, quod est* in conspectu talis cogitationis, jam *quidem* non est corpus, sed similitudo corporis. Illud autem unde videtur in animo hæc similitudo corporis, atque utrum pulchra, an deformis sit judicatur, profectò est melius quàm ipsa quæ judicatur. Hæc mens hominis et ipsa rationalis animæ natura est, quæ utique corpus non est, si jam illa corporis similitudo, cùm in animo cogitantis aspicitur atque judicatur, nec ipsa corpus est.

Sed et [3] sapientiam, quæ mente intellecta conspicitur, et in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur, [4] quando rectè intelligimus, sine aliqua corpulentia vel similitudine

[1] Epist. 112, cap. 17. — [2] Lib. 8, de Civit., cap. 5. — [3] Epist. 85, ad Consentium. — [4] Ibid.

corpulentiæ in luce mentis aspicimus. *Mens itaque* [1] corpus non est. Neque enim aliter incorporea illa cernere valeret, ut superior ratio demonstrabat.

CAPUT XX.

QUAMLIBET, ETIAM PECORIS, ANIMAM SPIRITALEM, SEU SPIRITUM, DICI POSSE.

Quicquid *autem* [2] corpus non est, et tamen aliquid est, jam rectè spiritus dicitur. Et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur, *ut jam ostensum est.* [3] Cur *igitur* animam, *etiam pecoris*, nolis esse spiritum, sed corpus eam velis esse, non video.

Ut [4] *enim* plenissimè ac planissimè noveris eam, quæ anima est, more divinorum eloquiorum etiam spiritum dici, appellatur pecoris spiritus. [5] Unde manifestum est, quod generali vocabulo anima pecoris rectè potuit sic vocari, sicut legitur in libro Ecclesiastæ : *Quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram?* Itemque in diluvii vastitate ita scriptum est : *Et mortua est omnis caro, quæ movebatur super terram, volatilium, pecorum, et jumentorum, et ferarum, et omnis serpens qui movetur super terram, et omnis homo, et omnia quæcumque habent spiritum vitæ.* Ubi remotis omnibus dubitationis ambagibus generale nomen animæ esse intelligimus, spiritum.

Quapropter [6] et eam, quæ anima est, etiam spiritum nuncupari, puto quod admonitus his, quæ commemoravi, divinarum testimoniis paginarum, ubi et anima pecoris, cui non est intellectus, appellata legitur spiritus, non negabis ulterius. Quocirca si et illa, quæ de anima incorporea disputata sunt, capis et sapis, non est unde tibi displiceam, quòd eam me scire dixi non corpus esse, sed spiritum :

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 13. — [2] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 7 — [3] Lib. 4, de Anima et ejus orig., c. 13. — [4] Ibid., c. 23. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

quia et corpus non esse monstratur, et generali nomine spiritus nuncupatur.

Quamvis [1] et propriè dicatur spiritus, non universa anima, sed aliquid ipsius, sicut Apostolus dicit : *Et integer spiritus vester et anima et corpus* : vel illud multò expressius in libro Job : *Absolvisti animam meam à spiritu meo. Nam* [2] illud etiam ego dico proprie vocari spiritum, quo ratiocinamur et intelligimus, quando ita distinctè ista dicuntur, quemadmodum Apostolus ait : *Et integer spiritus vester et anima et corpus.* Hunc autem spiritum etiam mentem videtur appellare, cum dicit : *Mente servio lege Dei, carne autem legi peccati.* Nam ipsa sententia est : Et caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : ut quod ibi dicit mentem, hoc intelligatur hic spiritum dicere. [3] Mentem quippe nostram, nisi rationale et intellectuale nostrum dicere non solemus. *Sicque* [4] intellectuale illud excellentius quod mentis est proprium.

Tamen [5] animam etiam spiritum esse, si propterea negas, quia ejus intelligentia distinctè dicitur spiritus : poteris negare universum semen Jacob appellari Israel : quoniam excepto Juda, etiam distinctè appellatus est Israel in tribubus decem, quæ in Samaria tunc fuerunt.

CAPUT XXI.

ANIMAM IN SOMNIS SIBI IPSI CORPOREAM APPARERE, NON QUOD REVERA SIT CORPOREA ; SED PROPTER SIMILITUDINES SEU IMAGINES CORPORUM, QUAS IN SEIPSA FORMAT.

Quamvis autem [6] animam esse corpoream non me putare, sed plane scire audeo profiteri : tamen habere posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum quisquis negat, potest negare animam, quæ in somnis videt

[1] Ibid., cap. 22. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 10. — [5] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 22. — [6] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 33.

vel se ambulare, vel sedere, vel hac atque illac egressu aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit.

Sed [1] corpora esse credere, quibus hac atque illac quasi ferimur et volitamus in somnis, hominis est qui parum vigilanter de rebus talibus cogitavit. *Atque ita* [2] puto quod nec tu audeas dicere, figuram illam corporis atque membrorum, quam *anima* sibi habere videtur in somnis, verum corpus esse. Nam isto modo erit verus mons, quem sibi videtur ascendere; et corporea domus, quam sibi videtur intrare; et arbor vera lignumque verum habens corpus, sub qua sibi videtur jacere; et aqua vera, quam sibi videtur haurire; et omnia, in quibus quasi corporibus versatur, corpora erunt, si et ipsa corpus est, quæ simili imagine inter cuncta illa versatur.

Profectò, [3] si anima corpus esset, et corporea esset figura, in qua se videt in somnis, eo quod de corpore ejus fuisset expressa; nullus hominum membro corporis amputato, sicut eo caret, ita sine illo se videret in somnis; sed potius semper integrum, eo quod animæ ipsius nihil fuerit amputatum, *ut infra fusiùs ostendetur.* Cum verò aliquando se integros videant, aliquando autem sicut sunt, ex quacumque parte truncatos; quid aliud ista res docet, nisi animam sicut aliarum rerum, quas sentit in somnis, ita et corporis, modò sic, modò sic, non veritatem, sed similitudinem, gerere?

CAPUT XXII.

MEMBRA, QUÆ ANIMÆ A CORPORE SEPARATÆ SCRIPTURA SACRA TRIBUIT, SICUT ET EA, QUÆ IPSI QUOQUE DIVINITATI ASSIGNAT, DEBERE METAPHORICÈ TANTUM INTELLIGI : QUAMVIS ET IN ILLO SEPARATIONIS STATU ANIMA PROPTER ALIQUAM CORPORIS IMAGINEM CORPOREA POSSIT APPARERE.

Sed [4] inquis, si anima caret corpore, quid est quod apud inferos dives ille *ita describitur.* [5] Dicis: *Membra illic animæ*

[1] Lib. de Anima et ejus orig., c. 17. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 19. — [4] Ibid., cap. 15. — [5] Ibid., cap. 16.

describuntur, ut verè sit corpus, et vis *per oculum totum caput intelligi, quia dictus est levasse oculos suos; per linguam fauces, per digitum manum, quia dictum est*: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam.* Tamen ne per membrorum nomina de Deo tibi corporeo præscribatur, dicis *per hæc incorporeas intelligendas esse virtutes,* quia Deum rectissimè defendis non esse corporeum. Quid igitur causæ est, cur nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An verò, quando de creatura hæc dicuntur, propriè accipienda sunt, quando autem de Creatore, tropicè atque translatè. Pennas itaque corporeas daturus es nobis, quoniam non creator, sed creatura, id est, homo dicit : *Si assumpsero pennas sicut columba.* Porro, si propterea linguam habebat dives ille corpoream, quoniam dixit : *Refrigeret linguam meam* ; in nobis quoque adhuc in carne viventibus, manus habet ipsa lingua corporeas, quia scriptum est: *Mors et vita in manibus linguæ.* Puta etiam non tibi videri, vel esse creaturam, vel corpus esse peccatum. Cur ergo habet faciem? An non audis in Psalmo : *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum?* Quod vero *illum Abrahæ sinum* existimas *esse corporeum et per ipsum* asseris *totum corpus ejus agnosci*, vereor ne in re tanta joculariter atque irridenter, non seriò graviterque agere credaris. Neque enim usque adeo desiperes, ut arbitrareris corporeum sinum unius hominis ferre tot animas : imo, ut secundum te loquar, ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc Angeli sicut Lazarum perferunt. Nisi opinaris fortasse illam unam animam solam, ad eumdem sinum pervenire meruisse. Si non jocaris, et errare pueriliter non vis, sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham. Et ideo Abrahæ dictum, non quod ipsius tantum sit; sed quod ipse *pater multarum gentium sit positus*, quibus est ad imitandum fidei principatum propositus. Sicut *Deum Abraham et Deum Isaac*, *et Deum Jacob*, se Deus vocari voluit, cùm sit innumerabilium Deus.

Neque[1] *tamen* hæc ita me disserere existimes, tanquam

[1] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 17.

negem fieri posse ut anima mortui sicut dormientis, in similitudine corporis sui sentiat seu bona, seu mala *sicut supra jam dictum est.* [1] Tu ipse nonne *dices*, vereque *dices*, alimenta et vestimenta non esse animæ sed corpori necessaria? Cur ergo aquæ stillam desideravit apud inferos dives? Cur Samuel sanctus post mortem, ut ipse quoque *legisti*, solito vestimento vestitus apparuit? Numquid ille ruinas animæ, sicut carnis, per humoris alimentum reficere cupiebat? Numquid iste de corpore vestitus exierat? Sed in illo vera erat molestia, qua cruciabatur anima; non tamen verum corpus, cui quæreret alimenta. Et iste sic potuit apparere vestitus, ut non corpus esset, sed similitudinem corporis haberet et anima et habitus. Neque enim se anima sicut in membra corporis, ita et in vestimenta porrigit et coarctat, ut etiam inde formetur.

CAPUT XXIII.

QUO SENSU NON PECORIS SOLUM, SED OMNIS PRORSUS ANIMA, SANGUIS IN SCRIPTURIS SACRIS APPELLETUR.

Quid *verò* [2] quod *in Deuteronomio* scriptum est sanguinem pecoris in anima esse? [3] Lex enim dixit, fundendum esse sanguinem, nec in escam assumendum, quia sanguis est anima.

Sed [4] quid est quod prohibens *eadem scriptura* edendum sanguinem dicit: *Anima omnis carnis sanguinis ejus est?* [4] Quomodo ergo non ait: Anima omnis carnis pecoris sanguis ejus est; sed *anima*, inquit, *omnis carnis sanguis ejus est?* In omni utique carne etiam hominis caro deputatur.

An quia vitale aliquid est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne vivitur, qui in omnibus venis per corporis cuncta diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte

[1] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 19. — [2] Lib. Contra Adimantum, c. 12. — [3] Ibid. — [4] Lib. Quæst. super Leviticum, q. 57.

finitur? Qua locutione dicimus istam vitam temporalem esse non æternam; mortalem non immortalem : cum sit immortalis animæ natura, quæ *allata est ab angelis in sinum Abrahæ ;* et cui dicitur : *Hodiè mecum eris in paradiso*; et quæ in tormentis ardebat inferni. Secundum istam ergo significationem, qua perhibetur anima, etiam hæc temporalis vita, dixit apostolus Paulus : *Non enim facio animam meam pretiosiorem quàm me :* ubi se ostendere voluit et mori paratum pro Evangelio. Nam secundum significationem, qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat cui tantum meritum conquirebat. Sunt et aliæ hujusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis maximè sanguine continetur in corpore.

Solet [1] *quoque res*, quæ significat, ejus rei nomine, quam significat, nuncupari; sicut scriptum est : Septem spicæ, septem anni sunt : non enim dixit septem annos significant; et septem boves, septem anni sunt : et multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est : *Petra erat Christus.* Non enim dixit : Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic et sanguis quoniam propter vitalem quamdam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est.

Sic [2] *ergo* dictum est : anima omnis carnis sanguis est : quomodo dictum est : *Petra erat Christus.* Non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non autem frustra Lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet invisibilem per rem visibilem; nisi quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus cæteris humoribus principatur : ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat. Ita quoque anima, quia omnibus quibus constamus invisibiliter prævalet, illo meliùs significatur, quod omnibus, quibus constamus, visibilibus prævalet.

Quærendæ [3] etiam locutiones, *quibus significetur* per id,

[1] Lib. Quæst. super Leviticum, q. 57. — [2] Lib. 2, Contra Advers. Legis et Prophet., cap. 6, — [3] Lib. Quæst. super Leviticum, q. 57.

quod continet, id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus, abscedit), per ipsum aptius significata sit anima, et ejus nomen sanguis acceperit. Sicut ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam.* Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis?* Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut ad ecclesiam prodire, aut ad ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Scriptum est etiam: *Et effudit sanguinem qui fraudat mercedem mercenarii.* Mercedem sanguinem dixit, quoniam in ea sustentatur vita, quæ nomine sanguinis appellatur.

CAPUT XXIV.

QUO SENSU AD VITANDAM DE NOMINE CONTROVERSIAM ANIMA POSSIT APPELLARI CORPUS ; QUAMVIS TAMEN EA NULLATENUS ADMITTENDA SIT LOCUTIO.

Incorpoream *igitur* [1] esse animam, etsi difficilè tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.

Sed ne verbi controversiam, vel superfluò faciam, vel meritò patiar, quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine; [2] si corpus esse *dixeris* alia qualibet notione omne quod est, id est, omnem naturam atque substantiam; non quidem admittenda est ista locutio, ne non inveniamus quomodo loquentes ea, quæ corpora non sunt, à corporibus distinguamus. Non tamen nimis est de nomine laborandum. Nam et nos dicimus, quicquid anima est, non esse horum quatuor notissimorum elementorum, quæ manifesta sunt corpora.

Si [3] *ergo* corpus est omnis substantia vel essentia, vel si

[1] Epist. 28, ad Hieronym. — [2] L. 7, de Gen. ad litt., c. 21. — [3] Epist. 28.

quid aptius nuncupatur, id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima ; quoniam tale aliquid ipsa non est.

Porrò si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte quàm in toto, non est corpus anima.

Quapropter, [1]si anima corpus esse dicenda est, non est certè corpus quale terrenum est, nec quale humidum, aut aerum, aut æthereum. Omnia quippe talia majora sunt in majoribus locis, et minora in minoribus, et nihil eorum in aliqua sui parte totum adest : sed, ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Unde intelligitur anima sive corpus, sive incorporea dicenda sit, propriam quamdam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus cogitari, sed mente intelligi, vitaque sentiri. [2]Non enim ullo modo aut longa, aut lata, aut quasi valida suspicanda est anima. *Imo* [3]possum affirmare neque illam longam esse, nec latam, nec robustam, neque aliquid horum, quæ in mensuris corporum quæri solent.

CAPUT XXV.

QUOD NON PROPTEREA NIHIL VIDERI ESSE DEBEAT ANIMA, QUIA NEC LONGA, NEC LATA, NEC PROFUNDA ESSE DICITUR.

At [4] videtur, *inquies*, mihi quasi nihil esse anima, si nihil est horum.

Ergo [5] si videtur, ostendam tibi multas esse res quas non possis dicere nihil esse, nec tamen in eis invenire aliqua hujusmodi spatia qualia in anima esse requiris : ut non

[1] Epist. 28, — [2] Lib. de Quant. animæ, c. 3. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

solum non tibi ex eo anima nihil esse videatur, quòd in ea non invenis longitudinem, sive aliquid tale; sed eo pretiosior et pluris æstimanda sit, quo nihil horum habet.

Sed [1] volo interroganti mihi respondeas. Fortasse enim ea quæ te docere conor, ipse jam nosti : credo enim non te dubitare hanc arborem non esse omnino nihil. Quis hoc dubitaverit? Quid illud? num dubitas justitiam multo esse hac arbore meliorem? Ridiculum istud quidem est, quasi verò ulla sit comparatio.

Sed illud nunc attende, cùm constet ita hanc arborem esse deteriorem quàm est justitia, ut nec comparanda quidem tibi videatur, et hoc lignum non esse nihil confessus sis, placetne tibi ut ipsam justitiam nihil esse credamus? Quis hoc demens crediderit?

Sed [2] fortasse arbor hæc propterea tibi videtur esse aliquid, quod longa est pro suo modo, et lata, et robusta; quæ si detraxeris, nihil erit. Ita videtur? Quid ergo? justitia, quam non nihil esse confessus es, imò quiddam longè divinius hac longeque præstantius, videtur tibi longa esse? Nullo modo mihi justitia, aut longa, aut lata, aut tale aliquid cogitanti potest occurrere. Si igitur nihil horum est justitia, et tamen ipsa nihil non est; cur tibi anima nihil videtur, nisi ejus aliqua longitudo sit?

Age; [3] jam non *tibi* videatur ex eo nihil esse anima, quod nec longa, nec lata, nec robusta sit; *cùm* multa sint magni æstimanda, quæ istis careant.

Quod [4] si ita est, omne *nimirum* quod caret corpore inanis esse substantiæ, quomodo Deum audes dicere carere corpore, nec times ne sequatur inanis eum esse substantiæ? Porrò si et corpore caret Deus, quod *omnino confiteri necesse est*, et eum inanis esse substantiæ, absit ut dicas, non ergo inanis substantiæ est quicquid corpore caret. Et ideo qui incorpoream dicit animam, non est consequens, ut eam velit videri inanis futilisque substantiæ, quia et Deum, qui non est inane aliquid, simul incorporeum confitetur. [5] Cur

[1] Lib. de Quant. animæ, c. 4 — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 12. — [5] Ibid.

ergo metuimus, ne sit cassæ inanitatis anima, si sit incorporea; cum Deum incorporeum fateamur esse, nec eum cassæ inanitatis esse dicamus?

Ita[1] nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quàm ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Propter hoc enim corporalibus assuefacti et affecti sensibus, nolunt animam credere aliud esse quam corpus, ne si corpus non fuerit, nihil sit. Ac per hoc tantò magis timent etiam de Deo credere quod corpus non sit, quanto magis timent Deum credere nihil esse. Ita enim feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus versat, ut his subtractis, tanquam per inane pereundum sit, reformident : ita necesse est, ut et justitiam et sapientiam pingant quodammodo in cordibus suis cum formis et coloribus, quas non possunt incorporeas cogitare. Nec tamen dicunt quando justitia vel sapientia moventur, ut vel laudent eas, vel secundum eas aliquid agant, quem colorem, quam staturam, quæ lineamenta vel quales formas conspexerint.

CAPUT XXVI.

ANIMAM PER ÆTATEM CUM CORPORE NON CRESCERE.

Sed[2] illud, *inquies rursus*, me movet. [3]Primum cur ætate ut corpus crescit, ita et anima vel crescat vel crescere videatur. Quis enim neget pueros infantes, ne bestiarum quidem nonnullarum astutiæ comparandos? Quis autem dubitet, illis crescentibus etiam ipsam in eis quodammodo crescere rationem? Deinde si per spatium sui corporis anima distenditur, quomodo nullius quantitatis est? Si autem non distenditur, quomodo sentit ubique pungentem?

Omnino ea quæris, quæ me quoque sæpe moverunt. Itaque non sum imparatus tibi respondere, ut mihi soleo.

[1] L. 10, de Genesi ad litt., c. 24. — [2] L. de Quant. animæ, c. 15. — [3] Ib.

Priùs [1] ergo quæramus, utrum crescentis cum corpore animi certum argumentum sit, quod ætatis accessu aptior humanæ consuetudini homo, et in ea magis magisque peritus est. [2] Dic utrum tibi majus et melius duo quædam, an unum atque idem esse videatur duobus nominibus appellatum ? *Scis planè* aliud esse quod majus, aliud quod melius dicimus. [3] Quamobrem si circulus, *verbi gratia,* non magnitudine spatii, sed quadam conformatione cæteris præstat, quantò magis de virtute existimandum est, quod non majoris loci occupatione, sed divina quadam congruentia rationum atque concordia, cæteras affectiones animi superat ? Cùm autem puer proficit laudabiliter, ad quam rem magis quam ad virtutem proficere dicitur ? an non tibi videtur? Manifestum est. Non igitur tibi debet videri animus sicut corpus crescendo cum ætate proficere : proficiendo enim ad virtutem pervenit, quàm fatemur nulla spatii magnitudine, sed magna vi constantiæ pulchram esse atque perfectam : et si aliud est majus, aliud melius, ut jam dedisti ; quicquid anima cum ætate proficit, composque rationis fit, non mihi videtur fieri major, sed melior. Quòd si membrorum id faceret magnitudo, eò quisque prudentior esset, quò longior aut validior, quod se aliter habere non, ut opinor, negabis.

Rectè [4] *quidem* dicitur anima discendo quasi crescere et contra minui dediscendo, sed translato verbo, *ut sæpissimè loquimur.* Tamen illud cavendum est, ne quasi spatium loci majus occupare videatur, dum dicitur crescere ; sed majorem quamdam vim peritior, quàm imperitior habere ad agendum. [5] Non igitur magnum vel ingentem animum cum audimus aut dicimus, quantum loci occupet, sed quantum possit, cogitandum est.

Jam [6] *enim* illud quale est dicere, quod anima formam de corpore accipiat, et cum incremento corporis protendatur et crescat ? *Si* [7] hominem interiorem animam dicis,

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 15. — [2] Ibid., cap. 16. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 19. — [5] Ibid., c. 17 — [6] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 18. — [7] Ibid., cap. 14.

[1] quem veluti in forma vaginæ corporalis inclusum ad similitudinem sui delineavit exterioris hominis habitudo ; [2] si per membra exterioris cucurrit interior et gelavit (hoc enim etiam verbo *quidam* usus est), tanquam figmentum fusile fieret ex forma lutea, quæ de pulvere facta est ; [3] *si* corpus per interiora concava sua recipit aliud corpus, quod est anima : *si* [4] flatus ex Deo anima factus est, effigiata substantialis, et secundum naturam suam corporea, et sui corporis similis imaginique conformis, *seu* [5] flatus Dei *sic* animam fecit, *ut* gelante substantia quæ comprehendi non poterat, efficeret corpus aliud intra corpus naturæ suæ vi et spiramine conglobatum ; [6] si *denique* ita posset *anima* sese coarctando et, ut *ille loquebatur*, gelando formari : *quantis* conatibus *esset laborandum*, cum *ageretur* de præcisione membrorum, ne simul concidi anima putaretur ?

Nam [7] si anima vulnerari potest ab eis, qui vulnerant corpus, nihilne metuendum est, ne possit occidi ab eis qui occiderunt corpus? Quod Dominus apertissimè fieri non posse testatur.

Quomodo [8] ergo anima secundum tuam opinionem quando membra corporis præciduntur, ab ictu se subtrahit, et in alias partes densando colligit, ne aliqua pars ejus vulnere corporis amputetur, etiamsi dormienti atque nescienti membrorum aliquid præcidatur ? Tantam quippe illi tribuisti vigilantiam, ut etiam visis occupata somniorum, si plaga irruerit ignoranti, qua caro feriatur, se illa providenter perniciterque subducat, ne possit feriri atque vexari sive concidi : nec attendis, homo prudens, quod si se anima inde subduceret, nec illa percussio sentiretur. Sed inveni quod potueris, quid inde respondeas, quomodo anima partes suas arripiat et recondat introrsus, ne ubi præciditur seu percutitur corporis membrum, amputetur et ipsa atque vexetur.

Attende [9] quàm monstruosa evadat anima juvenis sive senis, si ejus brachium præcidatur infantis. Contrahit

[1] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 14. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 18. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid.

enim se, ut dicis, animæ manus, ne ipsa etiam cum manu corporis amputetur, et in alias se partes corporis densando concludit. Ac per hoc illud animæ brachium, quam breve corporis fuit unde ceperat formam, tam breve servabitur ubicumque servetur ; quia perdidit formam, cujus incremento posset pariter crescere. Exit ergo anima juvenis aut senis, qui manum, cum esset parvus, amisit, habens quidem duas manus, quia una refugiens non est amputata cum corpore, sed alteram juvenilem vel senilem, alteram verò sicut primùm fuerat, infantilem. Tales animas, crede mihi, non forma corporis facit, sed erroris deformitas fingit.

CAPUT XXVII.

ANIMAM PER CORPUS LOCALI DIFFUSIONE NON PORRIGI, QUONIAM IN SINGULIS EJUS PARTIBUS TOTA REPERITUR.

Quamobrem, [1] si jam primum argumentum tuum, quo tibi per ætatem cum corpore animus crescere videbatur, satis discussum est, transeamus ad aliud. [2] Videamus, si placet, illud alterum argumentum tuum quale sit, quod per totum spatium corporis tactus sentitur ab anima, quam spatii nullius esse volumus. [3] Attuleras enim argumentum, quo tantam probares animam esse, quantum est ejus corpus, eò quod tangentem à capite usque ad pedis extremum pollicem sentit quaquaversum tetigeris.

Huic igitur argumento respondendum, quod anima [4] per totum corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in majoribus major; sed alicubi intentiùs, alicubi remissiùs, et in omnibus tota et in singulis tota est, *sicut supra jam fusè disserui.*

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 17. — [2] Ibid., cap. 21. — [3] Ibid., cap. 30.— [4] Epist. 28.

Quare [1] nunc attende potius quid aliud afferas, quo convincas animam vel longam, vel latam esse, vel quid ejusmodi. Nam illud argumentum tuum de tangendi sensu, sentis non attingere veritatem, nec valere aliquid, ut eam per totum corpus tanquam sanguinem diffusam esse convincat.

CAPUT XXVIII.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ; ET QUOD NULLA PRORSUS ANIMA SIMPLICITER ET ABSOLULÈ SIT IMMORTALIS QUASI NON POSSIT A DEO DESTRUI.

Primo quidem [2] anima non omnimodo immortalis est, sicut Deus; de quo dictum est, quia solus habet immortalitatem. [3] Non est *quippè* pars Dei anima, *ut pluribus infra contra Manichæos fusè probabitur. Sed* [4] facta est procul dubio ab ipso. [5] At verò illa natura, quæ facta est, creatura nuncupatur; [6] cui *quidem* si Deus subtrahat operationem intimam, quâ eam substituit et facit, continuò tanquam extincta nulla remanebit. [7] Quod enim per se non est, si deseratur, ab eo, per quod est, profectò non erit. *Ac proindè creaturas omnes*, [8] ita continuanter operatur *Deus*, ut nec ullarum aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur; *unde* [9] nec ipse diabolus à potestate Omnipotentis alienus est, sicut neque à bonitate. Nam et maligni angeli unde qualicumque subsisterent vitâ, nisi per eum qui vivificat omnia?

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 30. — [2] Epist. 28, ad Hieronym. — [3] Ibid. — [4] Lib. 1, de Anima et ejus orig., cap. 4, — [5] Ibid., lib. 2, c. 3. — [6] Lib. 9, de Genesi ad litt., cap. 15. — [7] Lib. de Immort. animæ, cap. 8. — [8] Lib. 9, de Genesi ad litt., cap. 15. — [9] Lib. 13, de Trinit., cap. 12.

CAPUT XXIX.

NULLAM PRORSUS ANIMAM QUACUMQUE ILLARUM MUTATIONUM INTERIRE, QUÆ SIVE PER CORPUS, SIVE PER IPSAM ANIMAM FIUNT; CUM NEC ULLA SUI MUTATIONE AD NIHILUM DUCATUR CORPUS, QUOD ANIMA QUACUMQUE LONGE DETERIUS ESSE PERSPICUÈ CONSTAT.

Interim tamen [1] nulla illarum mutationum, quæ sivè per corpus, sivè per ipsam animam fiunt, id est, quarum ipsa sit causa, id agit, ut animam non animam faciat.

Primò enim, [2] quatenus accipienda sit animi mutatio videamus. [3] Quot modis accipiatur, quæ dicitur animæ mutatio videamus; qui (ut opinor) manifestiores duntaxat clarioresque nobis duo sunt genere, specie verò plures inveniuntur. Namque aut secundum corporis passiones, aut secundum suas, anima dicitur immutari. Secundum corporis, ut per ætates, per morbos, per dolores, labores, offensiones, per voluptates. Secundùm suas autem, ut cupiendo, lætando, metuendo, ægrescendo, studendo, discendo.

Sed [4] hæ omnes mutationes, si non necessario argumento sunt mori animam, nihil quidem metuendæ sunt per se ipsæ separatim. [5] Nulla *igitur* illarum mutationum, quæ sive per corpus, sive per ipsam animam fiunt (quamvis utrum aliquæ per ipsam fiant, id est, quarum ipsa sit causa, non parva sit quæstio), id agit ut animam non animam faciat; *sicut paulò ante monuimus. Nam* [6] etsi nullus interitus sine mutatione sit, et nulla mutatio sine motu; non tamen omnis mutatio interitum, omnisque motus mutationem operatur. Licet enim ipsum corpus nostrum, et motum plerumque qualibet actione, et mutatum certè vel ætate dicere, tamen nondum interisse, id est, non esse sine vita. Liceat igitur et animum non continuò putare privari vita,

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 3.

quanquam ei fortasse per motum mutatio nonnulla contingat.

Interitum [1] *certè* nullum magis propriè oportet accipi, quàm cum id, quod aliquid erat, nihil fit. Quare tendere ad nihilum, est ad interitum tendere. [2] Sed negatur esse consequens interire id quod tendit ad nihilum, id est, ad nihilum pervenire. Quod in corpore quoque animadverti potest. Nam quoniam quodlibet corpus pars est mundi sensibilis, et ideo quantò majus est locique plus occupat, tantò magis propinquat universo : quantoque id magis facit, tantò majus est. Majus est enim totum, quam pars. Quare etiam minus sit, cum minuitur, necesse est. Defectum ergo patitur cum minuitur. Porrò autem minuitur, cum ex eo aliquid præcisione detrahitur. Ex quo conficitur ut tali detractione tendat ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, et quicquid hoc est, quantolibet spatio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes, in quas identidem cæderetur. Potest igitur infinitè cædendo infinitè minui, et ideo defectum pati atque ad nihilum tendere, quamvis pervenire nunquam queat. Quod item de ipso spatio et quolibet intervallo dici atque intelligi potest. Nam et de his etiam terminatis dimidiam, verbi gratia, partem detrahendo, et ex eo quod restat semper dimidiam, minuitur intervallum, atque ad finem progreditur, ad quem tamen nullo pervenitur modo. Quo minus hoc de animo formidandum est. Est enim profectò corpore melior et vivacior, à quo huic vita tribuitur.

Rursus, [3] si quid metuendum est, id est certè metuendum, ne deficiendo animus intereat, id est, dum ipsa existendi specie privatur. *Sed* [4] quàm hoc fieri non possit certa ratione monstratur. [5] Quoniam enim quilibet animus cuilibet corpori præferendus est : [6] si potuerimus impetrare ut ostendatur, ne corpori quidem hoc posse accidere, ut etiam ea specie privetur, qua corpus est; jure fortasse obtinebimus multò minus auferri posse animo, quo animus est. Siquidem nemo se bene inspexit, qui non omni corpori qua-

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 11. — [4] Ibid — [5] Ibid., cap. 8. — [6] Ibid.

lemlibet animum præponendum esse fateatur. [1]Mutabilitas *autem* non adimit corpori corpus esse, sed de specie in speciem transire facit motu ordinatissimo. Non enim quæpiam ejus pars ad nihilum redigi sinitur, cum totum capessat vis illa effectoria, nec laborante nec deside potentiâ, dans ut sit omne quod per illam est, inquantum est. Quamobrem nemo tam devius à ratione debet esse, cui aut non sit certum corpore animum esse meliorem, aut qui hoc concesso arbitretur corpori non accidere ut corpus non sit, animo accidere ut animus non sit.

CAPUT XXX.

NULLAM ESSE CREATURAM, ID EST, NULLUM ESSE VEL CORPUS, VEL ANIMUM, ETIAM POTENTIOREM, A QUO ULLA POSSIT ANIMA COGI UT INTEREAT.

Ad *hæc*, [2]si nulla essentia, in quantum essentia est, aliquid habet contrarium, multò minus habet contrarium prima illa essentia, quæ dicitur veritas, in quantum essentia est. Primum autem verum est; omnis enim essentia non ob aliud essentia est, nisi quia est : esse autem non habet contrarium, nisi non esse; unde nihil est essentiæ contrarium. Nullo modo igitur res ulla esse potest contraria illi substantiæ, quæ maximè ac primitùs est. Ex qua si habet animus idipsum quod est (non enim aliundè hoc habere potest, qui ex se non habet, nisi ab illa re quæ illo ipso est animo præstantior), nulla, *prœter ipsam summam divinamque essentiam*, res est qua id amittat, quia nulla res ei rei est contraria, qua id habet; et propterea esse non desinit. Sapientiam vero, quia conversione habet ad id ex quo est, aversione illam potest amittere. Conversioni namque aversio contraria est. [3]Quid autem *prœter summam essentiam* invenitur, quod auferat animo id quod est animus? [4]Illud *enim*, quod ex eo

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 8. — [2] Ibid., cap. 12. — [3] Ibid., cap. 11. — [4] Ibid., cap. 12.

habet, cui nulla res *extra ipsum* est contraria, non est *extra ipsum* unde possit amittere. Non igitur *à re ulla extra Deum existente* potest *animus* interire.

Hoc [1]*certè* fieri non potest, nisi ab alio cogatur animus. [2]Quis *ergo* dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem animo, *ut vel* in deteriorem commutetur essentiam? [3]Si *enim* cogitur, à quo tandem cogitur? A quolibet, certè à potentiore. [4]Qua igitur tandem vi potest? num corporeâ, cujus et potentia infirmior, et origo inferior, et ordo separatior? Nullo modo. [5]Non ergo ab ipso corpore cogi potest. Nullo enim modo ullo animo ullum corpus potentius.

Potentior autem animus non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. Nec ullo modo animus potestati alterius animi, nisi suis cupiditatibus, *seu affectibus*, subditur. Cogit ergo ille animus non amplius, quàm quantum ejus, quem cogit, cupiditates sinunt. Dicetur autem *inferiùs* cupiditatem non posse animum habere, ut *non sit*. [6]Neque ullum rei hujus certius argumentum est, quàm cum seipsum hic interrogat animus. Ita enim facilè comperit appetitum se non habere nisi *existendi* [7]aut vivendi, inquantum illi potestas est. [8]Illud etiam manifestum est ad nullam suæ cupiditatis expletionem pervenire, dum amittit omnem cupiditatem : et amittit, dum *nihil* fit. Non igitur potest ab eo cogi ut *nihil* fiat, qui cogendi jus nisi per subditi cupiditates non habet.

Si [9]igitur nec propria voluntate, nec alio *extra Deum* cogente id animus patitur, *ut intereat* : unde, *seu à quo extra Deum*, id pati potest?

[1] Ibid., cap. 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 6. — [5] Ibid., cap. 13. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid., cap. 14.

CAPUT XXXI.

NULLAM PRORSUS ANIMAM EO SENSU MORI POSSE, QUASI EXISTERE SINE VITA POSSIT ; CUM NULLA PRORSUS ANIMA SE IPSA, QUÆ VITA EST, NUNQUAM POSSIT DESERERE.

Quod [1] si quisquam non eum interitum dicat formidandum animo, quo efficitur ut nihil sit quod aliquid fuit; sed eum, quo dicimus ea mortua quæ vita carent : attendat quod nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quædam, unde omne quod animatum est, vivere ; omne autem inanime, quod animari potest, mortuum, id est, vita privatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus, sed animatum aliquid est. Quod si absurdum est, multò minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vitæ certè non est timendum. Nam prorsus si tum moritur animus, cùm eum deserit vita illa; ipsa vita quæ hunc deserit multò melius intelligitur animus, ut jam non sit animus quicquid à vita deseritur, sed ea ipsa vita quæ deserit. Quicquid enim vita desertum mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur : hæc autem vita quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipsa est animus, et seipsam non deserit, non moritur animus.

Ita [2] qui animæ substantiam vitam quamdam nequaquam corpoream [3] esse repererunt, consequenter et immortalem, quia vita carere vitâ non potest, ut quisque potuit, probare conati sunt.

Jamne [4] ergo liquidò constat animum esse immortalem ? si ea, quæ concessisti vera sint, liquidissimè : nisi fortè animum dicis, etiamsi moriatur, animum esse.

[1] Ibid., cap. 9. — [2] Lib. 10, de Trinit., cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Lib. 2, Soliloq., cap. 13.

CAPUT XXXII.

IRRATIONALEM ANIMAM EATENUS MORI, QUATENUS IPSA, SICUT LUMEN ALIQUID, IN CORPORE PENITUS EXTINGUITUR.

Nunquam [1] equidem hoc dixerim. Sed eo *tamen* ipso, quo interit *irrationalis* animus, fieri ut animus non sit, dico.

Nec me ab hac sententia revocat, quod à magnis Philosophis, *sicut jam exposuimus*, dictum est ; eam *scilicet* rem, quæ quocumque venerit, vitam præstat, mortem in se admittere non posse. Quamvis enim lumen quocumque intrare potuerit, faciat id lucere, tenebrasque in se propter memorabilem illam vim contrariorum non possit admittere; tamen extinguitur, locusque ille extincto lumine tenebratur. Ita illud, quod tenebris resistebat, neque ullo modo in se tenebras admisit, et sic eis intereundo locum fecit, ut poterat etiam discedendo. Itaque *dixerim*, quod mors ita contingat corpori, ut tenebræ loco, aliquando discedente animo ut lumine, *sicut in homine* ; aliquando autem ibidem extincto, *sicut in brutis contingit* ; *quorum* [2] in ipso corpore anima quasi lumen accenditur, nec alibi potest durare : *unde* et ipsorum mors est extinctio quædam animæ in corpore, vel vitæ.

CAPUT XXXIII.

HUMANAM SEU RATIONALEM ANIMAM ITA IMMORTALEM ESSE, UT NUNQUAM IPSA VIVERE DESINAT ; IDQUE EX NATURALI BEATITUDINIS APPETITU DEMONSTRARI.

Immortalis *tamen* [3] est animus humanus ; et [4] immortalis *quidem* ideo nuncupatur, quoniam qualicumque vita, etiamsi miserrima est, nunquam desinit vivere : *adeo ut animæ rationali* [5] vita nullo pacto auferatur, dum hoc corpus inte-

[1] Lib. 2, Soliloq., cap. 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 14, de Trinit., c. 4. — [5] Lib. 1, de Lib. arb., c. 5.

rimitur; [1]nec ab initio, quo creata est, unquam deinceps esse desistat : non sanè creatoris desistente bonitate et malis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, interibunt.

Humanis [2]*quidem* argumentationibus hæc invenire conantes vix pauci magno prædíti ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. [3]Sed si fides adsit, quæ inest eis, quibus dedit potestatem Jesus filios Dei fieri, nulla quæstio est. [4]Fides *enim* ista totum hominem immortalem futurum, qui utique constat ex anima et corpore, [5]non argumentatione humana, sed divina auctoritate promittit.

Quid [6]ergo cunctamur? quid, quæso, de animi *nostri* [7]perpetua vita, nescio qua mortis familiaritate, dubitamus? [8]Immortalis es, ô anima : jamjam crede rationibus, crede veritati. Clamat et in te sese habitare, et immortalem esse, nec sibi suam sedem quacumque corporis morte posse subduci. Avertere ab umbra tua, revertere in te ; nullus est interitus tuus, nisi oblitam te esse quod interire non possis.

Aut [9]enim ab illa *veritate*, [10]quæ semper eodem modo est, [11]animus est inquantum est, aut per seipsum est. Sed si per seipsum est, quoniam ipse sibi causa existendi est, et nunquam se deserit; nunquam interit, ut suprà etiam disputavimus. Si verò ex illa, diligenter opus est quærere, quæ res ei possit esse contraria, quæ animo auferat animum esse quod illa præbet. Quid est igitur? An fortè falsitas, quia illa veritas? Sed manifestum est, atque in promptu situm, quantum nocere animo falsitas possit? Non enim amplius potest quam fallere? at nisi qui vivit, fallitur nemo. Non igitur falsitas interimere animum potest. Quòd si hæc non potest, quæ contraria veritati est, auferre animo animum esse, quod ei veritas dedit (ita enim est invictissima

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 3. — [2] Ibid., lib. 13, cap. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 2, Soliloq., cap. 19. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Lib. de Immort. animæ, cap. 11. — [10] Ibid. — [11] Ibid.

veritas); quid aliud inveniętur, quod auferat animo id quod est animus? Nihil profectò : nam nihil est contrario valentius ad id auferendum, quod fit ab ejus contrario.

At [1] si veritati contrarium ita quæramus, ut non inquantum veritas est, sed inquantum summè maximeque est (quanquam intantum est idipsum inquantum est veritas; siquidem veritatem eam dicimus, qua vera sunt omnia inquantumcumque sunt, intantum autem sunt inquantum vera sunt); tamen nullo modo id defugerim, quod mihi evidentius suffragatur. *Nam et hinc quoque superius ostendimus* [2] non esse *corpus nec alium etiam animum*, unde possit amittere [3] id ipsum quod est animus.

Quod [4] autem rationali anima melius est, omnibus consentientibus Deus est; qui profectò consulit animæ; et ideo non ab eo cogitur anima, ut [5] id amittat, [6] quod est. [7] Et propterea esse non desinit.

Neque [8] enim omnes homines naturali instinctu immortales et beati esse vellemus, nisi esse possemus. [9] Beatos *autem* esse se velle omnium hominum est. [10] Beatos esse se velle omnes in corde suo vident; tantaque est in hac re naturæ humanæ conspiratio, ut non fallatur homo, qui hoc ex animo suo de animo conjicit alieno. *At* [11] si *immortalitas* nullo modo dari homini posset, frustra etiam beatitudo quæreretur, quia sine immortalitate non potest esse.

Cum [12] ergo beati esse homines velint, si verè volunt, profectò et esse immortales volunt. Aliter enim beati esse non possunt. Denique et de immortalitate interrogati, sicut et de beatitudine, omnes eam se velle respondent. Sed qualiscumque beatitudo, quæ potius vocetur quàm sit, in hac vita quæritur, imò verò fingitur, dum immortalitas desperatur, sine qua vera beatitudo esse non potest. Ille quippe beatè vivit, quod *omnibus rectè attendentibus est perspicuum*, qui vivit ut vult, nec malè aliquid vult. Nemo autem malè vult immortalitatem, si ejus humana capax est Deo donante natura :

[1] Ibid., cap. 12. — [2] Lib. de Immort. animæ, cap. 12. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 13. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Lib. 4, Contra Jul. pelag., cap. 3. — [9] Lib. 13, de Trinit., c. 20. — [10] Ibid. — [11] Ibid., cap. 7. — [12] Ibid., c. 8.

cujus si capax non est, nec beatitudinis capax est. Ut enim homo beatè vivat, oportet ut vivat. Quem porrò morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere quomodo potest? Cum autem deserit, aut nolentem deserit proculdubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem, quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate ut non sit in potestate? Cumque beatus nemo sit aliquid volendo nec habendo, quanto minus est beatus qui non honore, non possessione, non qualibet alia re, sed ipsa beata vita nolens deseritur, quando ei nulla vita erit? Unde etsi nullus sensus relinquitur, quo sit misera (propterea enim beata vita discedit, quoniam tota vita discedit), miser est tamen, quamdiu sentit, quia scit se nolente consumi propter quod cætera, et quod præ cæteris diligit. Non igitur potest vita et beata esse, et nolentem deserere; quia beatus nolens nemo fit : ac per hoc quantò magis nolentem deserendo miserum facit, quæ si nolenti præsto esset, miserum faceret? Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata vita erat, quam perire voluit qui habebat? Restat ut dicant neutrum esse in animo beati; id est, eum deseri a beata vita, cùm per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle; ad utrumque enim parato et æquo animo consistere. Sed nec ista beata est vita, quæ talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat, indifferenter accipitur? Nisi forte virtutes, quas propter solam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam propter quam solam istas amavimus, non amamus. Deinde quomodo erit vera tam illa perspecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt? Aut si volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, cui summè bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc : si volunt, inquam, beati esse qui beati sunt, beati utique non esse nolunt. Si autem beati non esse nolunt, proculdubio nolunt consumi et perire quòd beati sunt; nec nisi viventes

beati esse possunt. Nolunt igitur perire quod vivunt. Immortales ergo esse volunt, quicumque verè beati vel sunt vel esse cupiunt. Non autem vivit beatè, cui non adest quod vult. Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. *Ita* [1] non mori natura expetit ; nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit.

CAPUT XXXIV.

SOLVITUR OBJECTIO CONTRA RATIONEM CAPITE SUPERIORI PROPOSITAM, ET EX NATURALI BEATITUDINIS APPETITU DESUMPTAM.

Cur [2] igitur, *inquis*, beatitudinem non adipiscuntur omnes, [3] cum tam multi miseri sint, et beati omnes *naturaliter* esse velint ? [4] Censesne quemquam hominum non omnibus modis velle atque optare beatam vitam? Quis dubitet omnem hominem velle ?

Dicimus [5] voluntate vitam bea tam mereri homines, voluntate etiam miseram ; et sic mereri ut accipiant. *Sicque* [6] illi, qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, non propterea sunt beati, quia beatè vivere voluerunt (nam hoc volunt etiam mali), sed quia rectè vivere volunt ; quod mali nolunt. Quamobrem nihil mirum est, quod miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatam vitam. Illud enim cui comes est, et sine quo ea nemo dignus est, nemoque assequitur, rectè scilicet vivere, non itidem volunt. Hoc enim æterna lex illa, [7] qua justum est ut omnia sint ordinatissima, [8] incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit ; in beatitudine autem et miseria præmium atque supplicium. [9] Rationalis *autem* substantia ex utroque sumit quod voluerit, et ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequitur.

Quare [10] non repugnat superiori rationi, quod volunt om-

[1] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 25. — [2] Lib. 1, de Lib. arb., c. 14. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lib. de Immort. animæ, cap. 8. — [8] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 14. — [9] Ibid., lib. 3, cap. 25. — [10] Ibid., lib. 1, cap. 14.

nes beati esse, nec possunt. Non enim volunt omnes rectè vivere, cui uni voluntati vita beata debetur ; [1] sed in ea voluntate sunt *aliqui*, quam etiam eis invitis miseria sequatur necesse est.

Quanquam [2] *ergo*, cum miser nolis esse, esse vis tamen ; [3] si ingratus es in eo, quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. *Et* [4] ex illo quod pateris ingratus quod non vis, ordinatoris laudo justitiam : *Atque ita facilè* [5] crediderim post mortem restare animæ vitam, et tractus meritorum ; [6] cum et pœna necessariò manere debeat manente peccato, et virtuti pietatique sit Deus ipse præmium.

CAPUT XXXV.

DE AUCTORE ANIMÆ : UBI ET MANICHÆORUM DELIRIA DE DUOBUS ANIMARUM GENERIBUS PROFERUNTUR ; QUORUM ALTERUM DE IPSA DEI ESSE SUBSTANTIA, ALTERUM VERO NULLA PRORSUS EX PARTE AD DEUM PERTINERE CREDUNT.

Quæris *jam fortassis*, [7] unde sit anima. Cum *autem* quæris unde sit, duo quædam intelligere cogor. Aliter enim dicimus unde sit homo, quæ sit ejus patria scire cupientes : aliter unde sit, cùm quærimus unde constet, id est, ex quibus elementis rebusque compositus. Quid horum scire vis, cum interrogas unde sit anima? Utrumnam quasi regionem ejus et patriam, unde hùc venerit nosse desideras ; an verò quæ sit ejus substantia requiris?

Animæ [8] *quidem originem seu causam* Deum ipsum esse credo, à quo creata est ; *sicque* [9] de duobus istis generibus animarum delirare *Manichæos* et errare ; [10] quibus ita singulas naturas propriasque tribuerunt, ut alterum de ipsa Dei esse substantia, alterius verò Deum nec conditorem quidem velint accipi.

Duo [11] *quippe* animarum genera esse dicunt *Manichæi* :

[1] L. 1, de Lib. arb., cap. 14. — [2] Ibid., lib. 3, c. 6. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. 6, Confess., cap. 16. — [6] Lib. de Quantit. animæ, c. 36. — [7] Ibid., cap. 1. — [8] Ibid. — [9] Lib. de Duabus animabus contra Manich., cap. 13. — [10] Ibid., cap. 1. — [11] Ibid., cap. 12.

unum bonum, quod ita ex Deo sit, ut non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa ejus omnino substantia pars quædam processisse dicatur: alterum autem malum, quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendumque commendant. Et ideo illud summum bonum, hoc verò summum malum esse prædicant: atque ista duo genera fuisse aliquando discreta, nunc esse commixta. Genus *autem* commixtionis hujus et causam *sic explicant.*

Dicunt [1] enim nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum rebellasse: Deum autem omnipotentem, cùm videret quanta labes et vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid adversæ genti opponeret, et ei resisteret, misisse hanc virtutem, de cujus commixtione cum malo et tenebrarum gente mundus sit fabricatus. Hinc esse quòd hic animæ bonæ laborant, serviunt, errant, corrumpuntur; ut necessarium haberent liberatorem, qui eas ab errore purgaret, et à commixtione solveret, et à servitute liberaret.

Ita, [2] inquit *Manichæus*, membrum Dei malorum substantiæ commixtum est, ut eam refrenaret, atque a summo furore comprimeret (sic enim dicitur), de commixta utraque natura, id est, boni et mali, mundus est fabricatus. Pars autem illa divina ex omni parte mundi quotidie purgatur, et in sua regna resumitur: sed hæc per terram exhalans, et ad cœlum tendens, incurrit in stirpes, quoniam radicibus terræ affiguntur, atque ita omnes herbas, et arbusta omnia fecundat et vegetat. [3] Herbas enim atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quæ illis inest, et sentire credant et dolere cum læduntur, nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere. *Sed et eas* [4] non solum sentire per corpus, id est, vivere, audire, et calorem ignemque discernere, sed etiam intelligere rationem et cogitationes nostras nosse arbitrantur.

Propter [5] quod agrum etiam spinis purgare nefas habent.

[1] Lib. contra Fortunat. disput. 1. — [2] Lib. de Moribus Manich., cap. 15. — [3] Lib. de Hæresibus, hæresi 46. — [4] Lib. de Genesi ad litt., cap. 5. — [5] Lib. de Hæresibus, hæresi 46.

Unde agriculturam, quæ omnium artium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementer accusant. [1] Itaque ipsi *qui dicuntur* Electi, nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec saltem folia ulla vellentes, expectant hæc afferri usibus suis ab auditoribus suis, viventes de tot ac tantis secundùm suam vanitatem homicidiis alienis. [2] Conceptum *etiam* generationemque devitant, ne divina substantia, quæ in eos per alimenta ingreditur vinculis carneis ligetur in prole.

Nam [3] et alimentis, sicuti et universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam. *Sicque* [4] ipsam boni à malo purgationem ac liberationem non solum per totum mundum et de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt; verùm etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt, [5] eo *nempe* vitæ genere, quo vivunt Electi Manichæorum velut sanctiùs et excellentiùs auditoribus suis; nam his duabus professionibus, hoc est, Electorum et Auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt.

Itaque [6] cibi, qui de frugibus et pomis parantur, si ad sanctos, id est, ad Manichæos veniant, per eorum castitatem, et orationem, et psalmos, quicquid in eis est luculentum et divinum purgatur, id est, ex omni parte perficitur, ut ad regna propria sine ulla sordium difficultate referatur. [7] Quicquid enim purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei, tanquam propriis sedibus reddi *putant.* Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Lucemque istam corpoream animantium mortalium oculis adjacentem, non solùm in his navibus, ubi eam purissimam credunt, verùm etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum ipsos tenetur admixta, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam.

In [8] cæteris autem hominibus, etiam in ipsis auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ, quæ mixta et colligata in escis et potibus detinetur, maximeque in eis, qui generant filios, arctiùs et inquinatiùs colligari putant.

[1] Lib. de Heræsibus, heræsi 46. — [2] Ibid.— [3] Lib. de Hæresibus, hæresi 46. [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Moribus Manich., cap. 15. — [7] Lib. de Hæres., hæresi 46. — [8] Ibid.

[1]Animalia, *inquiunt*, capiunt cibum, quæ si concumbunt, ligant in carne divinum illud membrum, et à certo suo itinere aversum atque impeditum erroribus ærumnisque implicant.

Ita boni et mali [2]inter se pugnam et commixtionem, et boni à malo purgationem, et boni, quod purgari non potest, cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata asseverans *Manichæus*, *alia hujusmodi* multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic operi nimis longum est.

CAPUT XXXVI.

ANIMAM NON ESSE DIVINÆ SUBSTANTIÆ PARTICULAM.

At[3] hoc ego nefas puto credere. [4]Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino esse incommutabilem. [5]Docet *id* ratio, nec sanè recondita, sed in promptu sita et exposita omnium intellectui, sed invicta, et eò invictior quòd eam nemo ignorare permittitur, Deum *scilicet* esse incorruptibilem, incommutabilem, inviolabilem, in quem nulla indigentia, nulla imbecillitas, nulla miseria cadere possit.

Porro[6] autem animæ naturam vel in deterius vel in melius commutari posse quis ambigit? [7]Nisi *enim* mutabilis esset, non alius alio meliùs judicaret, meliùs ingeniosior quam tardior, meliùs peritior quàm imperitior, meliùs exercitatior quàm minùs exercitatus, et idem ipse unus cum proficit meliùs utique postea quàm priùs. Quod autem recipit majus et minus, sine dubitatione mutabile est. *Unde* [8]clarum est *animam* esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur; tantò*que* melius judicat quantò

[1]Lib. de Moribus Manich., cap. 15. — [2]Lib. de Hæresibus, hæresi 46. — [3]Lib. contra Fortunat., disput. 1. — [4]Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 2. — [5]Lib. de Moribus Manich., cap. 11. — [6]Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 2. — [7]Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6. — [8]Lib. de Vera Relig., cap. 30.

est peritior; et tantò est peritior, quantò alicujus artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est. [1] Mentes enim nostræ aliquando eam minus, aliquando plus vident, et ex hoc fatentur se esse mutabiles.

Si [2] *enim* incommutabilis esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius; nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantùm ad ejus ipsius affectiones pertinet. Quàm verò aliter se habeat, non opus est extrinsecùs testimonio. Quisquis seipsum advertit, cognoscit. *Videt enim animam suam* [3] modo velle, modò nolle; modò scire, modò nescire; modò meminisse, modò oblivisci; modò timere, modò audere; modò ire in sapientiam, modò in stultitiam deficere.

Ac [4] per hoc sacrilega opinio est, eam et Deum credere unius esse substantiæ, *sicut Manichæus* [5] dicit quod anima sit pars Dei et ejusdem, cujus est ille, naturæ atque substantiæ. Magna hæc est et detestanda blasphemia. [6] Quid enim hoc modò aliud quàm et ille commutabilis creditur? [7] Sequitur *etiam* ut Dei natura captivetur, decipiatur, fallatur, conturbetur atque turpetur, damnetur atque crucietur.

Ita enim Manichæi [8] non corruptibilem tantùm Deum dicitis, sed corruptum : nec et commutabilem, sed commutatum : nec violabilem, sed violatum : nec qui possit indigentiam pati, sed indigentem : nec in quem casura sit, sed in quem ceciderit imbecillitas : nec qui miser esse possit, sed miserum. Animam quippe Deum esse dicitis vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non sit, quæ pars Dei dicitur : nam et auri pars aurum, et argenti argentum, et lapidis lapis : et, ut ad hæc majora veniamus, pars terræ terra est, et aquæ pars aqua est, et aeris aer, et si quid de igne detraxeris, ignem esse non negabis, et quælibet, pars lucis, nihil potest esse aliud quàm lux. Cur ergo pars Dei non erit

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 12. — [2] Epist. 28. — [3] Serm. 143, de Tempore. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 2. — [5] Lib. contra Mendac., cap. 5. — [6] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 2. — [7] Lib. contra Mendac., cap. 5. — [8] Lib. de Moribus Manich., cap. 11.

Deus? An articulata Dei forma est, sicut hominis, reliquorumque animantium? Nam pars hominis non est homo.

Sed ad quamlibet istarum opinionum descendo, et singillatim utramque considero : nam si Deum ita esse vultis ut lucem, recusare non potestis Deum esse aliquam partem Dei. Quamobrem cum partem Dei esse animam dicitis, quam non negatis, et corruptam esse, quæ stulta est : et commutatam, quæ sapiens fuit : et violatam, quæ propriam perfectionem non habet : et indigentem, quæ poscit auxilium : et imbecillem, quæ medicinâ eget : et miseram, quæ beata esse desiderat : hæc omnia in Deum sacrilega opinione confertis.

Quòd [1] si Dei pars Deus non est; nec incorruptus potest esse, in cujus parte corruptio est : nec incommutatus, qui ex aliqua parte mutatus est : nec inviolatus, qui non ex omni parte perfectus : neque non indigens, qui sedulò agit ut sibi restituat partem suam : nec omnino sanus, qui aliqua parte imbecillus est : nec beatissimus, qui habet aliquam partem subjectam miseriæ : nec omnino liber, cujus pars aliqua premitur servitute.

Frustra [2] autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem esse volunt, hanc ejus labem ac turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus, hanc denique infirmitatem et ægritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa illi esse, sed ex corpore. Quid interest unde ægrotet, quæ si esset incommutabilis, undelibet ægrotare non posset? Nam quod verè incommutabile et incorruptibile est, nullius rei accessu commutari vel corrumpi potest. Alioquin non Achillea tantum, sicut fabulæ ferunt, sed omnis caro esset invulnerabilis, si nullus ei casus accideret. Non est itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est, nisi verè summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei.

Agnoscat [3] *itaque* anima conditionem suam : non est

[1] Lib de Moribus Manich., cap. 11. — [2] Epist. 28. — [3] Sermo 30, de Verbis Apostoli.

Deus. Cum se anima putat Deum, offendit Deum. Non invenit salvatorem, sed invenit damnatorem : quoniam Deus quando animas malas damnat, non se damnat. Si autem anima hoc est quod Deus, se damnat.

Non [1] sum *certè* mihi ipse lumen ; nam si essem, nunquam errassem. Ideo pars Dei non sum, quia substantia Dei, natura Dei, errare non potest. Ego autem erro ; nam et tu ipse confiteris, sapientem te dicis, ab errore me liberare conaris. Unde ergo erro, si natura Dei sum ? Erubesce, da honorem Deo. Ego dico, quia multum adhuc erras : sed sicut tu ipse confiteris, erraveras. Erraverat ergo natura Dei? Ierat in immunditiam natura Dei? Adulteria committebat natura Dei? Stupra illicita faciebat natura Dei? Cæca nesciebat quà iret natura Dei? Facinoribus et flagitiis obruebatur natura Dei? Erubesce, da honorem Deo.

Sed [2] quomodo, inquiunt Manichæi, scriptum est : Sufflavit in faciem ejus et factus est homo in animam viventem ; si non anima Dei pars est, vel Dei omnino substantia ? [3] Cum quidam ex hoc verbo crediderint, aliquid esse animam de ipsa substantia Dei, id est, ejusdem naturæ cujus ille est, hoc ideo putantes, quia dum homo sufflat, aliquid de seipso ejicit in flatu : hinc potius admonendi sumus hanc inimicam fidei catholicæ reprobare sententiam, *quoniam* [4] ex hoc verbo satis apparet ita non esse. Cum enim homo sufflat, anima utique ipsa subjacentem sibi naturam corporis movet, et de illa, non de seipsa flatum facit. Nisi isti fortè tam tardi sunt, ut nesciant isto reciproco halitu, quem de hoc aere circumfuso ducimus et reddimus, fieri etiam flatum, cum voluntate sufflamus. Quod si etiam, non ex hoc aere, qui forinsecus adjacet, accepto et reddito, sed ex ipsius nostri corporis natura qua constat, sufflando aliquid ejiceremus, non est eadem natura corporis et animæ, quod et ipsi utique consentiunt. Quapropter etiam sic aliud est animæ substantia, quæ corpus regit et movet ; aliud flatus, quem regendo vel movendo facit de corpore sibi subdito,

[1] Sermo. 30, de Verbis Apostoli. — [2] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 3. — [3] Ibid., cap. 2. — [4] Ibid., cap. 3.

non de seipsa cui corpus est subditum. Cum itaque longè quidem incomparabili modo, sed tamen anima regat subditum corpus, et Deus subditam creaturam, cur non potius intelligatur de subjecta sibi creatura fecisse Deus animam in eo quod sufflasse dictus est : quandoquidem ipsa anima, quamvis corpori suo non ita dominetur, ut Deus universitati quam condidit, tamen ejus motu non de sua substantia flatum facit?

Possemus quidem dicere nec ipsum Dei flatum esse animam hominis, sed Deum sufflando fecisse animam in homine. Sed ne putentur meliora quæ fecit verbo, quàm quod fecit flatu, quia et in nobis melius est verbum quàm flatus : nihil est interim secundùm supradictam rationem, cur animam ipsam Dei flatum dicere dubitemus, dum intelligatur non esse Dei natura atque substantia ; sed hoc ipsum esse sufflare quod est flatum facere, hoc est animam facere. Cui sententiæ congruit, quod per Isaiam dicit Deus : *Spiritus enim à me procedit, et flatum omnem ego feci.* Nam non quemlibet flatum corporeum eum dicere sequentia docent. Cum enim dixisset : *Omnem flatum ego feci* ; *et propter peccatum*, inquit, *pusillum quid contristavi eum, et percussi eum.* Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter peccatum percussa et contristata est? Quid igitur est: *Omnem flatum ego feci*, nisi omnem animam ego feci?

CAPUT XXXVII.

ANIMAM ESSE DEI CREATURAM.

Credendum [1] itaque est, et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo tanquam rem quam fecerit, non tanquam de natura cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit. [2] Omne *quippe* verum à veritate verum est : et omnis anima eo anima est, quo vera anima est. Omnis igitur anima à

[1] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 2. — [2] Lib. 83 qq. q. 1.

veritate habet ut omnino anima sit. Aliud autem anima est, aliud veritas, *ut supra jam probatum est;* nam veritas falsitatem nunquam patitur; anima verò sæpe fallitur. Non igitur, cum à veritate anima est, à seipsa est. Est autem veritas Deus. Deum igitur habet auctorem ut sit anima.

CAPUT XXXVIII.

NULLAM PRORSUS ANIMAM ETIAM VITIOSAM ET PECCATRICEM, IN QUANTUM EST ANIMA, EXISTERE, CUJUS NON SIT CONDITOR DEUS.

Si *ergo* [1] tempore illo, *quo* [2] Manichæorum, *ut supra jam dixi*, laqueis *tenebar*, mecum sobriè diligenterque considerassem, mente in Deum supplici et pia, fortasse mihi satagenti apparuisset, nullam esse qualemlibet vitam, quæ non eo ipso quo vita est, et in quantum omnino vita est, ad summum vitæ fontem principiumque pertineat: quod nihil aliud quàm summum et solum, verumque Deum possumus confiteri. Quapropter illas animas, quæ à Manichæis vocantur malæ, aut carere vita, et animas non esse; neque quicquam velle seu nolle, appetere vel fugere : aut si viverent, ut et animæ esse possent, et aliquid tale agere, quale illi opinantur, nullo modo eas nisi vita vivere : ac si Christum dixisse constaret, ut constat : *Ego sum vita* ; nihil esse causæ cur non omnes animas, cùm animæ nisi vivendo esse non possint, per Christum, id est, per vitam creatas et conditas fateremur.

Suaderem [3] *ex iis quæ jam superiùs adduximus*, non *Manichæos,* oportere dubitare istam lucem *sensibilem*, quam colendam prædicarent, esse animâ illâ viliorem, quam fugiendam monerent. [4] Lucem autem illam illi quoque à Patre Christi esse confirmant. Egone *igitur*, quod ab eo esset quæcumque anima, dubitarem? [5] Quisquis *certè* hoc

[1] Lib. de Duabus animabus, cap. 2. — [2] Ibid., cap. 1. — [3] Ibid., cap. 3. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 5.

lumen ex Deo esse contenderet, non repugnarem: sed magis animas dicerem vitiosas etiam, non in quantum vitiosæ, sed in quantum animæ sunt, Deum sibi esse creatorem fateri oportere.

CAPUT XXXIX.

NULLAM DE CORPOREIS ELEMENTIS ANIMAM ESSE FACTAM; CUM NULLUM OMNINO CORPUS CONVERTI POSSIT IN ANIMAM; NISI ET IPSAM IN GENERE ALICUJUS CORPORIS PONI CONCEDATUR.

Substantiam *verò* [1] animæ non puto esse ex iis usitatis notisque naturis, quas istis corporis sensibus tangimus. Nam neque ex terra, neque ex aqua, neque ex aere, neque ex igni, neque ex iis omnibus, neque ex aliquibus horum conjunctis constare animam puto: *ita ut* [2] simplex quiddam et propriæ substantiæ videatur esse. [3]Simplex enim animæ natura dici potest, quia ex aliis naturis non est.

Nec [4] *igitur* de corporeis elementis credendus est animam, *etiam irrationalem*, fecisse Deus. *Nam* [5] quæritur etiam ipsa irrationalis *anima* unde fiat, quia et ipsam non facit nisi creator omnium naturarum. An illa de materie corporali? cur non ergo et ista, *quæ rationalis est*? *Nam* [6] si corpus est materies animæ irrationalis, [7] proculdubio corpus est materies animæ rationalis. Quod neminem unquam scio ausum esse sentire, nisi qui et ipsam animam non nisi in genere alicujus corporis ponit.

Quid [8] est ergo, unde anima *jussu* Dei facta est? An corpus aliquod erat terrenum quidem et humidum? nullo modo. Hinc enim potius caro facta est. Nam quid aliud est limus quam terra humida?

Nec de humore solo anima facta est, quasi caro de terra, et anima de aqua. Nimis enim absurdum est, inde factam

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 4. — [5] Ibid., cap. 9. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid., c. 12.

putare animam, *etiam pecoris*, [1] unde facta est caro piscis et volucris.

Ergo [2] fortassis ex aere. [3] Sed cum anima, *etiam irrationalis*, non sit corporea, quicquid autem ex mundi corporeis elementis fit, corporeum sit necesse est (in quibus mundi elementis etiam aer iste connumeretur); nec si de puri illius cœlestisque ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent : corpus autem aliquod, sive terrenum, sive cœleste, converti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides hoc habet. [4] Omne *quidem* corpus in omne corpus mutari posse, credibile est. Quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est.

Quapropter [5] non est *etiam irrationalis* animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet : [6] nec illud *etiam* audiendum est, quod quidam putaverunt, quintum quoddam esse corpus unde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbulentior atque terrenus, sive ille cœlestis, purus et lucidus ; sed nescio quid aliud, quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod et nos, id est, naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine, spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque facta inde credenda est. [7] Quia, *ut alibi jam observatum est*, illud ejus, quod etiam pecora habere intelliguntur, vel cœli volatilia, cum habitacula sua seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est, *proindeque* [8] corpus non est.

[1] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 12. — [2] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 12. — [3] Ibid. — [4] Ibid., c. 20. — [5] Ibid., cap. 15. — [6] Ibid., cap. 21. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

CAPUT XL.

NEC DE ULLA ETIAM SPIRITALI MATERIA FACTAM ESSE A DEO ANIMAM ; QUIA NEC DICI POTEST, QUID ILLA SPIRITALIS MATERIES ESSE POTUERIT.

Utrum [1] autem *facta sit* ex eo quod omnino non erat, id est, ex nihilo : an ex aliqua re quæ jam à Deo facta spiritaliter erat, sed anima nondum erat, meritò quæri potest.

An [2] *ergo* jam erat aliquid spiritale, quamvis hoc quicquid erat, nondum animæ natura erat, atque ex hoc factus sit flatus Dei, quæ natura esset animæ ; sicut nec corporis humani natura jam erat, antequam Deus eam de limo terræ vel pulvere formasset. Non enim caro humana erat pulvis aut limus ; sed tamen aliquid erat, unde illa fieret quæ nondum erat.

Si [3] quiddam incommutabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam quærere deberemus. Nunc autem mutabilitas ejus *etiam quæ rationalis est*, satis indicat eam interim vitiis atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrinâ ; sed in sua jam natura, qua est anima : sicut etiam caro in sua natura, qua jam caro est, et salute decoratur, et morbis vulneribusque fœdatur. Sed sicut hæc, excepto quod jam caro est, in qua natura vel proficit ut pulchra, vel deficit ut deformis sit, habuit etiam materiem, id est, terram de qua fieret, ut omnino caro esset : sic fortasse potuit et anima antequam ea ipsa natura fieret quæ anima dicitur, cujus vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritalem, quæ nondum esset anima : sicut terra, de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro.

At [4] verò illa spiritalis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet?

[1] Lib. 7, de Genesi ad lit., c. 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid., c. 6. — [4] Ibid., c. 7.

Vivit, an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus? Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid? an ab hoc etiam opere vacat, et in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vitæ futuræ quædam incorporea nec viva materia? Aut falsum est, aut nimis latet.

Sed [1] illam partem, qua quærebamus quasi *animæ* materiem, unde facta sit, jam satis tractavimus. [2] Nunc, si omnino non fuit, quærendum est, [3] num credibile *sit* in primis sex dierum operibus Deum condidisse, non solùm futuri corporis humani causalem rationem, verum etiam materiam de qua fieret, id est, terram de cujus limo vel pulvere fingeretur; animæ autem solam ibi condidisse rationem secundum quam fieret, non etiam quamdam pro suo genere materiam, de qua fieret : *An scilicet in* [4] aliqua creatura tanquam in parente ratio animæ facta sit, ut omnes animæ ab illa generentur, à Deo autem creentur, quando singulis hominibus dantur, sicut à parentibus corpora.

CAPUT XLI.

NULLAM ANIMÆ RATIONEM SEMINALEM, VEL IN ELEMENTIS, VEL IN ANGELIS PRÆCESSISSE ; NE ANIMAM, VEL ELEMENTORUM, VEL ANGELORUM, FILIAM COGAMUR ADMITTERE.

Sed [5] corporis humani etiam si fuerit aliqua occulta ratio, qua futurum erat ut formaretur, erat et materies, de qua formaretur, id est, terra in qua videri potest illa ratio velut in semine latuisse : animæ autem faciendæ, id est, flatus faciendi, qui esset anima hominis, quæ ibi ratio causalis primitus condita est? [6] Si enim hæc ratio in Deo erat, non in creatura, nondum ergo erat condita. [7] Si autem jam in creatura erat, hoc est, in iis quæ simul omnia creaverat

[1] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 21. — [2] Ibid., cap. 22. — [3] Ibid., lib. 7, cap. 6. — [4] Ibid., lib. 10, c. 3. — [5] Ibid , lib. 7, c. 22. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

Deus, in qua creatura erat? utrum spiritali, an corporali? Si spiritali, agebatne aliquid in corporibus mundi, seu cœlestibus, seu terrestribus? An in ea erat hæc vacans antequam homo in sua natura propria conderetur : sicut in ipso homine jam propriam ducente vitam latenter otioseque inest ratio generandi, quæ non operatur, nisi per concubitum atque conceptum ? An illa creatura spiritalis, in qua latenter erat hæc ratio, nihil agebat sui operis? Et ut quid creata erat? An ut contineret rationem futuræ animæ humanæ, vel futurarum animarum, tanquam in seipsis esse non possent, sed in aliqua creatura propria vita jam vivente : sicut generandi ratio non potest esse nisi in aliquibus jam existentibus perfectisque naturis. Parens ergo animæ instituta est aliqua creatura spiritalis, in qua sit ratio futuræ animæ, quæ non inde existat, nisi cum eam Deus homini inspirandam facit. Neque enim et ex homine fetum vel seminis vel ipsius jam prolis creat et format, nisi Deus, per Sapientiam attingentem ubique propter suam munditiam, ita ut nihil inquinatum in eam incurrat, dum pertendit *à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Sed nescio quemadmodum possit intelligi, ad hoc tantùm creatam nescio quam creaturam spiritalem, quæ id Dei conditionibus per illos sex dies factis non commemoraretur, cum Deus hominem sexto die fecisse dictus est, quem nondum in propria natura fecerat, sed adhuc ratione causali in illa creatura, quæ commemorata non est. Magis enim debuit ipsa commemorari, quæ sic consummata erat, ut non adhuc esset secundum suæ causæ præcedentem rationem facienda.

An [1] fortè in illius diei natura, quam primitus condidit, si spiritus intellectualis dies ille rectè accipitur, hanc faciendæ animæ causalem rationem Deus inseruit, cum sexto die fecit hominem ad imaginem suam; causam scilicet rationemque præfigens, secundùm quam eum post illos septem dies faceret; ut videlicet corporis ejus causalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius

[1] Ibid , cap. 23.

diei creasse credatur? Sed quid aliud dicitur cum hoc dicitur, nisi angelicum spiritum quasi parentem esse animæ humanæ, si sic in illo inest animæ humanæ creandæ præcondita ratio, sicut in homine futuræ prolis suæ : ut corporum quidem humanorum parentes homines sint, animarum autem Angeli, creator verò et animarum et corporum Deus : sed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis ; aut prioris corporis ex terra, et prioris animæ ex angelica natura, ubi rationes eorum causales præfixerat, quando primitùs fecit hominem in his quæ simul omnia creavit : deinceps verò jam homines ex hominibus, corpus ex corpore, animam ex anima? Durum est hoc, Angeli aut Angelorum filiam dicere esse animam, sed multò durius cœli corporei ; quantò magis ergo, maris et terræ? Multò minus igitur in aliqua corporali creatura, causalis animæ ratio præcondita est, cum faceret Deus hominem ad imaginem suam, antequam eum suo tempore de limo formatum flatu animaret, si absurdè creditur animam causaliter in natura angelica condidisse.

Etsi [1] *ergo* non contra verba Scripturæ apertè posita ; tamen durè atque intolerabiliter diceremus, vel in ea creatura spiritali, quæ ad hoc tantummodo creata esset, factam fuisse animæ humanæ rationem, cum ipsa creatura, in qua ista ratio facta diceretur, non commemoraretur in operibus Dei ; vel in aliqua creatura, quæ in illis commemoraretur operibus, factam rationem animæ, velut in hominibus, qui jam sunt facti, ratio latet generandorum filiorum : ac sic eam vel Angelorum filiam, vel (quod est intolerabilius), alicujus elementi corporei filiam crederemus. [2] Si *enim* generalis omnium animarum ratio facta fuerat, sicut in hominibus ratio gignendi, reditur ad illud durum ac molestum, ut vel Angelorum, vel quod indignissimum est, cœli corporei, vel alicujus etiam inferioris elementi filias animas *etiam* hominum esse dicamus.

[1] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 2. — [2] Ibid., cap. 3.

CAPUT XLII.

ANIMAM, QUÆ A DEO PRIMA PRODUCTA EST, FACTAM ESSE DE NIHILO.

Cum [1] ergo non *sit anima* de ipso *Deo*, quia non est immutabilis sicut ipse; si de nulla re alia facta est, de nihilo facta est proculdubio, sed ab ipso. *Qui enim* [2] eam non vult ex nihilo factam fateri, et aliam nullam creaturam unde sit facta commemorat, atque ita illi dat auctorem Deum, ut neque ex nullis extantibus, id est, nihilo, neque ex aliqua re, quæ non est quod Deus est, sed de seipso eam fecisse credatur; nescit eò se revolvi, quod declinasse se putat, ut scilicet nihil aliud anima quàm Dei natura sit; ac sic consequenter et de Dei natura fiat aliquid ab eodem Deo, cui faciendo materia, de qua facit, sit ipse qui facit; ac per hoc et Dei sit natura mutabilis, et mutata in deterius ejusdem ipsius Dei ab eodem ipso Deo natura damnetur. Quod pro tua fideli intelligentia, quàm non sit opinandum, et quam sit à corde catholico secludendum longeque fugiendum, vides. Ita quippe anima vel de flatu facta, vel Dei flatus factus est ipsa, ut non de ipso sit, sed ab ipso de nihilo creata sit. Neque enim sicut homo, quando sufflat, non potest de nihilo flatum facere, sed quem de isto aere ducit, hunc reddit; ita Deo putandum est auras aliquas circumfusas jam fuisse, quarum exiguam quamdam particulam spirando traheret, et respirando refunderet, quando in hominis faciem sufflavit, eique illo modo animam fecit. Quod et si ita esset, nec sic de ipso, sed de subjacenti re aliqua flabili, posset esse quod flavit. Sed absit ut negemus omnipotentem de nihilo flatum vitæ facere potuisse, quo fieret homo in animam vivam : atque in eas contrudamur angustias, ut vel jam fuisse aliquid, quod ipse non esset, unde flatum faceret, opinemur : vel quod mutabile

[1] Lib. 1, de Anim. et ejus orig., cap. 4. — [2] Ibid.

factum videmus, de seipso fecisse credamus. Quod enim de ipso est, necesse est, ut ejusdem naturæ sit cujus ipse est, ac per hoc etiam immutabile sit.

Unde [1] *igitur* obsecro credis esse animam, non uniuscujusque nostrûm dico (*de hac enim infra*) sed primam. [2] Si ex nihilo, et factam tamen insufflatamque à Deo; id credis quod ego.

CAPUT XLIII.

DE CÆTERARUM, QUÆ IN PROLE DANTUR, ANIMARUM ORIGINE, QUATUOR OPINIONES PROPONUNTUR.

Adhuc [3] tamen expectatur quid teneatur in prole, qui nobis modus *nascendi* usitatus est, hominis, *verbi gratia*, ex homine : *an tenendum sit*, [4] animam unam Deum fecisse, et dedisse primo, *verbi gratia*, homini, unde cæteras *rationales et humanas* faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora; [5] an singulas facere, sicut illi unam; non ex illa cæteras. *Et* [6] si non ex alia propagata, sed mox ex nihilo creatis singuli accipiunt, an [7] non *oporteat animam* existimare factam, nisi cum jam formato corpori est inspirata : *vel potiùs utrum* [8] in aliquo Dei secreto jam existentes animæ mittantur ad inspiranda et regenda corpora singulorum quorumque nascentium. *Ubi* [9] rursus non spernenda oritur quæstio, [10] an illud dicendum *sit*, quod ad corpus administrandum voluntate propria fuerit inclinata; *an* Dei [11] nutu ad corpus venerit.

Harum [12] autem quatuor de anima sententiarum, utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes, vel mittantur divinitus, vel inde sua sponte labantur, nul-

[1] Ibid., lib. 2, c. 3. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 10. — [4] Ibid., cap. 6. — [5] Ibid. — [6] Epist. 157. — [7] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 28. — [8] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 20. — [9] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 25. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 21.

lam temerè affirmare oportebit. Aut enim nondum ista quæstio à divinorum Librorum catholicis tractatoribus pro merito suæ obscuritatis, et perplexitatis evoluta atque illustrata est: aut si jam factum est, nondum in manus nostras hujuscemodi litteræ pervenerunt.

Nec [1] *tamen* iste sermo ad id valuerit, ut quisquam nos prohibere arbitretur, ut quærant qui potuerint secundum Scripturas divinitus inspiratas, utrum anima de anima propagetur, an suo cuique animanti singulæ in ipso fiant, an ad regendum animandumque corpus divino nutu alicunde mittantur, vel propria voluntate se insinuent : si vel alicujus expediendæ necessariæ quæstionis ratio flagitat ista considerare atque discutere, vel à rebus magis necessariis otium ad hæc quærenda et disserenda conceditur. *Nam et ego* [2] quatuor *istas* opiniones de animæ incarnatione, utrum ex illa una, quæ primo homini data est cætera propagentur : an singulis quibusque novæ etiam modò fiant : an alicubi jam existentes vel mittantur divinitus, vel sponte labantur in corpora putavi esse tractandas; [3] quoniam ex quatuor *istis* opinionibus quænam sit eligenda scire desidero.

CAPUT XLIV.

UTRUM IN FONTE ALIQUO, SEU THESAURO QUODAM, OMNES ANIMAS MUNDI IPSIUS INITIO DEUS CONDIDERIT, SUO TEMPORE FORMATIS CORPORIBUS, VEL DIVINO VEL PROPRIO EARUM NUTU, DEINCEPS INSERENDAS.

Illud [4] ergo *primò* videamus utrum forsitan verum esse possit, [5] Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creavit, *animas* etiam *humanas* creasse, *quas* suo tempore membris ex *materia* formati corporis inspiraret. *Et id quidem* [6] credatur, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio, contradicit , hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi;

[1] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 21. — [2] Epist. 28. — [3] Ibid. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 24. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

anima verò jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, *seu lux intellectualis et angelica*, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est, inspirando, formato *deinceps* corpori insereret : *Ita ut* [1] credatur modò Deus [2] ex fonte aliquo, sive thesauro quodam, quem tunc fecit, animas mittere.

Plato [3] *quidem* ille Philosophus nobilis persuadere conatus est, vixisse animas hominum et antequam ista corpora gererent : et hinc esse quod ea, quæ discuntur, reminiscuntur potiùs cognita, quàm cognoscuntur nova. Retulit enim puerum quemdam nescio quæ de geometrica interrogatum sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippe atque artificiosè interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat.

Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes vel penè omnes, cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita geometræ fuerunt cum tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri : sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subjuncta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. Non enim et ipse ideo sine magistro alba et nigra discernit, quia ista jam noverat antequam in hac carne crearetur. Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisque respondeat quod ad quamque pertinet disciplinam, etiamsi ejus ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas isto vidit in corpore constitutus, aut eis, qui noverant, indicantibus credidit, seu litteris cujusque, seu verbis?

Rursus [4] si jam facta erat anima et latebat, ubi ei melius esse posset quam ibi? [5] Animabus *tamen* melius est cum suis corporibus bene valentibus vivere. *Unde et* [6] melius

[1] Epist. 28. — [2] Ibid. — [3] Lib. 12, de Trinit., cap. 15. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 25. — [5] Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 19. — [6] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 27.

creditur hoc naturaliter velle *ut in corpore vivat,* id est, in ea natura creari ut velit, sicut naturale nobis est velle vivere. *Nam et in ipso gloriæ statu* [1] inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, *quod ipsa incommutabilis est substantia,* quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. [2] Illa quippe inclinatio voluntatis ad corpus, nondum est actio vel justitiæ vel iniquitatis, de qua ratio reddenda est in judicio Dei, recepturo unoquoque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum.

Mirum [3] *certè*, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim, *ut in moralibus explicatur*, justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona; si minùs, minùs bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est. *Imò* quis dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?

Si verò [4] ex uno fonte manare quodammodo tanquam rivulos animas *credamus;* [5] unde bonæ *fuissent vel* non bonæ *ante unionem cum corpore?* [6] Neque enim actio erat aliqua singularum quarumque animarum, qua earum mores discernerentur antequam venirent ad corpora, [7] quia nullum antea vitæ gestæ meritum *est.* Eis *enim, qui* [8] dixerunt quia animæ sursum in cœlo peccant, et secundum sua peccata carceribus includuntur, [9] occurrit Apostolus, volens gratiam commendare, et elegit illos geminos in utero Rebeccæ, et dicit: *Nondum enim natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali.* Vide quemadmodum tulit vanis hominibus phantasias conversationis animarum ante corpus in cœlo. Si enim ibi jam conversatæ sunt, jam aliquid boni egerunt vel mali, et pro meritis suis ad corpora terrena detrusi sunt. Si placet, contradicamus Apostolo, qui dixit: *Nondum natis, nec qui aliquid egerint boni aut mali.* Hoc *certè* propter

[1] Ibid., lib. 12, cap. 35. — [2] Ibid., lib. 7, cap. 25. — [3] Lib. 2, de Peccat. merit. et remiss., cap. 18. — [4] Lib. 10, de Genesi ad litt., c. 17. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Serm. 7, de Verbis Apostoli. — [9] Ibid.

Apostoli evidentem sententiam respuit catholica fides, quòd animæ in cœlis prius vivant et conversentur, et illic recipiendorum corporum merita assumant.

Præterea[1] si vivit *ante corpus anima*, quid agit? [2]Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? *At*[3] nullus beatus, nisi justus; [4] neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest. [5]Si autem *priusquam descenderet ad corpus*, jam vivebat nec beatè nec miserè, quomodo rationalis erat?

Quid[6] etiam fuit causæ, ut anima innocenter vivens insereretur vitæ hujus carnis? [7]An illud dicendum est, quod ad corpus administrandum voluntate propria fuerit inclinata? *Si*[8] credatur quod *ita* Dei nutu ad corpus venerit, *nonne* hoc ipsum Deo volenti obtemperasse jam utique actio bona extitit, et *est* contrarium nondum natos nihil egisse vel boni vel mali? Si *verò* ad hoc fit anima, ut mittatur in corpus, *et ad illud etiam* si noluerit compellatur *ab ipso Deo;* [9]et hoc addo : Cui noceri nihil poterat, crudelis *utique* voluntas fuit mittendi animas ad tantas miserias. Quod refellendi causa quia loquor, veniam peto ab illius unius misericordia, in quo spem liberationis habemus ab omnibus erroribus. [10]Crudeliter, *inquam*, huc nos misit ut ista patiamur. [11]Omnis *profectò* pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur.

An[12] *igitur* forte illud jam explosum repudiatumque sentiendum est, quod animæ prius in cœlesti habitatione peccantes, gradatim atque paulatim ad suorum meritorum corpora veniant, ac pro ante gesta vita magis minusve corporeis pestibus affligantur?

Sed[13] absit ut contradicamus Apostolo. [14]Nunc enim

[1] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 7. — [2] Ibid. — [3] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 25. — [4] Lib. 1, Oper. imperf. — [5] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 7. — [6] Ibid., cap. 25. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Lib. contra Fortunat., disput. 2. — [10] Ibid., disput. 1. — [11] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 18 — [12] Lib. 1, de Pec. merit. et remiss., cap. 22. — [13] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 7. — [14] Ibid., lib. 6, cap. 9.

liquidò tenemus illam sententiam [1]Apostolicæ non convenire sententiæ, cum apertissimè dictum sit : *Nihil egisse nondum natos, seu boni, seu mali.*

CAPUT XLV.

UTRUM FILIORUM ANIMAS DE UNA QUADAM PRIMA PER SEMEN ALIQUOD SPIRITALE PROPAGARI SEU TRADUCI, AN NOVAS SUBINDE FIERI DE NIHILO CENSENDUM SIT.

Ac per hoc alia quæstio est *hoc* loco tractanda, [2]an *scilicet* in illis primis Dei operibus unam animam primi hominis factam *credendum sit*, de cujus propagine omnes hominum animæ crearentur : an novas subinde animas fieri, quarum nulla vel ratio facta præcesserit in primis illis sex dierum operibus Dei.

De [3] hoc *itaque* diligentiùs inquiramus, quonam modo refelli possint, sive non possint qui credunt animam de anima hominis, sicut carnem de carne fieri, à parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus.

CAPUT XLVI.

NOVAM SINGULARUM ANIMARUM CREATIONEM IIS SCRIPTURÆ SACRÆ LOCIS NON PROBARI, QUÆ HANC IN REM COMMUNITER AFFERUNTUR.

Primum [4] autem videndum est, utrum sacra Scriptura [5]hinc nos dubitare permittat, ut nunc rectè fortasse requiramus, aut quænam sententia potiùs eligenda sit, aut in rei hujus incerto quem modum tenere debeamus.

Illud [6] ergo jam videamus, cuinam potius sententiæ divina testimonia suffragentur : eine, qua dicitur animam unam

[1] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 7. — [2] Ibid., lib. 10, cap. 3. — [3] Ibid., cap. 1. — [4] Ibid., cap. 2. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 6.

Deum fecisse, et dedisse primo homini, unde cæteras faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora : an ei, qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa cæteras.

Illud enim quod per Isaiam dicit : *Omnem flatum ego feci*, cum hoc eum de anima dicere quæ sequuntur satis ostendant, ad utrumque accipi potest. Nam sive ex una primi hominis anima, sive ex aliquo suo secreto, omnes proculdubiò animas ipse fecit. Et illud quod scriptum est : *Qui finxit singillatim corda eorum*, si nomine cordium voluerimus animas intelligere, neque hoc repugnat cuiquam duorum de quibus nunc ambigimus. Sive enim ex una illa, quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas fingit, sicut etiam corpora : sive singulas vel fingat et mittat, vel in eis ipsis quibus miserit eas fingat. Quamquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quod per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renovatione formantur. Unde dicit Apostolus : *Gratia enim salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est; non ex operibus ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creatum in Christo Jesu in operibus bonis.* Non enim per hanc gratiam fidei corpora nostra creata vel ficta possumus intelligere; sed sicut in Psalmo dictum est : *Cor mundum crea in me, Deus.* Hinc etiam illud esse puto : *Qui finxit spiritum hominis in ipso*; tanquam aliud sit factam animam mittere, aliud in ipso homine facere, id est, reficere ac renovare. Sed etiam hoc, si non de gratia qua renovamur, sed de natura in qua nascimur, intelligamus, ad utramque sententiam duci potest : quia vel ex una illa primi hominis tanquam semen animæ attractum ipse fingit in homine, ut vivificet corpus : sive spiritum vitæ, non ex illa propagine, sed aliunde corpori infusum, ipse itidem fingit per mortales sensus carnis, ut fiat homo in animam vivam.

Illud [1] sanè de libro Sapientiæ, ubi ait : *Sortitus sum animam bonam, et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*; diligentiorem considerationem flagitat. Magis

[1] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 7.

enim videtur attestari opinioni, qua non ex una propagari, sed desuper animæ venire creduntur ad corpora. Verumtamen quid est : *Sortitus sum animam bonam?* Quasi aut in illo animarum fonte, si ullus est, aliæ sint animæ bonæ, aliæ non bonæ, quæ sorte quadam exeant, quænam cui homini tribuatur : aut alias Deus ad horam conceptorum vel nascentium faciat bonas, alias non bonas, quarum quisque habeat sorte, quæ acciderit. [1] Cum *ergo* videatur illos adjuvare hoc testimonium, qui non ex parentibus creari, sed venire ad corpus vel descendere Deo mittente animas dicunt: rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait : *Sortitus sum animam bonam*; cùm proculdubiò vel ex uno fonte manare quodammodo tanquam rivulos, vel pari natura fieri animas credant, quas Deus mittit in corpora : non autem alias bonas vel magis bonas, et alias non bonas vel minus bonas. Unde enim bonæ aut magis bonæ, *quemadmodum supra jam diximus*, seu non bonæ aut minus bonæ animæ, nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturæ corporum, dum aliæ magis, aliæ minus gravantur corpore, quod corrumpitur et aggravat animam? Sed neque actio erat aliqua singularum quarumque animarum, *ut pariter dictum est superiùs*, qua earum mores discernerentur, antequam venirent ad corpora : nec ex corpore minus gravante potuit iste dicere animam suam bonam, qui ait : *Sortitus sum animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Accessisse enim dixit bonitati, qua bonus erat, sortitus videlicet animam bonam, ut etiam ad corpus incoinquinatum veniret. Aliunde ergo bonus antequam veniret ad corpus. Sed utique non differentia morum, quia nullum antea vitæ gestæ meritum : non differentia corporis, quia prius bonus quam veniret ad corpus. Unde igitur?

Mirum [2] *certè* si hoc eos saltem adjuvat, qui credunt animas alibi factas, singillatim mitti à Deo singulis quibusque corporibus hominum : ac non illos potiùs, qui pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti

[1] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 17. — [2] Ibid., cap. 7.

animas dicunt. Secundum quid enim aliæ bonæ, aliæ non bonæ venire ad corpora possunt putari, nisi secundum opera sua? Neque enim secundum naturam, in qua fiunt ab illo qui omnes naturas bonas facit. Sed absit ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali : unde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex vocante : *Major serviet minori* ; cum de geminis ageret adhuc in Rebeccæ utero constitutis. [1] Hoc autem illis, qui ex traduce animæ illius prævaricatricis animas creari asserunt, quamvis pro eis sonare non videatur, quod dictum est : *Veni ad corpus*, tamen in cæteris non incongruè coaptatur ; ut cùm dixisset : *Puer autem eram ingeniosus*, idipsum explicans quibus ex causis ingeniosus esset, continuò subjungeret : *Et sortitus sum animam bonam*, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Denique, *cùm essem*, inquit, *magis bonus*, *veni ad corpus incoinquinatum* : quod si maternum intelligatur, ne hoc quidem quod dictum est : *Veni ad corpus*, huic opinioni refragabitur, cum ex anima et corpore paterno venisse ad maternum corpus accipitur incoinquinatum : videlicet vel à cruore menstruo (dicuntur enim ex hoc ingenia gravari), vel à contaminatione adulterina. Ita et hæc verba libri hujus, aut magis eis favent qui animarum traducem loquuntur : aut si et isti ea possunt pro se interpretari, inter utrosque alternant.

Nunc [2] illud videamus, quemadmodum dictum sit : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Pro illis enim, qui arbitrantur animas ex parentibus sicut corpora creari, hoc videtur sonare, cum sic intelligatur, ut spiritum eorum propterea dixerit, quod eum homines ex hominibus acceperint : qui cum mortui fuerint, non eis poterit ab hominibus reddi, ut resurgant ; quia non rursus, quemadmodum quando nati sunt, a parentibus ducitur, sed Deus eum reddet, qui resuscitat mortuos. Ac per hoc eumdem spiritum dixit eorum cùm moriuntur, Dei autem cùm resurgunt. Quod possunt illi, qui non ex

[1] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap 17. — [2] Ibid., cap. 8.

parentibus, sed Deo mittente, animas venire asserunt, pro sua opinione sic intelligere, ut eorum dixerit spiritum cum moriuntur, quia in eis erat, et ab eis exiit; Dei autem cum resurgunt, quod ab ipso mittitur, ab ipso redditur. Proinde hoc etiam testimonium neutris eorum adversatur. Ego verò arbitror melius intelligi hoc dictum de gratia Dei, qua interius renovamur. Omnium enim superborum secundum terrenum hominem viventium, et de sua vanitate præsumentium, quodammodo aufertur spiritus proprius, cum exuunt se veterem hominem, et infirmantur ut perficiantur expulsa superbia, dicentes Domino per humilem confessionem : *Memento quia pulvis sumus* : quibus dictum erat : *Quid superbis terra et cinis?* Per oculum quippe fidei contuentes Dei justitiam, et nolentes constituere suam, semetipsos despiciunt, sicut Job dicit; et distabescunt; et æstimant se terram et cinerem : hoc enim est : *Et in pulverem suum convertentur.* Accepto autem Spiritu Dei, dicunt : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus.* Sic innovatur facies terræ, per Novi Testamenti gratiam, numerositate sanctorum.

Illud [1] etiam quod apud Ecclesiasten scriptum est : *Et convertatur pulvis in terram sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum qui dedit eum*, neutri sententiæ contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistit. Cùm enim isti dixerint hinc probari non à parentibus, sed à Deo animam dari, quod converso pulvere in terram suam, id est, carne quæ de pulvere facta est, revertetur spiritus ad Deum qui dedit illum; respondent illi : Utique ita est. Redit enim spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in ejus faciem sufflavit, converso pulvere, id est, humano corpore in terram suam, unde primitus factum est. Neque enim ad parentes erat spiritus rediturus, quamvis inde sit creatus ex illo uno, qui homini primo datus est : sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes revertitur, à quibus eam certè constat esse propagatam. Quemadmodum ergo caro non redit ad homines ex quibus creata est, sed ad terram unde primo homini formata est : ita et spiritus non redit ad

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 9.

homines à quibus transfusus est, sed ad Deum, à quo primæ illi carni datus est. Quo testimonio sanè satis admonemur ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra : et ideo cùm redit, non habet quò redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit; non ad eam creaturam ex qua facta est, sicut corpus ad terram ex qua factum est. Nulla est enim creatura ex qua facta est, quia ex nihilo facta est : ac per hoc ad factorem suum redit, quæ redit, à quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniam sunt de quibus dicitur : *Spiritus ambulans, et non revertens.*

Est [1] aliud testimonium non negligendum, quod pro se possunt proferre, qui venire desuper animas credunt, dicente ipso Domino : *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quid hac, inquiunt, sententia determinatius, non posse ex carne animam nasci. Quid enim est aliud anima quam spiritus vitæ, creatus utique non creator? Contra quos illi alii : Quid enim, inquiunt ([2] ut interim omittatur, quod illud Dominus non de carnali generatione, sed de spiritali regeneratione dicebat), [3] nos aliud sentimus, qui dicimus carnem ex carne, animam ex anima? Nam ex utroque constat homo, de quo utrumque venire sentimus, carnem de carne operantis, spiritum de spiritu concupiscentis. [4] Per semen quippe concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt, [5] qui animæ traducem defendunt; [6] creduntque, *ut supra jam innuimus*, animam de anima hominis, sicut carnem de carne fieri, à parentibus in filios transfusis utriusque rei seminibus.

Item [7] quod scriptum est, *ex uno sanguine* Deum fecisse *omne genus hominum*; vel quod ait Adam : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea :* quia neque ibi dictum est, ex una anima; neque hìc, anima de anima mea, putat *aliquis* negari animas filiorum ex parentibus, vel illius mulieris ex viro : quasi verò, si non, *ex uno sanguine*, sed ex una anima diceretur, aliud quam totus homo intelligeretur, nec corporis propagatio negaretur. Sic etiam si dic-

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 22. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., c. 20. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 1. — [7] Lib. 2, de Anima et ejus orig., c. 14.

tum esset : Anima de anima mea ; non utique negaretur caro, quam de illo exemptam fuisse constabat. A parte enim totum, sicut etiam à toto partem, plerumque Scriptura significat. Nam certè si non ex uno sanguine, sed ex uno homine, illo loco scriptum esset, institutum esse genus humanum, unde iste adhibuit testimonium ; non præjudicaret istis qui negant animarum propaginem, quamvis non sola anima, nec sola caro, sed utrumque sit homo. Responderent enim à toto partem, id est, ab homine solam hominis carnem, Scripturam significare potuisse. Sic ergo et ii qui defendunt animarum propaginem, illud quod dictum est : *Ex uno sanguine*, per sanguinem scilicet hominem, id est, à parte totum significatum esse contendunt. Sicut enim videtur illos juvare quod dictum est : *Ex uno sanguine*, nec dictum est : Ex uno homine ; sic videtur et istos juvare quod dictum est : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors ; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* : nec dictum est : In quo omnium caro peccavit. Itemque sicut illos videtur juvare quod dictum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* ; quia pars est dicta, non totum : sic iterum istos, quod ibi continuò sequitur : *Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est.* Debuit enim dici, aiunt : Quoniam de viro suo caro ejus sumpta est ; si non tota mulier, id est, cùm anima, sed sola caro sumeretur ex viro. Porrò autem utrisque auditis, qui sine studio partium judicat, videt profectò, nec contra istos qui propaginem animarum defendunt proferenda illa testimonia ubi pars nominatur : quia potuit Scriptura significare illic à parte totum, sicut *Verbum caro factum est*, cùm legimus, non utique carnem solam, sed hominem totum intelligimus. Nec contra illos qui propaginem animarum destruunt, ista proferenda, ubi non pars hominis, sed totum commemoratur ; quia potuit ibi Scriptura à toto partem significare, sicut sepultum confitemur Christum, cùm ejus caro sola sepulta sit.

Quocirca [1] difficile est quidem omnia de hac re Scriptu-

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 10.

rarum sanctarum testimonia colligere; quod etsi fieri possit, ut non solum commemorentur, sed etiam pertractentur, in magnam sermonis longitudinem pergunt : sed tamen nisi aliquid tam certum proferatur, quàm certa proferuntur, quibus ostenditur quod Deus animam fecerit; vel quod eam primo homini dederit; quonam modo per divini eloquii testimonium ista quæstio solvatur ignoro? *Qui ergo* [1]sanctarum Scripturarum testimoniis probare se existimat, animas à Deo, non ex propagine fieri, sed novas singulis insufflari, probet si potest, et fatebor me didicisse ab illo, quod magna intentione quærebam. Sed quærat alia ne fortassis inveniat. Nam hoc istis testimoniis, quæ jam *posuimus*, non probat. Omnia quippe, quæ hìc *adhibuimus*, ad aliquid certa sunt : ad hoc verò, quod de animæ origine quæritur, demonstrantur ambigua, [2]et nequaquam docent id quod persuadere conatur, [3]qui animam ex flatu Dei constanter asserit, non ex traduce, [4]quia ex Deo datur. [5]Quod enim ad hanc quæstionem attinet non exprimunt. *Sicque* adhuc utrum anima non sit ex traduce certa testimonia flagitamus aut quærimus, non qualia *jam posuimus*, quibus hoc quod quærimus non ostenditur. [6]Quid *enim* si anima et spiritus hominis et à Deo datur quamdiu datur, et tamen ex propagine sui generis datur; quod ego nec defendo nec refello. Sed si defendendum est, vel refellendum, perspicuis, non ambiguis, testimoniis id agendum esse commoneo. [7]Aliquid *enim* certum de animæ origine nondum in Scripturis canonicis comperi. Nam ii, qui novas sine ulla propagine asserunt animas fieri, inter testimonia, quibus id nituntur ostendere, ponunt illa quæ paulò ante commemoravi; [8]de quibus vides quemadmodum possit à resistentibus responderi.

[1]Lib. 1, de Anima et ejus orig., cap. 14. — [2]Ibid., cap. 15. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]Ibid. — [6]Ibid., cap. 16. — [7]Epist. 157. — [8]Ibid.

CAPUT XLVII.

NIHIL ETIAM EX SCRIPTURA SACRA PROFERRI, QUOD ANIMARUM PROPAGATIONEM EVINCAT ; RATIONEM TAMEN DE NOVA ILLARUM CREATIONE DUBITANDI ADMODUM GRAVEM IN EO NOBIS OCCURRERE QUOD INFANTIUM EX ADAMO NASCENTIUM ANIMAS PECCATUM ORIGINALE CONTRAHERE FIDES CATHOLICA DOCET ; EASQUE DAMNARI A DEO, SI ANTE BAPTISMI PERCEPTIONEM EX SUIS CORPORIBUS DISCESSERINT.

Illi *verò* [1] qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia quæ suæ causæ suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius et expressius pro se possunt putare proferendum, quam id quod in Genesi scriptum est : *Omnes autem animæ, quæ introierunt cum Jacob in Ægyptum, quæ exierunt de femoribus ejus.* Hoc enim velut evidentissimo testimonio possunt credi animæ in filios ex parentibus propagari ; quoniam satis apertè dictum videtur, animas etiam de femoribus Jacob, non sola exiisse corpora filiorum ; ut eo modo etiam illud intelligi velint à parte totum, quod dixit Adam, cùm illi mulier ejus ostenderetur : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Non enim dixit : Et anima de anima mea. Sed ita fieri potest ut carne nominata utrumque intelligatur, sicut hìc animas nominavit, et tamen etiam corpora in filiis intelligi voluit.

Sed hoc testimonium certè quasi tam clarum atque manifestum enodandæ huic quæstioni non sufficeret, nec si ita legeretur genere feminino, *quæ exierunt de femoribus ejus*, ut animas intelligeremus usquequaque exire. Ideo autem non sufficeret, quoniam et animæ nomine corpus solum posse significari, modo quodam locutionis ostenditur, quo significatur per id quod continetur illud quod continet : sicut ait quidam : Vina coronant, cùm coronarentur vasa vinaria. Vinum enim continetur, et vas continet. Sicut ergo appellamus ecclesiam, basilicam, qua

[1] Epist. 157.

continetur populus, qui verè appellatur Ecclesia; ut nomine Ecclesiæ, id est, populi qui continetur, significemus locum qui continet : ita quòd animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic enim meliùs accipitur etiam illud quod Lex inquinari dicit eum, qui intraverit super animam mortuam, hoc est, super defuncti cadaver, ut nomine animæ mortuæ, mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat, quia et absente populo, id est, Ecclesia, locus tamen ille nihilominus ecclesia nuncupatur. Hæc responderentur, si, ut dixi feminino genere positum esset : *Quæ exierunt de femoribus Jacob*, id est, quæ animæ. Nunc verò cum masculinum genus sit positum, id est : *Qui exierunt de femoribus Jacob* ; quis non ita intelligere malit : Omnes animæ eorum qui exierunt de femoribus ejus, id est, animæ hominum : ut etiam sic possint intelligi secundùm corpus tantummodo exiisse homines de femoribus patris, quorum erant illæ animæ, per quarum numerum intelliguntur tot homines.

Est [1] *etiam* illud, quo eam *opinionem* sibi quidam videntur urgere, [2] qua creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes, sed sicut illa una uni, ita singulis singulæ : quomodo *scilicet* [3] consummaverit Deus omnia opera sua sexto die, et septimo requievit, si novas adhuc animas creat.

Verùm [4] iis qui hæc ideo dicunt, ne credatur modo Deus, sicut illam unam, novas animas quæ non erant, facere ; sed ex illa una quæ jam erat, eas creare, vel ex fonte aliquo sive thesauro quodam quem tunc fecit, eas mittere, facilè respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis quas jam creaverat, sicut ex aquis alites et pisces : ex terra autem arbores, fenum, animalia : sed, quòd ea quæ non erant, tunc fecerit, manifestum est. Nulla enim erat avis, nullus piscis, nulla arbor, nullum animal : et benè intelligitur ab his creatis requievisse, quæ non erant, et creata sunt, id est, cessasse, ne ultra quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur,

[1] Epist. 28. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

animas non in nescio quo fonte jam existentes mittere, nec de seipso tanquam suas particulas irrorare, nec de illa una originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commissis carneis vinculis compedire, sed novas creare singulas singulis suam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur, quod antè non fecerat. Jam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam; quod utique secundùm animam rationalem fecisse intelligitur. Hoc et nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat. Unde et illud verum est, quod à rebus, quæ non erant, instituendis requievit. Et hoc verum est, quòd non solùm gubernando quæ fecit, verùm etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, numerosiùs creando usque nunc operatur. Vel sic ergo, vel alio modo quolibet eximus ab eo quod nobis objicitur de requie Dei ab operibus suis, ne propterea non credamus nunc usque fieri animas novas, non ex illa una, sed sicut illam unam.

Nunc [1] *autem* et illud consideremus, utrum neutram confirmet sententiam, sed utrique possit accommodari, quod scriptum est: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt*; et paulo post: *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ex his enim verbis Apostoli, qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic astruere moliuntur: Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus animam credere. Si autem quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est: *In quo omnes peccaverunt*, si non ex Adam etiam anima, sicut caro, propagata est? Aut quomodo *per* illius *inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, si tantùm secundum carnem in illo,

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 11.

non etiam secundum animam fuerunt ? Cavendum est enim, ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit : vel possit esse anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ à peccato non sit Christiana gratia necessaria, qui non peccavit in Adam, si omnes in eo peccasse secundum carnem tantùm quæ de illo creata est, non etiam secundum animam dictum est : quod usque adeo contrarium est ecclesiasticæ fidei, ut parentes ad percipiendam gratiam sancti baptismi etiam cum parvulis atque infantibus currant : in quibus si hoc vinculum peccati solvitur quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ est, meritò quæritur quid eis obesset, si in illa ætate de corpore sine baptismo exirent. Si enim per hoc sacramentum corpori eorum, et non etiam animæ consulitur, deberent et mortui baptizari. At cum videamus hoc universaliter Ecclesiam retinere, ut cum viventibus curratur, et viventibus succurratur, ne cum mortui fuerint nihil possit fieri quod prosit ; non videmus quid aliud possit intelligi, nisi unumquemque parvulum non esse nisi Adam et corpore et anima, et ideo illi Christi gratiam necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit vel boni vel mali. Proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est : unde quomodo possit justè ire in condemnationem, si de corpore sine baptismo exierit, quisquis istam sententiam de anima tenens potuerit demonstrare, mirandus est.

Tot [1] *enim* animarum millia, quæ in mortibus parvulorum sine indulgentia christiani Sacramenti de corporibus exeunt, qua æquitate damnantur, si novæ creatæ, nullo suo præcedente peccato, sed voluntate Creatoris singulæ singulis nascentibus adhæserunt, quibus eas animandis ille creavit et dedit ; qui utique noverat quòd unaquæque earum nulla sua culpa sine baptismo Christi de corpore fuerat exitura?

Quoniam igitur neque de Deo possumus dicere, quod vel cogat animas fieri peccatrices, vel puniat innocentes ; neque negare fas nobis est eas, quæ sine Christi Sacramento

[1] Epist. 28.

de corporibus exierint, etiam parvulorum, non nisi in damnationem trahi; obsecro te, quomodo hæc opinio defenditur, qua creduntur animæ, non ex illa una primi hominis fieri omnes; sed sicut illa una uni, ita singulis singulæ?

Ea verò quæ dicuntur alia contra hanc opinionem facilè puto me posse refellere, sicuti *sunt ea, quæ jam superius proposui.* [1] Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio: non solùm eas pœnas dico quas habet post hanc vitam illam damnatio, quò necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianæ gratiæ Sacramento; sed eas ipsas, quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, priùs tempus quàm exempla deficient. Languescunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame et siti cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus, vexantur ab immundis spiritibus. Demonstrandum est utique, quomodo ista sine ulla sua mala causa justè patiantur. Non enim dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri, aut eum non posse resistere facientibus, aut injustè ista vel facere vel permittere.

Numquidnam sicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in usus dari naturis excellentioribus, etsi vitiosis, sicut apertissimè in Evangelio videmus porcos ad usum desideratum concessos esse dæmonibus, hoc et de homine rectè possumus dicere? Animal est enim, sed rationale, etsi mortale. Anima est rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus justus est, Deus omnipotens est. Hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum, quæ fiunt in parvulis, causa justa dicatur.

Nempè cùm majores ista patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Job merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri. Et de quibusdam exemplis, quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt homini conjectare conceditur; sed hoc in majoribus. De parvulis autem quid

[1] Epist. 28.

respondeamus edissere, si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata. Nam utique nulla est in illis ætatibus examinanda justitia.

De ingeniorum verò diversitate, imo absurditate, quid dicam ? quæ quidem in parvulis latet, sed ab ipsis exordiis naturalibus ducta, apparet in grandibus, quorum nonnulli tam tardi et obliviosi sunt, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint : quidam verò tantæ sunt fatuitatis, ut non multum à pecoribus differant ; quos moriones vulgò vocant. Respondetur fortasse : Corpora hoc faciunt.

Sed numquid secundum hanc sententiam quam defendi volumus, anima sibi corpus elegit, et in eligendo, cum falleretur, erravit? Aut cùm in corpus cogeretur intrare necessitate nascendi, alia corpora præoccupantibus animarum turbis, ipsa aliud non invenit, et sicut in spectaculo aliquo locum, ita carnem non quam voluit, sed quam valuit, occupavit ? Numquid hæc et talia vel dicere possumus, vel sentire debemus? Doce igitur quid sentire, quid dicere debeamus, ut constet nobis ratio novarum animarum sigillatimque factarum singulis corporibus.

Ego quidem, non de ingeniis, sed saltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris *meis* de Libero Arbitrio. Quod quale sit, et cur mihi in ista quam habemus in manibus quæstione non sufficiat, intimabo, et eum ipsum de tertio libro locum decerptum his litteris inseram. Nam ita se habet. [1] « Quis autem novit, quid parvulis de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur ; quis ergo novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Non enim frustra etiam infantes illos qui, cùm Dominus noster Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia. »

[1] Epist. 28.

Hæc tunc dixi, cùm hanc ipsam, de qua nunc agitur, vellem communire sententiam. Sicut enim paulò antè commemoravi, quæcumque illarum de animæ incarnatione quatuor opinionum vera esset, inculpatam substantiam Creatoris, et à nostrorum peccatorum societate remotissimam nitebar ostendere. Et ideo quæcumque illarum veritate posset convinci et repudiari, ad curam intentionis meæ, quam tunc habebam non pertinebat: quandoquidem cunctis diligentiore disputatione discussis, quæcumque illarum rectè vinceret cæteras, me securissimo fieret, quando etiam secundum omnes, id quod agebam, invictum persistere demonstrabam.

Nunc verò unam volo, si possum, ratione recta eligere ex omnibus: et propterea hujus ipsius, de qua nunc agimus, defensionem in his, quæ commemoravi de illo libro, verbis meis attentiùs intuens, validam firmamque non video. Nam velut firmamentum ejus illud est, quod ibi dixi: « Quis autem novit quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur: quis ergo novit quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus? Quoniam quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. » Sed hoc non immeritò dici video, de his, qui vel pro Christi nomine, ac vera religione, tale aliquid etiam nescientes patiuntur: vel Sacramento Christi jam imbuti sunt; quia sine societate unius Mediatoris liberari à damnatione non possunt, ut possit eis etiam pro illis malis, quæ hìc in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio ista præstari. Nunc autem cum ista quæstio non possit absolvi, nisi etiam de his parvulis respondeatur, qui post gravissimos cruciatus sine Sacramento christianæ societatis exspirant; quæ circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper et damnatio præparata est? Nam et de baptismo parvulorum in eodem libro, non quidem sufficienter, sed quantum illi operi satis esse videbatur, utcumque respondi, quod etiam nescientibus, et fidem suam nondum habentibus prodest: non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo in hac vita emigrant,

tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur.

Sed ut omittamus et contemnamus ea, quæ brevi tempore patiuntur, nec transacta revocantur, numquid similiter contemnere possumus, quòd *per unum hominem mors, et per unum hominem resurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur:* Per hanc enim apostolicam divinam claramque sententiam, satis evidenter elucet, neminem ire in mortem nisi per Adam: neminem ire in vitam æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe *omnes*, et *omnes*, quia sicut omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam; sic omnes homines ad secundam, id est, spiritalem generationem veniunt, quicumque ad Christum perveniunt. Ideo ergo dictum est, et hìc *omnes*, et ibi *omnes*: quia sicut omnes, qui moriuntur non nisi in Adam moriuntur: ita omnes, qui vivificabuntur, non nisi in Christo vivificabuntur. Ac per hoc, quisquis nobis dixerit quemquam in resurrectione mortuorum vivificari posse, nisi in Christo; tanquam pestis communis fidei detestandus est. Item quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeùnt, hic profectò et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. Qui autem non vivificatur in Christo, restat ut in ea damnatione maneat, de qua dicit Apostolus: *Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Cui delicto obnoxios parvulos nasci, omnis credit Ecclesia.

Hujus[1] igitur damnationis in parvulos causam requiro; quia neque animarum, si novæ fiunt singulis singulæ, video esse ullum in illa ætate peccatum, nec à Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere peccatum.

Quæ[2] cum ita sint, quærenda causa est atque reddenda, quare damnentur animæ, quæ novæ creantur singulis qui-

[1] Epist. 28. — [2] Ibid.

busque nascentibus, si præter Christi Sacramentum parvuli moriantur, damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta Scriptura et sancta est testis Ecclesia. Unde [1] illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea.

CAPUT XLVIII.

OPINIONEM DE NOVA SINGULARUM ANIMARUM CREATIONE DEFENDENDAM ESSE, MODO PROPOSITA SUPERIORI CAPITE DIFFICULTAS POSSIT EXPLICARI.

Sed [2] quicumque volunt defendere, quòd dicuntur animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor, quæ supra commemoravi, caveant omnimodo. Hoc est: ne dicant, à Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum : ne dicant, parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam æternam regnumque cœlorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto : ne dicant, animas peccasse alicubi ante carnem, et hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas : ne dicant, peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, meritò fuisse punita, cùm ad eam vitam, ubi ea committerent, permissæ non fuerint pervenire. Nihil ergo istorum quatuor dicentes (quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est); inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia, et hanc sententiam suam, non solum me non vetante, verum etiam favente et gratias agente, defendant.

Quamobrem [3] si potius fieri quàm propagari animas credis; *et* [4] assertio tua non eò tendit, ut novas animas dicas propter innocentiam novitatis suæ, antequam ad peccandum libero utantur arbitrio, damnationi originali obnoxias esse non posse; sed eas fide catholica confiteris, etiamsi in illa tenera ætate de corpore exierint, in damnationem perditionis ituras, nisi Sacramento Mediatoris, qui venit

[1] Epist. 28. — [2] L. 1, de Anima et ejus orig., c. 19. — [3] Epist. 157. — [4] Ibid.

quærere et salvum facere quod perierat, liberentur : quære ubi, vel unde, vel quando cœperint damnationis meritum habere, si novæ sunt ; ita sanè ut Deum non facias, nec aliquam naturam, quam non condidit Deus, vel peccati earum, vel innocentium damnationis auctorem. Et si inveneris quod te quærere admonui, quod ipse adhuc, fateor, non inveni, defende quantum potes atque assere animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur, *id est*, *ut aliis verbis utar*, [1]si ita potes animarum asserere sine ulla propagine novitatem, ut ratione justa et à fide catholica non aliena, etiam sic peccato primi hominis ostendantur obnoxiæ, assere quod sentis ut potes, [2]et nobiscum quod inveneris fraterna dilectione communica. [3]Illam *enim* opinionem, quod ex una fiant omnes animæ, non discutere volo nisi necesse sit. Atque utinam ista de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur, ut hoc necesse jam non sit. [4]Nam licet nemo faciat optando, ut verum sit quod verum non est ; tamen si fieri posset, optarem, ut hæc sententia vera esset : sicut opto, ut, si vera est, abs te liquidissimè atque invictissimè defendatur.

CAPUT XLIX.

QUAMVIS NON INVENIATUR, QUA RATIONE SOLVENDA SIT SUPERIUS PROPOSITA DIFFICULTAS, NEC SIC JAM TEMERE IN ALIAM DE ANIMARUM PROPAGATIONE SENTENTIAM ASSENSIONEM ESSE DEFLECTENDUM, IN QUA ET MULTA NOBIS OCCURRUNT, QUÆ NULLO PRORSUS HUMANO SENSU POSSINT COMPREHENDI.

Si [5]autem non inveneris, quare vel quomodo fiant animæ infantium peccatrices, et nihil in seipsis habentes malitiæ, à quo cogantur ex Adam trahere unde damnentur, cum eas credas non ex illa prima peccatrice propagatas, sed novas atque insontes includi carne peccati ; nec sic jam temerè in aliam sententiam tua deflectatur assensio, ut eas ex illa una credas propagando traduci : ne fortè alius invenire possit quod ipse non possis, aut aliquando invenias quod

[1]Epist. 28. — [2]Ibid. — [3]Epist. 28. — [4]Ibid. — [5]Epist. 157.

nunc non potes. Nam et [1] quisquis animam, sicuti est, non esse corpus, sed spiritum confitetur, et tamen in filios ex parentibus duci ; in eo quidem nullis coarctatur angustiis, quod omnes animas, etiam parvulorum, quos Ecclesia non utique in falsam, sed in veram peccatorum remissionem baptizat, vera fides prædicat trahere originale peccatum propria primi hominis voluntate commissum, et in omnes posteros generatione transmissum, sola regeneratione purgandum. [2] Si *enim* una anima facta est, ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium; quis potest dicere se non peccasse, cum primus ille peccavit ?

Sed [3] cùm considerari et pertractari cœperit quid dicatur, mirum si ullus sensus comprehendit humanus, quonam modo tanquam lucerna de lucerna accendatur, et sine detrimento alterius alter inde ignis existat, sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem : utrum incorporeum semen animæ, sua quadam occulta et invisibili via seorsum ex parte currat in matrem cùm sit conceptus in femina : an, quod est incredibilius, in semine corporis lateat. Cùm autem fluunt irrita sine ullis conceptibus semina, utrum semen animæ non simul exeat, an summa celeritate atque atomo temporis unde exierat recurrat, an pereat (et si perit, quomodo ipsa, cujus mortale semen est, immortalis est anima : an immortalitatem tunc accipit, quando formatur ut vivat, sicut justitiam quando formatur ut sapiat) ; et quo pacto eam Deus fingat in homine, etiamsi anima seminaliter trahatur ex anima, sicut fingit in homine corporis membra, quamvis corpus seminaliter trahatur ex corpore. Si enim non etiam spiritalis creatura fingeretur à Deo, non scriptum esset : *Qui fingit spiritum hominis in ipso* ; et in eo quod legitur : *Qui finxit sigillatim corda hominum*, si per corda significatæ sunt animæ, fingi eas posse quis dubitet ? [7] Sed quæritur utrum ex una anima hominis primi, sicut fingit sigillatim facies hominum, ex uno tamen corpore hominis primi. Cùm hæc atque hujusmodi de hac re multa quærantur, quæ nullo sensu carnis

[1] Epist. 157. — [2] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 20. — [3] Epist. 157.

explorari possunt, et à nostra experientia longè remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latent ; non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit ; ne, dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur.

CAPUT L.

UT TEMERITAS IN HAC QUÆSTIONE CAVEATUR, LONGÈ MELIUS IN NEUTRAM ASSERTIONEM INCLINARI ASSENSUM, QUAM ULLA EX PARTE QUICQUAM DEFINIRI.

Si *ergo* [1] non animas aliter potes à propagatione facere alienas, nisi ut simul facias ab omni peccati vinculo liberas, cohibe te ab hujusmodi disputatione omnimodo. [2] Si *enim* aliter non potes quod de animarum novitate sentis, asserere, nisi ut eas dicas peccato primi hominis non teneri ; aut per propagationem non suam, sed carnis, auctore Deo, vel nescio qua mali natura innocentissimas fieri peccatrices ; meliùs origo animæ latet, dum tamen eam non dubitemus Dei esse creaturam, quàm vel Deus peccati auctor dicatur, vel contra Deum aliena mali natura introducatur, vel baptisma parvulorum irritum ducatur.

Animarum [3] novarum sine propagine insufflationem, defendi quidem minimè prohibemus ; sed ab eis qui potuerint aliquid invenire vel in canonicis Libris, quod non sit ambiguum dissolvendæ huic obligatissimæ quæstioni, vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium catholicæ fidei. *Qui* [4] autem non inveniunt certissimam de hac re auctoritatem divinorum eloquiorum, et aliquid *fidei contrarium* per inopiam dicere compelluntur ; cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam parvulorum animas non habere originale peccatum, secundùm Pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperrimeque damnatam, dicere compellantur. Meliùs est enim homini fateri se nescire quod nescit, quàm in hæresim vel damnatam incurrere, vel novam condere, dum temere audet defensare quod nescit.

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Lib. 1, de Anima et ejus orig., cap. 19. — [4] Ibid.

Propterea [1] donec ego, si Deus voluerit, aliquo modo discam, si nullam de illa peccatrice originem ducit, quæ causa sit animæ subeundi originale peccatum, quod necesse est esse in omnibus parvulis; et quo eam nec Deus cogit insontem, quia peccandi auctor non est; nec ulla mali natura, quia non est : nihil tale audeo prædicare. *Unde et* [2] sinceritatem tuam scire volo, in tam multis opusculis meis, nunquam me fuisse ausum de hac quæstione definitam proferre sententiam. *Nam* ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, et apertè divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit.

Et hinc est quod [3] de origine animarum, quæ post primum hominem datæ sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire, *ut jam monui.* [4] Ac per hoc propaginem animarum nec temere astruendam, nec temere destruendam dico; [5] ut in neutram asertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem.

Cui *autem* [6] displicet in tanta profunditate, etsi non docta, tamen cauta nostra cunctatio, dicat, si potest, in hanc pœnam quo pervenerit anima merito, de qua pœna liberat gratia sine merito : dicat ut quod dicit, aliqua, si valuerit, ratione defendat, *nec* [7] in hæresim Pelagianam sine dubitatione damnabilem damnandus incurrat. Quod ei ne contingat, quanto meliùs teneat de animæ origine cunctationem meam, ne audeat affirmare quod nec humana ratione comprehendit, nec divina auctoritate defendit; ne cogatur insipientiam profiteri, dum veretur ignorantiam confiteri.

Utinam [8] in tanta profunditate quæstionis, quamdiu quid dicat ignorat, imitaretur Machabæorum matrem; quæ cum sciret de viro se filios concepisse, et à Creatore omnium sive secundùm corpus, sive secundùm animam et spiritum sibi creatos esse, ait tamen : *Nescio quomodo paruistis in*

[1] Epist. 157. — [2] Ibid. — [3] Lib. 4, de Anima et ejus orig., c. 2. — [4] Ibid., lib. 2, cap. 14. — [5] Epist. 157. — [6] Lib. 1, de Anima et ejus orig., cap. 8. — [7] Ibid., cap. 13. — [8] Ibid., cap. 15.

ventrem meum. Vellem iste diceret, quid ista nesciebat. *Quod* de naturæ humanæ institutione nesciebat, nescire se dicebat; non quod nesciebat, temere defendebat. Nec tamen iste huic diceret, quod nobis dicere *quispiam* non erubuit: *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis et similis factus est illis.* Ecce ista mulier dixit de filiis suis : *Nescio quomodo paruistis in ventrem meum* : nec tamen comparatur pecoribus insensatis : *Nescio*, dixit; et quasi quærerent ab ea cur nesciret, adjunxit *: Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis.* Ille ergo qui donavit, scit unde fecerit quod donavit, utrum ex propagine attraxerit, an novum insufflaverit. Quod ego, inquit, nescio, *nec singulis vobis vultus et membra formavi ;* ille scit qui formavit, utrum simul cum anima formaverit, an verò jam formatis animam dederit. Quo ergo modo, utrum illo an isto in ejus ventrem venerint filii, nesciebat; et illud tamen sciebat, totum quod dedit, redditurum esse eum qui dedit. Sed eligat iste in naturæ humanæ tam profundo abditoque secreto, quid mulier ista nescierit; tantum non judicet mentientem, nec pecoribus insensatis comparet nescientem. Quicquid erat quod illa nesciebat, profectò ad naturam hominis pertinebat, quod tamen sine culpa homo nesciebat. Quapropter dico etiam ego de anima mea : Nescio quomodo venerit in corpus meum; neque enim ego illam mihi donavi; scit ille qui donavit, utrum illam de patre meo traxerit, an sicut primo homini novam creaverit.

Sciam [1] etiam ego si ipse docuerit, quandocumque voluerit. Nunc autem nescio, nec me pudet ut istud fatear nescire quod nescio. [2] Nec propterea pecoribus insensatis sum comparandus, quia hoc me nondum scire pronuntio; sed potius cautis hominibus, quia non audeo docere quod nescio. *Sed* [3] nec ideo me quisquam nihil de anima vel scientia vel fide tenere arbitretur. [4] Ego *enim* quàm multa possim de hominis natura scientissimè disputare si explicare velim, plura volumina implebo. [5] Quod *tamen* attinet

[1] Lib. 1, de Anima et ejus orig., c. 16. — [2] Ibid. — [3] Epist. 28. — [4] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 2. — [5] Lib. 1, Retrac., cap. 1.

ad animæ originem qua fit ut sit in corpore, utrum de illo uno sit qui primùm creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an semper ita fiant singulis singulæ, nec adhuc scio.

CAPUT LI.

NOBIS NIHIL OBESSE SI QUÆSTIONEM ISTAM IGNOREMUS; CUJUS TAMEN INTELLIGENTIA LAUDABILITER AD CAVENDOS HÆRETICORUM DOLOS OPTARI ET QUÆRI POTEST, MODO AD EA NON PERTINEAT, QUÆ CUM SUPRA NOS SINT, INVESTIGARE IN SCRIPTURIS SACRIS PROHIBEMUR.

Quid *autem* [1] mihi obest, si esse quando cœperim nescio, cum esse me noverim, nec futurum esse desperem? Non enim in præterita me attendo, ut tanquam errorem perniciosissimum verear, si aliter de iis sensero quàm fuerint: sed in id quod futurus sum, cursum dirigo duce misericordia Conditoris mei. De hoc igitur quod futurus sum, et de illo apud quem futurus sum, si aliter quàm veritas sese habet, credidero aut sensero, vehementer cavendus est error : ne mihi aut necessaria non præparem, aut ad eum ipsum finem propositi mei, dum aliud pro alio mihi videtur, pervenire non possim. Quamobrem, sicut ad comparandam vestem nihil mihi obesset, si præteritæ hiemis oblitus essem, obesset autem si futurum frigus imminere non crederem : ita nihil oberit animæ meæ, si oblita est quid fortè pertulerit, si modò diligenter advertat et teneat quò se deinceps parare moneatur. Et sicut, verbi gratia, Romam naviganti nihil noceret, si excidisset animo, à quo littore navem solverit, dum tamen ab eo loco, ubi esset, non ignoraret quò proram dirigeret : nihil autem prodesset meminisse, unde iter exorsus est, si de Romano portu falsum aliquid existimans, in saxa incidisset : ita neque, si non tenuero initium temporis vitæ meæ, quicquam mihi oberit scienti quo fine requiescam : nec prodesset aliquid illa sive memoria, sive

[1] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 21.

conjectura inchoatæ vitæ, si de ipso Deo, qui unus laborum animæ finis est, aliter quàm dignum est opinatus in scopulos errorum irruerim.

Et[1] hoc igitur tolerabiliter ignorarem, nisi metuerem ne aliqua istarum opinionum contra illud, quod firmissima retinemus fide, incautis obreperet mentibus. [2]Pelagiani *quippe* non ideo sunt hæretici, quia dicunt animas originem de illa prima peccatrice non ducere, quod vel aliqua fortasse ratione vera dici potest, vel sine fidei labe nesciri : sed hinc conantur efficere, unde omnino apertissimi hæretici judicantur, animas parvulorum nihil mali ex Adam trahere, quod sit lavacro regenerationis expiandum. Nam Pelagii de hac re argumentatio, quæ inter alia ejus damnabilia etiam litteris apostolicæ Sedis adjuncta est, ita se habet. « Si anima, inquit, ex traduce non est, sed sola caro tantùm habet traducem peccati, sola ergo pœnam meretur. Injustum est enim, ut hodie nata anima, non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum ; quia nulla ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum. »

Quamvis[3] autem desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem et expectem, ut per *aliquem* mihi Dominus hujus rei auferat ignorantiam : tamen si, quod absit, minimè meruero, patientiam mihi petam à Domino Deo nostro : in quem sic credimus, ut si aliqua nobis non aperiat etiam pulsantibus, nullo modo adversus eum murmurare debeamus. Memini priùs ipsis Apostolis dictum : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò.* In his, quantum ad me attinet, etiam hoc deputem. *Et*[4] utinam quemadmodum nescio unde origo sit animarum, sic ego saltem scirem utrum mihi in hac vita sciendum esset. Si enim ex illis est altioribus, quæ inquirere scrutarique prohibemur : timendum est ne hoc non ignorando, sed quærendo, peccemus. *Propterea*[5] quantum attinet ad istam quæstionem, unum de duobus valde cupio nosse, si possim, vel de animarum ori-

[1] Epist. 28. — [2] Epist. 157. — [3] Epist. 28. — [4] Lib. 4, de Anima et ejus orig., c. 4. — [5] Ibid.

gine quod ignoro, vel utrum pertineat ad nos hoc nosse cum hìc vivimus. [1]Verùm hoc nosse cupio, aut ab ipso Deo sciente quod creat, aut etiam ab aliquo docto sciente quod dicat, non ab homine nesciente quod anhelat.

Interim verò [2]aut de hac re nihil quærendum est, ut sufficiat fidei nostræ scire nos quò pie vivendo venturi sumus, etsi nesciamus unde venerimus : aut si non impudenter æstuat anima rationalis etiam hoc nosse de seipsa, absit pervicacia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsandi : ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quam nos quid nobis expediat utique novit, det etiam hoc, qui novit dare bona data filiis suis.

CAPUT LII.

DE ANIMÆ POTENTIIS SEU FACULTATIBUS ; ET PRIMO DE VI ANIMANDI SEU VIVIFICANDI CORPUS.

Quærimus *modò* [3] de animæ potentia. *Quapropter* [4]nunc accipe à me, si velis ; vel potius recognosce per me, quanta sit anima, non spatio loci ac temporis, sed vi ac potentiâ, *seu* [5]quantum valeat anima, [6]quanta vis sit animæ ac potentia. [7]Inquiramus omnia singillatim, diligentissimè ac sagacissimè. Namque omnibus *animæ* gradibus inest distincta et propria pulchritudo, quos actus melius appellamus.

Primus [8] *igitur* actus, docendi causa, dicatur animatio. [9]Primò *enim*, quod cuivis animadvertere facile est, corpus præsentiâ suâ vivificat; *quatenus* [10]vim *habet*, qua hæret corpori, et vitaliter compagem ejus replet, *ut alibi jam explicatum est.*

[1] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 4. — [2] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 23. — [3] Lib. de Quant. animæ, cap. 35. — [4] Ibid., cap. 32. — [5] Ibid. — [6] Ibid. cap. 34. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 35. — [9] Ibid., cap. 33. — [10] Lib. 10, Confess., cap. 7.

CAPUT LIII.

DE SENSU, SEU DE VI SENTIENDI; QUÆ PROPTEREA LUX QUÆDAM ESSE DEMONSTRATUR, QUOD PER EAM RES QUÆQUE SENSIBILIS EST MANIFESTA.

Secundus *animæ* [1] actus est sensus. [2] Est *enim* alia vis, non solùm qua vivificat, sed etiam qua sensificat carnem.

Ascende [3] itaque alterum gradum, et vide quid possit anima in sensibus *scilicet* corporis. [4] Est enim sensus et mentis; sed eorum more loquimur *nunc*, qui sensum non nisi corporis dicunt, et sensibilia non nisi corporalia. *Unde* [5] sensus, quo anima per corpus utitur, ipse jam nomine proprio sensus dicitur.

Ipsam [6] vim sentiendi [7] convenienter lucem dici concedit, quisquis concedit rectè dici lucem, qua res quæque manifesta est. Cum autem dicimus, manifestum est hoc canorum esse, manifestum est hoc dulce esse, manifestum est hoc frigidum esse, et quod fortè hujus generis per corporales sensus attingimus; hæc lux, qua ista manifesta sunt, utique intus in anima est, quamvis per corpus inferantur quæ ita sentiuntur.

Alia [8] est enim lux, quæ videtur his oculis corporeis, etiam ipsa corporea; ut solis, et lunæ, et stellarum, et si quid hujusmodi est, cui contrariæ sunt tenebræ, cum aliquis locus ea luce caret. Alia autem lux est vita sentiens, et valens discernere quæ per corpus ad animæ judicium referuntur, id est, alba et nigra, canora et rauca, suaveolentia et putentia, dulcia et amara, calida et frigida, et cætera hujusmodi. Alia est enim lux quæ sentitur oculis, alia qua per oculos agitur ut sentiatur. Illa enim in corpore, hæc autem quamvis per corpus ea, quæ sentit percipiat, in anima tamen est. Huic contrariæ sunt tenebræ, insensibilitas quædam, vel

[1] Lib. de Quantit. animæ, c. 35. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 7. — [3] Lib. de Quant. animæ, cap. 33. — [4] Lib. 1, Retract., cap. 1. — [5] Lib. de Quant. animæ, cap. 23. — [6] Lib. de Genesi ad litt. imperf., c. 5. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

si melius insensualitas dicitur, id est, non sentire, quamvis inferantur quæ sentiri possent, si esset in illa vita lux ista, unde sentitur. Neque hoc cum ministeria desunt corporis, sicut in cæcis aut surdis. Nam in istorum animis est ista lux, de qua nunc agimus, sed instrumenta corporis desunt. Neque illo modo, quo modo in silentio vox non auditur, cum et ista lux est in anima, et adsunt corporis instrumenta, sed nihil quod sentiatur, infertur. Non ergo qui iis causis non sentit, caret ista luce; sed cum talis potentia non est in anima. [1]Insensibilitas ergo tenebræ hujus lucis, qua quicquid sentitur, cum ipsam vim sentiendi non habet *aliquid.*

CAPUT LIV.

LUCEM ILLAM, QUÆ SENSUS DICITUR, ESSE INCORPOREAM; QUONIAM INEST ANIMÆ, CUJUS SOLUS EST SENTIRE, NON AUTEM CORPORIS; CUM SENSATIONEM, UTPOTE RECEPTAM IN ANIMA, SPIRITALEM ESSE, PROINDEQUE IN CORPORE NON POSSE RECIPI, PERSPICUÈ CONSTET.

Lux *igitur* [2]ista, unde sentitur, *est* [3]incorporea, qualis in anima est, ad quam vitandi et appetendi refertur examen à sensibus corporis, qua non carent etiam animæ bestiarum. [4]Animæ *quippe* sentiendi vis inest; [5]ac per hoc sentire non est corporis, sed animæ per corpus : *sicut et* [6]animæ est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa existit à corpore, cum in eo loco dolet, ubi læditur corpus. [7]Dolores *enim,* qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, et ex carne. [8]Dolet *itaque* anima cum corpore in eo loco ejus, ubi aliquid contingit ut doleat. Dolet et sola, quamvis sit in corpore, cum aliquâ causâ etiam invisibili tristis est ipsa corpore incolumi. [9]Sed dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio : sicuti animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus

[1] Lib. de Genesi ad lit. imperf., cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 3, de Genesi ad litt., cap. 5. — [5] Ibid. — [6] Lib. 21, de Civit. Dei, cap. 3. — [7] Ibid., lib. 14, cap. 15. — [8] Ibid., lib. 21, cap. 3. — [9] Ibid., lib. 14, cap. 15.

acciderunt. [1] Ac per hoc ipsius *etiam* concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multò minus est in carne sola. Ex utroque enim fit : ex anima scilicet, quod sine illa delectatio nulla sentitur : ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversùs spiritum dicit Apostolus carnalem proculdubio delectationem, quam de carne et cum carne spiritus habet adversùs delectationem, quam solus habet. Solus quippe habet, nisi fallor, illud desiderium, non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quod desiderat et defecit anima in atria Domini. Solus habet etiam illud de quo ei dicitur : *Concupisti sapientiam* ; *serva mandatum, et Dominus præbet illam tibi.* Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic desiderio serviant quo solus accenditur : velut cum assumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cum denique panis frangitur esurienti, et cætera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia : obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi bonis desideriis, quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid quod eamdem animam secundum carnem delectat, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Sic enim dicta est caro in eo quod secundum ipsam facit anima, cum ait : *Caro concupiscit* : quemadmodum dictum est : Auris audit, et oculus videt. Quis enim nescit quod anima potiùs et per aurem audiat, et per oculum videat ? [2] Quod si de ipso etiam fidei oculo, ad quem pertinet credere quæ per carnem non videntur, dictum est : *Videbit omnis caro salutare Dei ;* non utique nisi de anima qua vivit caro : [3] quantò congruentius dicitur caro concupiscere, quando anima non solum carni animalem vitam præbet, verùm etiam secundum ipsam carnem aliquid concupiscit ?

Quapropter [4] aliud *verbi gratia* sonare, quod corpori tribuitur ; aliud audire, quod anima de sonis patitur. [5] Cum

[1] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 12. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 6, Musicæ, cap. 4. — [4] Ibid., cap. 2.

enim istum versum pronunciamus : Deus creator omnium, [1] sonantes numeri certè corporei sunt, vel quoquomodo in corpore. Illi *verò*, [2] qui sunt in aurium passione cum audimus, [3] cum sentimus in anima esse reperiuntur ; [4] dum audimus, insunt in anima (hos *enim*, qui sunt in sentiendo, numeros operationes esse animæ *inferiùs ostendemus*), [5] quæ cum corporea non sit, *nihil in se corporeum potest recipere.*

Hincque [6] *est quod*, cum audimus, non fiunt in anima numeri ab iis, quos in sonis cognoscimus. [7] Quod *enim* hi, quos sentiendo audimus et habemus, faciunt alios in memoria, [8] quia sentire et meminisse animæ est, non moveor. [9] Illud *tamen* me conturbat, quomodo [10] fatendum *sit* numeros, qui sunt in ipsa passione aurium, cum aliquid auditur, sono inferri, *seu* [11] à sonantibus numeris atque corporeis fieri, quamvis in anima fiant. [12] Miror *enim* quomodo facere aliquid in anima corpus potest. Nunquam *enim* anima est corpore deterior. [13] Esset autem si aliquos in ea numeros corpus operaretur, *ut infra dicendum est.*

CAPUT LV.

DE SENSIBUS EXTERNIS, QUI PROPTER DIVERSA CORPORIS ORGANA VEL OFFICIA VARIA, QUÆ PER EOS AGIT UNUS ET IDEM ANIMUS, ID EST, PROPTER VARIAS OPERATIONES, QUINQUE NUMERANTUR.

Ipsos *jam* [14] corporis *externos* sensus aliquantò insuetius et vigilantius perscrutetur, intendat hæc anima rationalis, et sensus corporis non sensibus corporis, sed ipsa mente atque ratione consideret.

Sunt [15] certè quinquepartiti corporis *sensus*, videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, atque tangendi ; [16] quos fabrificavit Dominus, jubens oculo ut non audiat ; et auri, ut

[1] Lib. 6, Musicæ, cap. 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 6. — [5] Lib. 3, de Genesi ad litt., c. 5. — [6] Lib. 6, Musicæ, cap. 5. — [7] Ibid., c. 4. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid., cap. 2. — [11] Ibid., cap. 4. — [12] Ibid. — [13] Ibid., c. 5. — [14] Epist. 3. — [15] Lib. de Quant. animæ, c. 23. — [16] L. 10, Confess., c. 7.

non videat ([1]auditio enim et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis), [2]sed illi per quem videam, huic per quam audiam ; et propria singillatim cæteris sensibus sedibus suis et officiis suis, quæ diversa per eos agit unus *ipse* animus.

Sensus [3] ergo carnis hujus quinque inveniuntur. In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris.

Est [4] porro, ut opinor, *et ut jam dixi superiùs*, luminosum aliquid in oculis , aereum, serenissimum et nobilissimum in auribus, caliginosum in naribus , in ore humidum , in tactu terrenum et quasi lutulentum.

Ideoque [5]sunt etiam qui subtilissima consideratione quinque istos manifestissimos corporis sensus secundum quatuor usitata elementa ita distinguant, ut oculos ad ignem, aures ad aerem dicant pertinere. Olfaciendi autem gustandique sensum naturæ humidæ attribuunt : et olfactum quidem istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, in quo aves volitant : gustum verò istis fluxibilibus et corpulentis humoribus. Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscentur ut sapiant, etiamsi arida, cùm acciperentur, fuisse videantur. [6] Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit. Proinde per totum corpus animantis, quod maximè ex terra est, quæque tacta sentiuntur.

Quapropter [7] dic mihi jam utrum illos vulgatissimos corporis sensus habere te noveris, videndi, et audiendi, et olfaciendi, et gustandi, et tangendi. [8] Id *certè* omnibus notum est; et qui fortè non advertunt, commoniti sine dubio recognoscunt. Unde partitio ista vetustissima est, et ferè in concionibus celebrata.

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 10. — [2] L. 10, Confess., c. 7. — [3] Serm. 33, de Verbis Domini. — [4] Lib. 6, Musicæ, cap. 5. — [5] Lib. 3, de Genesi ad litt., cap. 4. — [6] Ibid. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [8] Serm. 33, de Verb. Domini.

CAPUT LVI.

SENSIBILIA, SEU QUÆ SENSIBUS EXTERNIS PERCIPI POSSUNT, NON ESSE NISI CORPORA.

Sensibilia [1] dicimus, quæ *sensu* corporis sentiri queunt ; [2] quod videtur, quod auditur, quod olet, quod sapit, quod tactu sentitur. [3] Non *enim*, quia sentiunt, sed quia sentiuntur, sensibilia nuncupata sunt. *Sicque* [4] austeritas, calidatio, et frigidatio (sic enim θερμότητα et ψυχρότητα placet dicere), et albedo, et nigredo, non idcirco passivæ qualitates dicuntur, quod patiantur aliquid ; sed quod faciunt passionem. Mel namque ut dulce sit, non à dulcedine aliquid passum est ; sed dulcem gustantibus efficit passionem.

Sensu [5] *autem* corporis exterior homo præditus sentit corpora. [6] Manifestum est enim incorpoream naturam videri non posse per corpus, [7] quomodo videtur mente sapientia sine ullis imaginibus corporum : [8] cum visibilia sint exteriùs, intelligibilia interiùs ; et *proinde* ista sensu corporis sentiamus, illa mente intelligamus. *Sicque* [9] unum quisquis verissimè cogitat, profectò invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quicquid enim tali sensu attingitur, jam non unum sed multa esse convincitur. Corpus enim est, et ideo habet innumerabiles partes. [10] Ubicumque *igitur* unum noverim, non utique per corporis sensum novi, quia per corporis sensum non novi nisi corpus, quod verè pureque unum non esse convincimus.

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 6. — [2] Tract. 15, in Joann. — [3] Lib. 11, de Civit. Dei, c. 27. — [4] Lib. 10 Categ., cap. 12 (supposit.). — [5] Lib. 11, de Trinit., cap. 1. — [6] L. 12, de Gen. ad litt., c. 5. — [7] Ibid. — [8] Lib. 11, de Trinit., cap. 1. — [9] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 8. — [10] Ibid.

CAPUT LVII.

EX DICTIS INFERTUR DEUM A BEATIS NEC VIDENDUM ESSE, NEC VIDERI ULLATENUS POSSE, PER OCULOS CARNIS.

Quapropter[1] neque isti nostræ carnis oculi possunt videre Deum; ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, et in loci spatio intervalloque visibilis. Nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest.

Cum[2] *autem* ex me quæritur, quid acturi sint sancti in corpore spiritali. [3]Utrum videbunt Deum et per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est.

Dico[4] *quidem* quod visuri sunt Deum in ipso corpore; sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, et quæ sunt in ea, non parva quæstio est.

Ratiocinatio[5] *quidem* illa Philosophorum, qua disputant ita mentis aspectu, intelligibilia videri, et sensu corporis sensibilia, id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsa mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profectò certum esset per oculos corporis etiam spiritalis nullo modo posse videri Deum. Sed istam ratiocinationem et vera ratio et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus à vero, ut dicere audeat Deum corporalia ista nescire? Numquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere? [6]Sicut ergo constat videri corpora spiritu: quid, si tanta erit potentia spiritalis corporis, ut corpore videatur et spiritus? Spiritus enim est Deus.

Lux[7] *certè* Deus ipse est, quoniam *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc nondum

[1] Epist. 112, cap. 21. — [2] Lib. 22, de Civ. Dei, c. 29. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Epist. 6.

est. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Omne quippe, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem. Non ita Deus invisibilis et incorruptibilis, *qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nemo hominum vidit nec videre potest.* Per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corpore corpora. [1] *Scimus, inquit Joannes Apostolus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* In tantum ergo videbimus, in quantum similes ei erimus; quia et nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. *Atque ita* cum legis: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: intellige, inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo et ænigmate; sive in illa patria, cùm per speciem contemplabitur. Pro qua visione positum est, *facie ad faciem.* Audiat caro carnalibus ebria cogitationibus: *Spiritus est Deus: et ideo qui adorant Deum in spiritu et veritate oportet adorare.* Si adorare, quantò magis videre? Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cùm eam noluerit corporaliter adorari?

Sed argutè sibi videntur *aliqui* dicere, et quasi interrogando premere: Potuit Christus carni suæ præstare, ut oculis corporeis videret Patrem, an non potuit? ut si non potuisse responderimus, omnipotentiæ Dei nos derogasse proclament: si autem potuisse concesserimus, argumentationem suam ex nostra responsione concludant.

Quantò jam tolerabiliùs desipiunt, qui carnem asserunt conversum iri in substantiam Dei, et hoc futuram esse quod Deus est, ut sic eam saltem videndo Deo faciant idoneam, non tanta diversitate dissimilem. Quam vanitatem credo istos

[1] Epist. 6.

abigere à fide sua, fortasse et ab auribus. Et tamen si interrogatione de hoc similiter urgeantur, possitne Deus hoc, an non efficere possit; utrum ejus potestati detrahent, si non posse responderint : an hoc futurum fatebuntur, si posse concesserint? Quomodo ergo exierint de hoc laqueo alieno, sic exeant de suo.

Sed quoniam et illius[1] erroris demonstrare debet nullam esse rationem, quisquis id opinantes refellere aggreditur, *ostendamus*[2] rationem omnino nullam esse, qua credi debeat, vel possit intelligi, Deum qui ubique totus est, *nec potest* per spatia locorum corporea mole diffundi, in qua necesse habeat partibus majoribus minoribusque constare, cerni corporeis oculis posse. [3]Sicut enim nulla ratio est, qua Dei natura moriatur, aut corrumpatur, aut peccet; et cum hoc Deum non posse dicimus, non derogamus potestati ejus, sed æternitatem veritatemque laudamus : ita cùm dicimus non posse videri oculis corporeis, non latet, sed patet ratio bene intelligentibus, qua perspicuum est Deum corpus non esse; nec aliquid corporeis oculis cerni posse, nisi quod alicujus intervalli interpositione cernatur : id autem non nisi corpus esse, eamque substantiam quæ minor sit in parte quàm in toto; quod de Deo credere nefas esse debet, etiam iis, qui hoc intelligere nondum valent.

Deinde[4] cur solis oculis corporeis Christi, hoc donum attributum esse contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? Et moles erit, ut possit et tangi? Non, inquiunt. Quid ergo? An aliud potest Deus, et hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei? Si posse et nolle responderint, cur solis oculis favent, invident autem cæteris sensibus corporis Christi? An quousque volunt, desipiunt? Quantò nos meliùs, qui non eorum insipientiæ terminos figimus, sed ut desipiant prorsus nolumus! Multa proferri possunt ad istam dementiam refu-

[1] Epist. 101. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Epist. 6.

tandam. Sed si aliquando irruerint auribus tuis, hæc interim eis lege, et quod responderint *ex iis refelle*, ut potes. Ad hoc enim fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam sanctorum animus exercetur : imò verò tam perversè sentiens animus non in se exercetur, sed totus in carne est. Ubi enim tenaciùs habitabit et fixiùs, nisi unde se Deum visurum esse præsumit? Quod certè quantum malum sit, intelligentiæ potiùs dimitto tuæ, quam longo sermone molior explicare.

Longe [1] itaque alterius erunt potentiæ *oculi*, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est; [2] ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur. [3]Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acutiùs videant, quàm quidam perhibentur videre serpentes, vel aquilæ (quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quàm corpora) : sed ut videant et incorporalia.

Si [4] *verò* tantam quisquam mutationem hujus corporis futuram putat, cum ex animali fuerit spiritale, ut etiam substantiam incorporalem, non locorum intervallis vel spatiis divisibilem, vel etiam membrorum lineamentis ac finibus terminatam, sed ubique totam, per tale corpus videre possimus; *et* [5] ideo eos, qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visuros putat, quoniam talem sperat spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat : [6]etsi vera est ista sententia, non erit contraria verbis meis, quæ *supra* posui, istius corporis oculos non visuros Deum, hoc intuens quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora. [7]Id enim, quod ego dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est. Non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus

[1] Lib. 22, de Civ. Dei, cap. 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Epist. 111. — [5] Epist. 112, c. 21. — [6] Epist. 111. — [7] Epist. 112, c. 21.

erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt; quia cum videbitur, spiritus eum, non corpus, videbit.

Itaque [1] si in tantam sui dissimilitudinem nostra corpora mutabuntur, ut oculos habeant per quos videatur illa substantia, quæ non per locorum spatia vel diffunditur vel finitur, alibi habens aliam partem, alibi aliam, in minore loco minorem, in majore majorem; sed ubique incorporaliter tota est : longè aliud erunt hæc corpora, et non erunt ipsa ; nec sola detracta mortalitate atque corruptione et ponderis gravitate aliud erunt, sed in virtutem ipsius mentis quodammodo convertentur, si videre poterunt, quomodo tunc menti, nunc autem nec ipsi menti videre concessum est. Si enim mutatis moribus dicimus hominem non esse qui fuit, si denique mutatis ætatibus ipsum corpus dicimus non esse quod fuit: quantò magis ipsum non erit, tanta conversione mutatum, ut non solum immortaliter vivat, verum etiam invisibilem videat. Quapropter si videbunt Deum, non istius corporis oculi videbunt; quia et in hoc non erit ipsum corpus usque in illam vim potentiamque mutatum: et non est contraria ista opinio illis verbis, *quæ supra jam posui.* Si autem hactenus non erit ipsum, quia nunc mortale, tunc immortale; nunc aggravans animam, tunc nullo pondere ad omnem motum erit facillimum : ad videnda verò ea quæ locorum spatiis intervallisque cernuntur, si non aliud quam ipsum erit, substantiam incorporalem et ubique totam nullo modo videbit. Sive ergo hoc, sive illud verum sit, secundum utrumque verum est, quòd istius corporis oculi Deum non videbunt. Aut enim istius erunt et non videbunt : aut non erunt istius si videbunt; quoniam tanta commutatione longè alterius corporis erunt.

Tota [2] igitur quæstio jam remansit de corpore spiritali, quatenus induat incorruptionem et immortalitatem hoc corruptibile atque mortale; et quatenus ex animali in spiritale mutetur.

Sed [3] cogitandum est, ne quid insolenter audeamus, si

[1] Epist. 111. — [2] Epist. 112, cap. 21. — [3] Ibid., cap. 22.

dixerimus corpus non solum mortalitatem et corruptibilitatem, verùm etiam hoc ipsum quod corpus est per gloriam resurrectionis amittere, et spiritum fieri. Eo modo quippe aut conduplicabitur substantia spiritus, si et corpus spiritus erit : aut si unus erit spiritus hominis, ita ut commutato et converso in spiritum corpore, neque geminatione neque incremento conduplicetur, nec omnino ullius accessu quantitatis augeatur : metuendum est ne nihil aliud dici videatur, quàm corpora non illa mutatione immortalia mansura, sed nulla potiùs futura et omnino peritura.

CAPUT LVIII.

PROPONITUR ET EXPLICATUR DEFINITIO SENSUS, SEU ACTIONIS QUA SENSUS EXTERIOR SENTIT.

Age [1] verò, jam aggrediamur *aliud.* [2] Quare facito ut quam maximè adsis, ac respondeas mihi, quidnam tibi videatur iste esse sensus, quo anima per corpus utitur. Nam ipse jam nomine proprio sensus dicitur. [3] Vellem *enim* definiri mihi abs te, quid sit ipse sensus, ut eadem definitione omnia includerentur, *quæ sensus amplectitur ;* neque aliud quicquam, quod sensus non esset, in ea includeretur vel intelligeretur. Sed si id non potest, nihil urgeo. Illud enim quod satis est, certè potes meam definitionem vel refellere vel probare.

Attende [4] ergo, *num* sensum *putes* esse, non latere animam quod patitur corpus. *Si* [5] placet *tibi* hæc definitio, adesto ergo huic tanquam tuæ, ac tuere illam, dum à me paulisper refellitur.

Dic [6] igitur quid patiatur corpus tuum, cum me *verbi gratia* vides? Patitur omnino aliquid. Nam oculi tui partes, nisi fallor, corporis tui sunt, qui si nihil paterentur, quomodo *me* videres? At non satis est, ut persuadeas tuos oculos aliquid pati, nisi etiam quid patiantur ostenderis. Quid

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

tandem, nisi ipsum visum? Nam vident. [1] Nunc *etiam* attende: quoniam *constat* inter nos, non omne quod oculi sentiunt, neque omne quod videndo sentitur, videri ([2] quis enim dolorem videat, quem tamen sæpe oculi sentiunt. [3] Quid *etiam* si *quis* amorem videndo sentiat, num et amorem videt)? [4] Putasne hoc saltem verum esse, omne quod videtur sentiri? Hoc sanè nisi concesseris, quomodo sensus poterit vocari quod videmus? [5] Quid *autem*? omne quod sentimus, nonne et patimur? Igitur si omne, quod videmus, sentimus; et omne, quod sentimus, patimur; patimur omne quod videmus.

Sed [6] responde *jam*, obsecro, utrum omne quod per visum cognoscimus, videamus. [7] Non *id certè* puto. [8] Possumus enim aliud videndo, aliud cognoscere, quod visus non attigerit; *quia* [9] plerumque fumum solum videndo, ignem subter latere cognoscimus, quem non videmus. [10] Quid *verò*, illud quod per visum sentimus, possumusne non videre? nullo modo. Aliud est ergo sentire, aliud cognoscere. Omnino aliud; nam sentimus fumum quem videmus; et ex eo ignem, quem non videmus, subesse cognoscimus. Sed vides certè, cum hoc accidit, corpus nostrum, id est, oculos, nihil pati ex igne, sed ex fumo, quem solum vident. Etenim videre, sentire; et sentire pati esse, jam supra consensimus.

Cum [11] ergo per passionem corporis non latet aliquid animam, non continuò sensus vocatur unus de quinque memoratis; sed cùm ipsa passio non latet: namque ille ignis non visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustatus, nec tactus a nobis, non tamen latet animam, fumo viso. Et cùm hoc non latere non vocetur sensus, quia ex igne corpus nihil est passum; vocatur tamen cognitio per sensum, quia ex passione corporis, quamvis alia, id est, ex alterius rei visione, conjectatum est atque compertum. Optimè vides istud congruere ac favere illi definitioni *meæ*, quam ut *tuam tibi* defendendam dedi. Nam ita memini esse

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 23. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 24. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid.

à me sensum definitum, cum animam non latet quod patitur corpus. Itaque illud quod fumus videtur, sensum vocamus; passi sunt enim eum oculi videndo, qui sunt corporis partes et corpora : ignem autem, ex quo nihil corpus est passum, quamvis cognitus fuerit, sensum non vocamus.

Verùm [1] munitio illa definitionis labascit : [2] quia non negas, ut opinor, nonnihil pati corpus, cum crescimus vel senescimus : neque id nos ullo sensu sentire manifestum est; nec id tamen animam latet. Non igitur eam latet quiddam quod patitur corpus; nec tamen sensus iste appellari potest. Videndo enim majora ea, quæ aliquando minora videramus, et videndo senes eos, quos juvenes ac pueros fuisse constat; conjectamus aliquam talem mutationem nostra corpora etiam nunc, dum loquimur, pati. Neque in eo fallimur, ut opinor : nam proclivius est ut me falli dicam quòd video, quàm quòd intelligo capillos meos nunc crescere, corpusve per momenta mutari. Quòd si mutatio ista, passio corporis est, quod nemo negat, nec nunc sentitur à nobis, nec tamen animam latet, quia nos non latet; patitur, ut dixi, corpus quod non latet animam, nec sensus est tamen. Quare illa definitio, quæ nihil quod sensus non esset, debebat includere, cum hoc inclusit, certè vitiosa est.

Facile [3] tamen est istam corrigere, [4] si bene intellexisti ubi peccet. Num *verò* alibi *peccat*, quàm ubi aliena comprehendit ? Quia quod senescit corpus, quamvis in juvene non possit negari pati aliquid; idque cùm scimus, non latet animam quiddam quod patitur corpus, neque tamen ullo sensu percipi potest. Nam nec video me modò senescere, neque id auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu sentio. [5] Ratione *autem* id colligo; *iisque* argumentis *ratio mea* nititur, quod alios video senes qui, ut ego nunc sum, juvenes erant.

Sensus *quidem* est, quo eos video, unus de quinque. Quis enim negat ? Sed ex eo, quod illos video, me quoque, cum id non videam, conjecto senescere.

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 24. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

Quid verborum ergo illi definitioni, quo perficiatur, addendum putas; cum sensus non sit, nisi non lateat animam corporis passio ; nec tamen ita ut eam per aliam passionem, aut per aliud quodlibet, intelligat ?

Nunc [1] igitur converte animum ad illam definitionem nostram, et eam peritior cùm discusseris, corrige : inveneramus enim eam, cùm definitio sensus esset, complecti aliud quod sensus non esset, et ideo non esse, cùm convertitur, veram. Fortasse enim verum est : Omnis sensus passio corporis est animam non latens : ut verum est : Omnis homo animal mortale est. At ut falsum est : Omne animal mortale homo est, quia id est et bestia ; ita falsum est : Omnis passio corporis non latens animam, sensus est : quia nunc nobis ungues crescunt, nec animam latet. Id enim scimus ; neque id sentimus, sed conjectatione cognoscimus. Quemadmodum ergo illi definitioni hominis, ut perficeretur, additum est rationale, quo addito, bestiæ, quæ simul continebantur, exclusæ sunt; nihilque præter hominem, atque omnem hominem tali definitione comprehendimus : nonne censes aliquid etiam huic addendum esse, quo, inde sejungatur quod tenet alienum ; nec quicquam in ea, nisi sensus, et omnis sensus intelligatur ?

Sensus [2] est certè omnis passio corporis non latens animam : sed converti non potest hæc enunciatio, propter passionem illam corporis, qua vel crescit vel decrescit scientibus nobis, id est, ut non lateat animam. Quid ? hæc passio per seipsam non latet animam, an per aliud ? Per aliud planè : aliud est enim videre ungues majores, aliud scire quod crescant. Cum ergo crescere ipsum sit passio, quam nullo sensu attingimus ; magnitudo autem illa, quam sentimus, eadem passione facta sit, non ipsa sit passio : manifestum est talem passionem non per seipsam scire nos, sed per aliud. Si ergo non per aliud animam non lateret, nonne sentiretur potius quàm conjiceretur ?

Jam [3] *ergo* video sic esse definiendum, ut sensus sit passio corporis per seipsam non latens animam. Nam et omnis

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 25. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

sensus hoc est, et omne hoc, ut opinor, sensus est. Si *autem* hoc ita est, fateor definitionem esse perfectam.

Sed [1] tentemus eam, si placet, utrum *alio* vitio non vacillet, quo illa hominis, cui grammaticum est additum; *cum* esse hominem dictum est animal rationale mortale grammaticum : eoque peccare istam definitionem, quòd conversione vera est, cùm prima enunciatione sit falsa. Namque falsum est : Omnis homo animal rationale mortale grammaticum est ; quamvis verum sit : Omne animal rationale mortale grammaticum homo est. Ergo ideo vitiosa est hæc definitio, quòd nihil quidem præter hominem, sed non omnem hominem tenet. Et hæc fortasse talis est, de qua velut perfecta gloriamur. Quanquam enim omnis passio corporis per seipsam non latens animam sensus sit, non tamen omnis sensus istud est. Quod sic intelligas licet. Bestiæ nempe sentiunt, ac penè omnes quinque istis sensibus vigent, quantum cuique natura tributum est. An tu id negabis ?

Nonne [2] *etiam* concedis, scientiam non esse, nisi cum res aliqua firmà ratione percepta et cognita est? At bestia ratione non utitur. [3] Non igitur scientia cadit in bestiam. Cùm autem non latet aliquid, utique scitur. Non igitur sentiunt bestiæ, si omnis sensus est, cùm passio corporis per seipsam non latet animam. Sentiunt autem, ut paulò ante concessum est. Quid ergo dubitamus illam definitionem improbare, quæ omnem sensum circumplecti minimè potuit? siquidem bestiarum sensus exclusus est ?

Quid [4] *igitur* aliud putas, nisi definitionem illam sensûs, ut antea, quod nescio quid plus quàm sensum includebat, ita nunc contrario vitio vacillare, quod non omnem sensum potuit includere. Habent enim feræ sensum, nec habent scientiam : quicquid autem non latet, scitur ; et omne quod scitur, ad scientiam profectò pertinet : de quibus omnibus jam mihi tecum convenit. Aut igitur non est verum, sensum esse passionem corporis non latentem animam ; aut eo carent bestiæ, quia scientia carent. Sensum autem concedimus bestiis. Definitio ergo illa vitiosa est.

[1] Ibid. — [2] Ibid., cap. 26. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 29.

Accipe[1] aliud, quo magis nos hujus definitionis pudeat. Nam meministi, ut opinor, tertium definitionis vitium tibi demonstratum, quo prorsus nihil est turpius, cùm ex neutra parte vera est, qualis est illa hominis : Homo est animal quadrupes ; nam sive : Omnis homo animal est quadrupes ; sive : Omne animal quadrupes homo est, qui dicit atque affirmat, insanit profectò, si non jocatur. Quid, si in hoc vitio ista nostra deprehenditur, putasne quicquam magis esse quod sit explodendum atque exterminandum de anima? Quis id recuset?

An[2] *verò* tibi nondum persuasum est, cum de differentia ferarum et hominum ageretur, aliud esse sentire, aliud scire? [3]Aliud ergo sensus, aliud scientia. [4]Non autem sentimus ratione ; sed aut visu, aut auditu, aut olfactu, aut gustu, aut tactu : et omne, quod scimus, ratione scimus. Nullus igitur sensus scientia est. Quicquid autem non latet, ad scientiam pertinet. Ad nullum ergo sensum pertinet non latere, ut nullus homo quadrupes rectè dici potest. Quamobrem ista nostra definitio suscepta tua, non solùm alienos terminos invasisse, neque aliquid sui juris reliquisse, sed nihil omnino habuisse proprium, totumque alienum occupasse convicta est.

Est[5] *tamen* aliquid, quod pro ista proferas ; [6]quia, quanquam sit aliud sensus, aliud scientia, illud tamen non latere utrique commune est : ut ipsi homini et bestiæ, quamvis plurimum differant, animal tamen esse commune est. Non latet enim quicquid animæ apparet, sive per temperationem corporis, sive per intelligentiæ puritatem : atque illud primum sensus, hoc autem alterum scientia sibi vindicavit. Manet ergo illa definitio tuta et probata.

[1] Lib. de Quantit. animæ, cap. 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 30.

CAPUT LIX.

DE SENSUUM EXTERIORUM OBJECTIS SEU SENSIBILIBUS, QUÆ TUM SINGULORUM SENSUUM PROPRIA, TUM COMMUNIA, SOLENT APPELLARI.

Sed[1] quæso, quoniam quid sit sensus, subtilissimè, quantum arbitror, explicatum est : referamus nos ad *objecta sensûs.*

Dic[2] mihi jam, quid putas pertinere ad videndi sensum, [3]id est, quid putas nos videndo sentire? Quæcumque corporalia. Num etiam dura et mollia videndo sentimus? Quid ergo propriè ad oculos pertinet, quod per eos sentimus? Color *ab ipsa scilicet luce in corporibus variè receptâ non distinguendus; quia* [4]cum oritur corporibus lux ista visibilis, si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus est nullus color. Cum autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa unius modi sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso ea nitore aspergit.

Quid[5] *etiam* ad aures propriè pertinet quod per *eas* sentimus? Sonus, [6]res utique corporalis; *qui* [7]quoniam corpus est, per aurem carnis illabitur, [8]cum elementum id, quod in eo membro simile est aeri, movetur aere percusso. [9]Quid ad olfactum? Odor. Quid ad gustum? Sapor. Quid ad tactum? Molle vel durum, lene vel asperum, et multa talia.

Alba[10] igitur et nigra, et quoquomodo colorata, lucida et obscura sentimus videndo. Rauca et canora audiendo sentimus. Suaveolentia et graveolentia odorando sentimus. Dulcia et amara gustando sentimus. Dura et mollia, lenia et aspera, calida, et frigida; gravia et levia tangendo sentimus. Et [11]suo *quidem* quæque aditu ingesta *percipiuntur* : sicut lux atque omnes colores formæque corporum per oculos; per aures autem omnia genera sonorum; omnesque

[1] Lib. de Quantit. animæ, c. 30. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [3] Ibid. — [4] Serm. 40, de Tempore. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., c. 3. — [6] Lib. 13, de Trinit., c. 1. — [7] Ibid. — [8] Lib. 6, Musicæ, cap. 5. — [9] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [10] Serm. 33, de Verbis Domini. — [11] Lib. 10, Confess., cap. 8.

odores per aditum narium ; omnes sapores per oris aditum ; a sensu autem totius corporis quid durum , quid molle , quid calidum frigidumve, lene aut asperum, grave seu leve, sive extrinsecùs sive intrinsecùs corpori. *Sic enim* [1] à tangente plurima *discernuntur.* Non enim hoc est calidum et frigidum, quod lene et asperum, aut ista hoc sunt quod molle ac durum, et ab his omnibus distat quod dicitur leve seu grave.

Quid [2] *verò*? corporum formas magnas, breves, quadras, rotundas, et si quid hujusmodi est, nonne et tangendo et videndo sentimus, et ideo nec visui propriè, nec tactui, tribui possunt, sed utrique? Intelligis ergo quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuntient; et quædam quosdam habere communia.

CAPUT LX.

SENSUM, SEU ACTIONEM SENTIENDI, PER IGNEM, ID EST PER QUOSDAM IGNEOS SPIRITUS, VELUTI PER NUNTIOS, PERFICI.

Ignis *autem* [3] omnia penetrat, ut motum in eis faciat. *Ideoque* [4] caloris privatione cum corpus nimiè frigescit, obtundi sensum *dicunt Philosophi*; quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori, dum ignis aerem, et aer humida, et humor terrena quæque afficit, subtilioribus scilicet crassiora penetrantibus.

Itaque [5] corporis sensus per quinque quasi rivulos distanter valentes distribuitur : cùm illud quod est subtilissimum in corpore, et ob hoc animæ vicinius quàm cætera, id est lux, primùm per oculos sola diffunditur, emicatque in radiis oculorum ad visibilia contuenda; deinde mixtura quadam, primùm cum aere puro, secundò cum aere caliginoso atque nebuloso, tertiò cum corpulentiore humore, quartò cum terrena crassitudine, quinque sensus cum ipso,

[1] Lib. 4, Contra Jul. pelag., cap. 14. — [2] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 3. — [3] Lib. 3, de Genesi ad litt., cap. 4. — [4] Ibid. — [5] Ibid., lib. 12, cap. 16.

ubi sola excellit, oculorum sensu efficit. *Sic enim Deus* [1] ex puncto et quasi centro cerebri, sensus omnes quinariâ distributione diffudit. *Nam* [2] ignis luculentam qualitatem velut eliquari ac subvolare *medici* ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri, unde et radii emicant oculorum, et de cujus medio velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros, tenues fistulæ deducuntur, ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque gustandum; ipsumque tangendi sensum, qui per totum corpus est, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis, et eam quæ continetur ossibus, quibus dorsi spina conseritur, ut inde se tenuissimi quidam rivuli, qui tangendo sensum faciunt, per cuncta membra diffundant.

CAPUT LXI.

IMAGINEM IN ORGANO FORMATAM A SOLO CORPORE IMPRIMI; EAMQUE NIHIL ALIUD ESSE, NISI COLOREM VEL LUCEM, QUIA TUM IPSA QUIDEM CLAUSIS OCULIS ALIQUANDO IN ORGANO, TUM ALIA SIMILIS IN SPECULIS, IPSO VISU PERCIPITUR; UNDE ET ANIMÆ FREQUENS CONTINGIT ILLUSIO, DUM RERUM SIMILITUDINES, QUAS VIDET, PRO REBUS IPSIS APPROBAT.

Illa *quidem* [3] informatio sensûs (*quatenus scilicet* [4] instrumentum corporeum sensus vocatur) [5] quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, id est, à re aliqua visibili. [6] Nam et insertarum fenestrarum cancelli, si eos fortè intuebamur, sæpe in illis apparuere coloribus; ut manifestum sit hanc affectionem nostro sensui ex ea re, quæ videbatur, impressam. [7] Plerumque *etiam* cum diusculè attenderimus quæque luminaria, et deinde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu quidam lucidi colores variè sese commutantes, et minùs minusque fulgentes, donec omninò desistant : quos intelligendum est reliquias esse formæ illius, quæ facta

[1] Epist. 3. — [2] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 13. — [3] Lib. 11, de Trinit., cap. 2. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

erat in sensu, cum corpus lucidum videretur; paulatimque et quodammodo gradatim deficiendo variari. [1]Num *enim* quicquam vides oculis nisi colorem?

Numquamne[2] verò in pupilla oculi alieni faciem tuam vidisti? Imo sæpe. [3]In speculo *etiam* nisi corporis imago non cernitur; *ibique forma corporis* [4]multò brevior, quàm est, apparet, *quia* [5]necesse est imagines corporum, si parva sunt corpora in quibus apparent, parvas apparere. [6]Quid enim velles aliud, quàm ut pro modo speculi viderentur.

Hinc[7] illuditur anima similitudinibus rerum, cum approbat ea, quæ similia sunt, pro iis quibus similia sunt. *Sic enim* [8]fallitur in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat quod fit in corporis sensibus: sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, et intuentibus cœlum stare sidera quæ moventur, et divaricatis radiis oculorum duas lucernæ species apparere, et in aqua remus infractus, et multa hujusmodi.

CAPUT LXII.

EO MOMENTO, QUO SIMILITUDO CONSPECTI CORPORIS FORMATUR IN ORGANO; IN IPSA PARITER ANIMA, NON EAMDEM QUIDEM, SED SIMILEM ALIAM IMAGINEM FIERI.

Res *autem*[9] visibilis, *ut supra jam diximus*, gignit formam *illam* velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, *id est instrumento corporeo*, cum aliquid videndo sentimus.

At[10] momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit, sed quod simile sit: quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecùs adjacent sentiuntur. Neque enim

[1]Lib. 2, de Lib. arb., c. 3. — [2]Lib. de Quant. animæ, cap. 5. — [3]Lib. 15, de Trinit., cap. 8. — [4]Lib. de Quant. animæ, cap. 5. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 25. — [8]Ibid. — [9]Lib. 11, de Trinit., cap. 2. — [10]Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 24.

corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecùs nuntiatur. [1]Videntur enim quæ præsto sunt; unde et præsentia nominantur vel animi, vel corporis sensibus.

CAPUT LXIII.

REI SENSIBILIS IMAGINEM, QUÆ PRODUCITUR IN ANIMA, UTPOTE FACTAM IN NATURA SPIRITALI, QUOLIBET VEL EXCELLENTISSIMO CORPORE MELIOREM AC PRÆSTANTIOREM ESSE; SICUT ET SENSATIONEM, QUÆ PROINDE NON POTEST, NISI AB ANIMA, FIERI.

Certum *igitur*[2] est esse spiritalem naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur similitudines, sive cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, et continuò formatur ejus similitudo in spiritu, memoria reconditur: sive cum absentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam spiritalis aspectus, quæ jam erant in spiritu et antequam ea cogitaremus.

Hæc[3] *certè* natura spiritalis *est*, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur. [4]Non enim omnino ipsa corpora in anima sunt, cum ea cogitamus; sed eorum similitudines. [5]Quia verò spiritus omnis omni est corpore sine dubitatione præstantior, sequitur ut non loci *quidem* positione, sed naturæ dignitate, præstantior sit natura spiritalis (etiam illa, ubi rerum corporalium exprimuntur imagines) isto *quoque* corporeo cœlo, *quod* [6]est oculis conspicuum, unde luminaria et sidera effulgent, excellentius utique omnibus corporeis elementis, sicut oculorum sensus excellit in corpore.

Unde[7] hìc existit quiddam mirabile, ut cum prior sit corpore spiritus, et posterior corporalis imago quàm corpus: tamen quia illud, quod tempore posterius est, fit in

[1]Epist. 112, cap. 3. — [2]Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 23. — [3]Ibid., cap. 24. — [4]Lib. 9, de Trinit., cap. 11. — [5]Lib. 12, de Genesi ad litt., c. 16. — [6]Ibid. — [7]Ibid.

eo quod naturâ prius est, præstantior sit imago corporis in spiritu, quàm ipsum corpus in substantia sua. [1] Melior *enim* est imaginatio, *sive imago*, corporis in animo, quàm ipsa species corporis, in quantum hæc in meliore natura, id est, in substantia vitali, sicuti animus est. *Ideo profectò* [2] major est notitia corporis, quàm ipsum corpus quod eâ notitiâ notum est. Illa enim vita quædam est in *anima* cognoscentis: corpus autem non est vita. Et vita quælibet quolibet corpore major est, non mole, sed vi.

Diligenter [3] *igitur* considerandum est, utrum revera nihil sit aliud quod dicitur audire, nisi aliquid à corpore in anima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquo modo animam subdere. Nunquam enim anima est corpore deterior: et omnis materia fabricatore deterior. Nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subjecta materies. Esset autem, si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo, cum audimus, fiunt in anima numeri ab iis, quos in sonis cognoscimus. An aliquid renuis?

Quid est ergo, *inquies*, quod in audiente contingit? Quicquid illud sit quod fortasse invenire aut explicare non possumus, num ad hoc valebit, ut animam corpore meliorem esse dubitemus? Aut cum hoc fateamur, poterimusne operanti corpori et numeros imponenti eam subdere, ut illud sit fabricans, hæc autem materies, de qua, et in qua, numerosum aliquid fabricetur? Quod si credimus, deteriorem illam credamus necesse est; quo quid miserius, quid detestabilius credi potest? Quæ cùm ita sint, conabor equidem, quantum Deus adjuvare dignabitur, quidnam ibi lateat conjectare atque disserere. Sed si hoc propter utriusque aut alterius nostrùm infirmitatem minùs pro voluntate successerit, vel nosipsi alias sereniores id investigabimus vel intelligentioribus investiganda deferemus, vel æquo animo latere patiemur: non tamen ideo ista certiora de manibus debemus amittere.

Citò [4] *itaque* dicam quid sentio: tu verò aut sequere, aut

[1] L. 9, de Trinit., c. 11. — [2] Ibid., c. 4. — [3] Lib. 6, Musicæ, c. 5. — [4] Ibid.

etiam præcede, si valebis, ubi me cunctari et hæsitare animadverteris. Ego enim ab anima hoc corpus animari non puto, nisi intentione facientis. Nec ab isto quicquam illam pati arbitror, sed facere de illo et in illo tanquam subjecto divinitus dominationi suæ : aliquando tamen cum facilitate, aliquando cum difficultate operari, quantò pro ejus meritis magis minusve illi cedit natura corporea. Corporalia ergo quæcumque huic corpori ingeruntur aut objiciuntur extrinsecùs, non in anima, sed in ipso corpore aliquid faciunt, quod operi ejus aut adversetur, aut congruat. Ideoque cum renititur adversanti, et materiam sibi subjectam in operis sui vias difficulter impingit, fit attentior ex difficultate in actionem; quæ difficultas propter attentionem, cum eam non latet, sentire dicitur, et hoc vocatur dolor aut labor. Cum autem congruit quod infertur, aut adjacet : facilè totum id, vel ex eo quantum opus est, in sui operis itinera traducit. Et ista ejus actio, qua suum corpus convenienti extrinsecùs corpori adjungit, quoniam propter quiddam adventitium attentiùs agitur, non latet; sed propter convenientiam, cum voluptate sentitur. At cum desunt ea, quibus corporis detrimenta reficiat, egestas consequitur; et hac actionis difficultate cum fit attentior, et talis ejus operatio non eam latet, fames aut sitis, aut tale aliquid appellatur. Cùm autem supersunt ingesta, et ex eorum onere nascitur difficultas operandi, neque hoc sine attentione fit; et cùm talis actio non latet, cruditas sentitur. Attentè etiam operatur cum ejicit superfluum : si leniter, cum voluptate; si aspere, cum dolore. Morbidam quoque perturbationem corporis attentè agit, succurrere appetens labenti atque defluenti ; et hac actione non latente morbos et ægrotationes sentire dicitur. Et ne longum faciam, videtur mihi anima cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentiùs agere, et has actiones sive faciles propter convenientiam, sive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere : et hoc totum est quod sentire dicitur. Sed iste sensus, qui etiam dum nihil sentimus, inest tamen, instrumentum est corporis, quod ea temperatione agitur ab anima, ut in eo sit ad passiones corporis cum

attentione agendas paratior, similia similibus ut adjungat, repellatque quod noxium est. Agit porrò, ut opinor, luminosum aliquid in oculis, aereum, serenissimum et mobilissimum in auribus, caliginosum in naribus, in ore humidum, in tactu terrenum ut quasi lutulentum. Sed sive hac sive alia distributione ista conjiciantur; agit hæc anima cum quiete, si ea quæ insunt in unitate valetudinis, quasi familiari quadam consensione cohæserint. *Tumque* [1] præbet *corpori* facillimam vitam, et propterea minimè operosam, et negotiosam, ad quam propter summam quietem nulla detorqueat attentio, sicut est affectio corporis quæ sanitas dicitur. Nulla quippe attentione nostra opus habet, non quia nihil tunc agit anima in corpore, sed quia nihil faciliùs agit. Nam in omnibus operibus nostris, tantò quidquam attentiùs, quantò difficiliùs operamur.

Cum [2] autem adhibentur ea, quæ nonnullâ, ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt; exserit attentiores actiones, suis quibusque locis atque instrumentis accommodatas, et tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel gustare, vel tangendo sentire dicitur; quibus actionibus congrua libenter associat, et molestè obsistit incongruis. Has operationes passionibus corporis puto animam exhibere cum sentit, non easdem passiones recipere. Quapropter cum de sonorum numeris in præsentia quæratur, et sensus aurium vocetur in dubium, non oportet per cætera diutiùs evagari. Referamus itaque nos ad id, de quo agitur, et videamus utrùm sonus in auribus aliquid faciat. An tu id negabis? Nihil, *ut opinor*, minus. Quid? easdem aures animatum membrum esse nonne concedis? Cum ergo id, quod in eo membro simile est aeri, moveatur aere percusso; animam illam, quæ ante istum sonum vitali motu in silentio corpus aurium vegetabat, num putamus aut cessare posse ab opere movendi quod animat, aut eodem modo movere commotum extrinsecùs aerem auris suæ, quo movebat antequam ille illaberetur sonus? Non videtur *certè* mihi aliter. Hoc ergo aliter movere, nonne fatendum est facere esse, non pati? Ita est

[1] Lib. 6, Musicæ, cap. 5. — [2] Ibid.

prorsus. Non igitur absurdè credimus motus suos animam, vel actiones, vel operationes, vel si quo alio nomine commodiùs significari possunt, non latere cùm sentit. Hæ autem operationes, vel præcedentibus corporum passionibus adhibentur; ut sunt cum illæ oculorum nostrorum lucem formæ interpellant, aut in aures influit sonus, aut naribus exhalationes, palato sapores, cætero corpori quælibet solida et corpulenta admoventur extrinsecùs, vel in ipso corpore de loco in locum migrat aliquid sive transit, vel totum ipsum corpus suo alienove pondere movetur. Hæ sunt operationes, quas adhibet anima præcedentibus passionibus corporis; quæ delectant eam associantem, offendunt resistentem. Cum autem ab eisdem suis operationibus aliquid patitur, à seipsa patitur, non à corpore; sed planè cum se accommodat corpori.

Sed [1] quoniam disputatum est, hos etiam qui sunt in sentiendo numeros operationes esse animæ; quomodo eos ab illis discernis, quos in actu esse animadvertimus, etiam cum in silentio non recordans agit aliquid anima per temporalia spatia numerosum? An quòd illi sunt moventis sese animæ ad corpus suum, hi verò in audiendo moventis sese animæ adversus passiones corporis sui? Nam [2] eadem *quidem* utrumque agit. Sed animadvertere te opus est, et in progressoribus (*quos nimirum* [3] in silentio non recordans, *ut modò dicebatur*, agit anima), [4] eamdem animam corpus movere, vel ad corpus moveri; et in occursoribus (*id est*, *iis* [5] qui sunt in sentiendo) [6] hanc eamdem passionibus ejus ire obviam. [7] Aliud enim est ad ea quæ corpus patitur moveri, quod fit in sentiendo. Aliud movere se ad corpus quod fit in operando.

[1] Lib. 6, Musicæ, cap. 6. — [2] Ibid., cap. 9. — [3] Ibid., cap. 6. — [4] Ibid., cap. 9. — [5] Ibid., cap. 6. — [6] Ibid., cap. 9. — [7] Ibid.

CAPUT LXIV.

IMAGINEM ILLAM SPIRITALEM AD SENTIENDUM ANIMÆ PRORSUS NECESSARIAM NON A CORPORE, QUOD NIHIL SPIRITALE FORMARE POTEST ; SED AB ANIMA TANTUM POSSE FIERI, QUÆ IPSAM IN SEMETIPSA ET DE SEMETIPSA FACIT.

Proinde [1]cum à corpore causa est ut *aliqua, verbi gratia*, visa cernantur, non ea corpus exhibet. Neque enim habet eam vim, ut formet aliquid spiritale.

Non [2]sanè putandum est facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est qui facit, ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus ; imò perspicuo modo spiritus corpore : quamvis ergo priùs videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus in spiritu nostro, quo illud cum absens fuerit recordemur : tamen eamdem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longè est à corporis tarditate : cujus imago mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis, nullius puncti temporalis interpositione formatur. *Ubi multùm* [3]admiror *multùmque* stupeo quanta celeritate ac facilitate anima fabricet imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit *seu tetigerit* : [4]quæ quomodo fabricatæ sint quis dicit, *vel* [5]novit qua vi efficiantur in unoquoque animo tanta, cum cogitat ? qua vi et quomodo fiant quis poterit explicare? [6]Unde fiant, id est, quænam sit velut materies eorum, quis indagare potest aut dicere ? Proculdubio tamen spiritalis est, non corporalis, *ut supra jam ostendimus.* [7]Ego *certè* minus id in nobis, quod continuò vigilantes dormientesque experimur, quo pacto fiat explicare sufficio. *Quinetiam* [8]id quonam modo in animo meo fiat capere ac investigare non possum, certus tamen

[1]Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 20. — [2]Ibid., cap. 16. — [3]Ibid., c. 18. — [4]Lib. 10, Confess., cap. 8. — [5]Epist. 100. — [6]Lib. 4, de Anim. et ejus orig., cap. 17. — [7]Epist. 100. — [8]Ibid.

non fieri corporeis molibus, nec corporeis qualitatibus, cum corpori simillimum fiat. [1]Seipsum quisque habet, quo se avocet ad profundissimam quæstionem. Et vigilat homo, et dormit homo quotidie, et cogitat homo : dicat unde fiant ista similia formis, similia quantitatibus, similia motibus corporum, nec tamen materie corporali ; dicat si potest. [2]Ego *quidem* quomodo fiant ista velut corporea sine corpore, verbis prorsus explicare non possum, *quamvis* tamen scio non ea corpore fieri. [3]Imagines *enim* corporum fiunt in spiritu, nec omnino sunt corpora. Cum verò eas *viri* etiam non mediocriter acuti coguntur intueri, si rectè adverterint, atque compererint non eas esse corporeas, sed corporum simillimas, rationem tamen de his non continuò valent reddere, quibus causis et quemadmodum fiant, qua denique natura sua subsistant, vel in quo subjecto sint : utrum ita in animo fiant ut in membrana ex atramento litteræ, ubi utraque substantia est, membrana scilicet et atramentum ; an sicut sigillum in cera, vel figura quælibet, cui cera subjectum est, illa in subjecto ; an utroque modo fiant ista in spiritu nostro, aliquando sic, aliquando autem sic.

Movent *nos plurimùm* ut cogitemus ea quæ absunt à sensibus corporis, et in nostra reperiuntur memoria; vel quæ nos ipsi, ut libitum est, facimus, disponimus, augemus, minuimus, situ, habitu, motu, innumerabilibus qualitatibus formisque variamus. *Multùm nos* [4]movent hæc, quæ *tamen* in animo de ipso animo fieri non absurdè quis putat ; *ita quippe anima*, [5] quia secum non potest introrsum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum convolvit, et rapit factas in semetipsa de semetipsa. Dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ ; [6]in parte *nimirum* quadam animæ, quam habent et bestiæ, quamvis intelligentiâ careant, quæ mentis est propria. [7]Nam illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos habere communes sentimus, *ut supra jam dictum est.*

[1]Epist. 100. — [2]Ibid. — [3]Epist. 101. — [4]Ibid. — [5]Lib. 10, de Trinit., cap. 5. — [6]Ibid., cap. 8. — [7]Ibid , cap. 5.

CAPUT LXV.

DE SOMNO ET VIGILIA, QUIBUS ANIMA VEL A SENSIBUS EXTERNIS CESSAT, VEL IPSIS VACAT.

Porro anima [1] removet se ab his sensibus certo intervallo temporum et eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, et hoc totum est somnus. [2] Somnum *igitur* corporis omnes debemus habere : quia si non habeatur somnus corporis , deficit homo, deficit ipsum corpus. Non enim potest diu sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem et intentam in actionibus. Si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile et terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuò agentem ; et deficit et succumbit. Ideo Deus donavit somnum corpori, quo reparantur membra corporis, ut possint vigilantem animam sustinere.

In [3] somno *autem* et in vigiliis neque id est dormire quod obdormiscere, neque id est vigilare quod expergisci ; sed transitus quidam ex altero in alterum, [4] ut dormitio sit qua transitur ad somnum, veluti est expergefactio qua transitur ad vigilationem.

Jam verò [5] quicquid illud est quod somnum facit, è corpore est atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit et claudit quodammodo : ita sanè, ut tali commutationi corporis cedat anima cum voluptate ; quia secundum naturam est talis commutatio, quæ reficit corpus à laboribus.

A [6] requie temporum somnus venit ad oculos. Tempora circa oculos sunt. Veluti futurus somnus gravedo temporum est. Nam omnibus dormituris gravari tempora incipiunt, et cum senserint sibi gravari tempora, jam imminet somnus, qui si dandus est oculis, dat requiem temporibus suis, et venit somnus.

Somno [7], quia eum frigidum et humidum dicunt medici

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 33. — [2] In Psalm. 62. — [3] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 24 — [4] In Psalm. 3. — [5] Lib. de Immort. animæ, cap. 14. — [6] In Psalm. 131. — [7] Lib. de Quant. animæ, cap. 22.

et probant, membra languescunt, atque ipse expergefactorum conatus multò est debilior, ideoque nihil est fractius et enervius lethargicis.

Non [1] tamen hæc *corporis per somnum commutatio* adimit animo vel sentiendi vim vel intelligendi. Nam et imagines sensibilium præsto habet, tanta expressione similitudinis, ut eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus quarum imagines sunt. Et si quid intelligit, æquè dormienti ac vigilanti verum est. Nam, *verbi gratia*, si per somnium disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus in disputando didicerit aliquid : etiam expergefacto eædem incommutabiles manent, quamvis falsa reperiantur cætera, veluti locus ubi disputatio, et persona, cum qua disputatio fuisse visa erat, et verba ipsa quod ad sonum attinet, quibus disputari videbatur, et alia hujuscemodi ; quæ etiam cum ipsis sensibus sentiuntur, agunturque à vigilantibus, prætereunt tamen, nec ulla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis, qualis somnus est, usum ejusdem corporis animæ, non vim propriam, posse minui.

CAPUT LXVI.

PRÆTER SENSUS EXTERIORES ADMITTENDUM ESSE QUEMDAM SENSUM INTERIOREM AB IPSA RATIONE DISTINCTUM, QUA NEMPE SENSUUM EXTERIORUM OPERATIONES ETIAM BRUTA PERCIPIUNT, DUM SE SENTIRE SENTIUNT.

Quid *autem* [2] ad quemque sensum *scilicet externum* pertineat, et quid inter se vel omnes vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo eorum sensu dijudicare? Nullo modo, sed quodam interiore ista dijudicantur. Num fortasse ipsa est ratio, qua bestiæ carent? Nam, ut opinor, ratione ista comprehendimus, et ita sese habere cognoscimus? Magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quemdam sensum, ad quem ab istis quinque notissimis sensibus cuncta referuntur.

[1] Lib. de Immort. animæ, cap. 14. — [2] Lib. 2, de Lib. arb. cap. 3.

Manifesta [1] *planè* sunt, sensu corporis sentiri corporalia; eumdem autem sensum hoc eodem sensu non posse sentiri. [2] Quid hoc? videsne, sensu oculorum colorem sentiri eumdem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre. Non omnino. Enitere etiam ista dijudicare : nam credo te non negare aliud colorem esse, et aliud colorem videre : et item aliud etiam, cum color non subest, habere sensum, quo videri posset, si subesset. Discerno et ista, et inter se differre concedo. Num horum trium quicquam vides oculis nisi colorem? Nihil aliud. Dic ergo, unde videas alia duo; non enim ea non visa posses discernere. Nescio quid aliud; esse scio, nihil amplius.

Quoniam [3] ergo, cum colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cùm audimus sonum, nostrum etiam audimus auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid et ipse olfactus; neque quicquam gustantibus sapit in ore ipse gustus; nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere : manifestum est quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quæque sentiantur.

Arbitror [4] etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorem, non ea tantum sentire, quæ acceperit à quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret; non ad sciendum (nam hoc rationis est), sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. Quòd si adhuc obscurum est, elucescet, si animadvertas, quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum, et movere aspiciendo ad id, quod videre appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso, vel non ita moto, se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum videt, necesse est etiam sentiat se videre dum videt; quia cum eo appetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, indicat

[1] L. 2, de Lib. arb., c. 4. — [2] Ibid., c. 3. — [3] Ibid. — [4] Ib., c. 4.

se utrumque sentire. *Sicque manifestum est* [1] sensu interiore et corporalia sensu corporis sentiri, et ipsum corporis sensum.

Hic [2] *ergo* nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus dici potest; sed nescio quid aliud, quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum, quoniam et bestiis inesse manifestum est. Agnosco istud quicquid est, et eum interiorem sensum appellare non dubito.

CAPUT LXVII.

SENSUM ILLUM INTERIOREM, QUAMVIS IPSA RATIONE INFERIOREM, OMNIBUS TAMEN SENSIBUS EXTERNIS, DE QUIBUS NEMPE JUDICAT, ESSE PRÆSTANTIOREM.

Quid [3] *verò?* illum sensum interiorem, quem quidem infra rationem, et adhuc nobis communem cum bestiis, superiùs indagavimus, dubitabisne huic sensui præponere, quo corpus attingimus, et quem jam ipsi corpori præponendum esse dixisti? [4] Hoc *autem* cur non dubites, volo abs te audire. Non enim poteris dicere, hunc sensum interiorem jam in eo genere trium illorum esse ponendum, quod etiam intelligit; sed adhuc in eo quod et est et vivit, etiamsi intellectu caret. Iste enim sensus inest et bestiis, quibus intellectus non inest. Quæ cum ita sint, quæro cur præponas sensum interiorem huic sensui, quo corporalia sentiuntur, cum sit uterque in eo genere quod vivit. Sensum autem istum, qui corpora attingit, ideo præposuisti corporibus, quia illa sunt in eo genere, quod tantum est : iste verò in eo, quod etiam vivit. In quo cum et ille interior reperiatur, cur eum meliorem putes dic mihi? Si enim dixeris, quia ille istum sentit, non te credo inventurum regulam qua

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 4. — [2] Ib. cap. 3. — [3] Ibid., cap. 5. — [4] Ibid.

fidere possimus, omne sentiens melius esse, quàm id quod ab eo sentitur, ne fortassis ex hoc etiam cogamur dicere, omne intelligens melius esse quam id quod ab eo intelligitur. Hoc enim falsum est; quia homo intelligit sapientiam, et non est melior quam ipsa sapientia. Quamobrem vide qua causa tibi visum sit, sensum interiorem huic sensui, quo sentimus corpora, esse præferendum. *Idcò certè* quia moderatorem et judicem quemdam illum hujus esse cognosco. Nam et si quid huic in officio suo defuerit, ille tanquam debitum à ministro flagitat, sicut paulò antè disputatum est. Non enim se videre, aut non videre sensus oculi videt. Et quia non videt, non potest quid sibi desit, aut quid satis sit judicare; sed ille interior, quo admonetur et anima bestiæ aperire oculum clausum, et quod deesse sentit implere. Nulli autem dubium est eum, qui judicat, eo de quo judicat, esse meliorem.

Cernis *profectò* istum etiam corporis sensum de corporibus quodammodo judicare? Ad illum enim pertinet voluptas et dolor, cum vel leniter vel asperè corpus attingitur. *Sic autem* ille interior quid desit vel satis sit oculorum sensui judicat, sicut ipse sensus oculorum quid desit, vel satis sit oculorum sensui judicat. Item *sic* ille interior de auditu nostro judicat, utrum minus an sufficienter intentus sit, *sicut* judicat auditus ipse de vocibus, quid earum leniter influat, aut asperè perstrepat. Non necesse est cæteros sensus corporis persequi. Jam enim, ut opinor, animadvertis quid velim dicere, ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus judicare, cum eorum et integritatem probat, et debitum flagitat, quemadmodum et ipsi corporis sensus de corporibus judicant, assumentes in eis lenem tactum, rejicientesque contrarium.

CAPUT LXVIII.

HOC ETIAM INTERIORE SENSU ANIMAM QUAMLIBET SENTIRE, PROINDEQUE PERCIPERE SEIPSAM : CUM NEC MORTEM FUGIAT, NISI QUONIAM AMAT, IDEOQUE NOVIT VITAM SUAM ; NEC SEIPSAM ALIQUID SENTIRE PERCIPIAT, NISI QUONIAM ET SEIPSAM ET SENSUM SUUM PERCIPIT ; NEC DEMUM EI MAGIS QUICQUAM PRÆSTO SIT QUAM IPSA SIBI.

Sed [1] utrum et seipsam hæc vita sentiat, quæ se corporalia sentire sentit, non ita clarum est, nisi quòd se quisque intus interrogans, invenit omnem rem viventem fugere mortem ; quæ cùm sit vitæ contraria, necesse est ut vita etiam seipsam sentiat, quæ contrarium suum fugit.

Quid? [2] animalia etiam irrationalia ab immensis draconibus usque ad exiguos vermiculos, *non solùm* [3] habent vitam manifestam, sicut omnes novimus, appetendi cibum, utilia sumendi, noxia respuendi, sensus corporalia discernendi, visum ad colores, auditum ad voces, olfactum ad odores, gustum ad sapores, motus vel ad voluptates, vel ad molestias cognoscendas (intelligimus *enim* hæc et videmus ante oculos nostros) ; *non solum*, *inquam*, [4] habent spiritum corporis animati et vitam manifestam ; *sed etiam* [5] carnalem vitam et quod secundum sensum ejus est, *amant*. [6] Nonne se esse velle, atque ob hoc interitum fugere ([7] non *enim* ob aliud *nolunt* interire, *nisi quia* [8] vi quadam naturali ipsum esse jucundum est), [9] omnibus, quibus possunt, motibus indicant? [10] Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quam volueris. Si consideres animationem vitæ qua movetur, ut pro se fugiat mortem, amat vitam. [11] Quis enim pecora docuit devitationem mortis, nisi sensus vitæ?

Anima [12] *certè* se sentire corporalia sentit. [13] Cum ergo *sentientem* se novit, se utique novit. [14] Neque enim aliquid

[1] Ibid., cap. 4. — [2] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27. — [3] In Psalm. 148. — [4] Ibid. — [5] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 28. — [6] Ibid., cap. 27. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] In Psalm. 148. — [11] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 16. [12] Lib. 2, de Lib. arb., c. 4. — [13] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 21. — [14] Ibid.

aliud, sed seipsam *sentientem* novit. [1] Sed hoc in præsenti, *de quo fusius infra.*

Cur [2] *etiam ipsa*, cum alias *res* novit, se non novit, cum seipsa nihil possit esse præsentius? [3] Nihil *profectò* tam novit anima, quàm id quod sibi præsto est; nec *animæ* magis quicquam præsto est quam ipsa sibi. [4] Quid *ergo* tam intimè *percipitur*, seque ipsum esse sentit, quàm id quo etiam cætera sentiuntur, id est, ipse animus? [5] Novit *enim* se [6] quadam interiore, non simulatâ, sed verâ præsentiâ (non enim quicquam illi est seipso præsentius), sicut cogitat vivere et *sentire* se.

CAPUT LXIX.

PERCEPTIONEM ILLAM, QUA IPSÆ QUOQUE BRUTORUM ANIMÆ SEIPSAS PERCIPIUNT, SENSUM DUNTAXAT APPELLARI POSSE, NON SCIENTIAM.

Quid [7] autem hoc putas esse, nisi vim quamdam sentiendi, non sciendi? [8] Nam credo te *non* ignorare id, quod scire dicimus, nihil esse aliud, quàm ratione habere perceptum. [9] Qui ergo scit se vivere, ratione non caret: [10] vivunt autem bestiæ, et sicut jam *receptum est*, rationis expertes sunt. [11] Ecce igitur jam nosti, [12] non omne quod vivit scire se vivere, quanquam omne quod se vivere sciat, necessariò vivit.

Novit [13] *tamen omnis vita seu* omnis anima vivere se; [14] neque enim quasi humanæ prudentiæ rationisque proprium est. Et bestiæ quippe sentiunt vivere seipsas. [15] Aliud *autem* est sensus, aliud scientia: illudque non latere utrique commune est ([16] non latet enim quicquid animæ apparet); *unde supra jam diximus* [17] non continuò esse scientiam, si

[1] Lib. 7, de Genesi. ad lit., c. 21. — [2] Lib. 10, de Trinit., c. 3. — [3] Ibid., lib. 14, c. 4. — [4] Ibid., lib. 8, c. 6. — [5] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 21. — [6] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [7] Lib. de Quant. animæ, cap. 28. — [8] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 7. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid. — [13] Lib. 10, de Trinit., cap. 4. — [14] Ibid., lib. 8, cap. 6. — [15] Lib. de Quant. animæ, cap. 30. — [16] Ibid. — [17] Ibid.

quid non latet animam ; sed si per rationem non latet, scientiam vocari. *Sicque* [1] inest sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, at certè quædam scientiæ similitudo.

CAPUT LXX.

DE MEMORIA : IN QUA VELUT IN THESAURO QUODAM INVECTAS DE REBUS SENSIS IMAGINES CONSERVARI DEMONSTRATUR.

Transibo *jam* [2] ad illam vim meam, quæ memoria vocatur ; [3] *quam* habent et pecora et aves ([4] est enim vis animæ quædam mente inferior, ubi corporearum rerum similitudines exprimuntur), [5] et veniam in campos et lata prætoria memoriæ meæ, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum de hujusmodi rebus sensis invectarum. *Ipsæ* [6] quippe res *sensibiles* non intromittuntur ad eam, sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur. [7] Cum *enim* aliquod corpus sensu corporis tangimus, continuò formatur ejus similitudo in spiritu, memoriaque reconditur, *ut supra jam diximus ; sicque* [8] cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago in spiritu (*quatenus scilicet* [9] illud quod hauserunt oculi, id spiritui, ut ejus illic imago fieret, nuntiaverunt) ; [10] sed non dignoscitur facta nisi cum ablatis oculis ab eo quod per oculos videbatur, imaginem ejus in animo invenerimus.

Non [11] potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritalis simul fiat : sed non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablatus à corpore : ut id, quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. [12] Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuò spiritus in seipso formaret ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba

[1] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 17. — [3] Ibid. — [4] Lib. 12, de Genesi ad lit., cap. 9. — [5] Lib. 10, Confess., cap. 8. — [6] Ibid., cap. 9. — [7] Lib. 12, de Genesi ad litt., c. 23. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid., cap. 24. — [12] Ibid., cap. 16.

utrum secunda esset, cum jam prima utique nulla esset, quæ percussa aure transiisset : ac sic omnis locutionis usus, omnis cantandi suavitas, omnis postremò in actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret ; neque ullum progressum nancisceretur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret ; quos utique non tenet, nisi imaginaliter à se factos in se. [1] In audienda itaque vel brevissima syllaba, nisi memoria nos adjuvet, ut eo momento temporis, quo jam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneat ille motus in animo, qui factus est cum initium ipsum sonuit, nihil nos audisse possumus dicere.

CAPUT LXXI.

RATIONEM, CUR OBJECTA QUÆDAM SENSIBUS NOSTRIS PRÆSENTIA NON SENSISSE NOBIS ALIQUANDO VIDEMUR, INDE PETENDAM ESSE, QUOD EORUM IMAGINES ALIA COGITATIONE OCCUPATI MEMORIÆ NOSTRÆ NON SATIS FIRMITER INFIXIMUS ; ITA UT EA NOS SENSISSE POSTEA NON MEMINERIMUS.

Hinc [2] est illud quod plerumque alia cogitatione occupati, coram loquentes non nobis videmur audisse : non quia occursores illos numeros, *de quibus jam supra*, non agit tunc anima, cum sine dubio sonus ad aures perveniat, et illa in passione corporis sui cessare non possit, nec possit nisi aliter moveri, quàm si illa non fieret : sed quia intentione in aliud subinde exstinguitur motionis impetus, qui si maneret, in memoria utique maneret, ut nos et inveniremus et sentiremus audisse.

Ita [3] memoriam à sensu voluntas avertit, cum in aliud intenta non ei sinit inhærere præsentia. Quod animadvertere facilè est, cum sæpè coram loquentem nobis aliquem aliud cogitando non audisse nobis videmur. Falsum est autem : audivimus enim, sed non meminimus, subinde per aurium sensum labentibus vocibus, alienato nutu voluntatis, per

[1] Lib. 6, de Musicæ, cap. 8. — [2] Ibid. — [3] Lib. 11, de Trinit., cap. 8.

quem solent infigi memoriæ. Veriùs itaque dixerimus, cum tale aliquid accidit : Non meminimus, quàm : Non audivimus. Nam et legentibus evenit et mihi sæpissimè, ut perlecta pagina vel epistola, nesciam quid legerim, et repetam. In aliud quippe intento nutu voluntatis, non sic est adhibita memoria sensui corporis, quomodo ipse sensus adhibitus est litteris. Ita et ambulantes intenta in aliud voluntate, nesciunt quà transierint: quod si non vidissent, non ambulassent, aut majore intentione palpando ambulassent, præsertim si per incognita pergerent. Sed quia facilè ambulaverunt utique viderunt. Quia vero non sicut sensus oculorum locis quacumque pergebant, ita ipsi sensui memoria jungebatur, nullo modo id, quod viderunt etiam recentissimum, meminisse potuerunt.

Quando [1] autem penitus avertitur atque abripitur animi intentio à sensibus corporis, tunc magis exstasis dici solet. Tunc omnino quæcumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorsus audiuntur : totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem.

CAPUT LXXII.

EX DICTIS COLLIGITUR, CUM IPSÆ DUNTAXAT RERUM SENSIBILIUM IMAGINES, NON AUTEM RES IPSÆ INTROMITTANTUR IN MEMORIAM, EA PARITER, QUÆ RECORDANDO IPSA MEMORIA COGITAMUS SIVE CERNIMUS, NON ESSE RES IPSAS, SED RERUM EXTRA MEMORIAM POSITARUM IMAGINES.

Sed [2] cum spiritalis visio imaginibus corporalium detinetur, quæ videntur ipsius animæ sunt imaginationes. *Ipsæ* [3] quippe res non intromittuntur ad eam, *ut supra jam diximus*, sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur : [4] nisi velis et illa corpora dicere, quæ præter nos ipsos tam

[1] Lib. 12, de Genesi ad litt., c. 12. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, Confess., c. 9. — [4] Lib. 4, de Anima et ejus orig., cap. 17.

multa videmus in somnis, cœlum, terram, mare, solem, lunam, stellas, fluvios, montes, arbores, animalia. Hæc qui corpora esse credit, incredibiliter desipit, *ut alibi jam dictum est.*

Cum ergo [1] vides animo etiam ipsam locorum distantiam, per memoriam hæc fieri puto, non quod illis locis sit præsens; *sed* imagines *duntaxat* illorum locorum memoriâ continentur. [2] Nam et quid ibi nunc agatur ignoro; quod utique non ignorarem, si animus meus usque ad ea loca porrigeretur, præsentiaque sentiret.

Cum [3] ista contemplor, [4] falsa sunt hæc quæ phantasmata dici solent. *Nam* [5] si una Roma est, quam circa Tiberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo. Non enim est ipsa, nec ibi sum modò : nam quid ibi agatur modò, utique scirem. Si unus est sol falsus est iste quem cogitans fingo. Nam ille curricula sua certis locis et temporibus peragit : istum verò, ego ubi volo, et quando volo, constituo. Si unus est ille amicus meus, falsus est iste quem cogitans fingo. Nam ille ubi sit nescio : iste ibi fingitur, ubi volo. Ego ipse certè unus sum, et hoc loco esse sentio corpus meum, et tamen figmento cogitationis pergo quolibet, et loquor cum quolibet.

CAPUT LXXIII.

MEMORIAM ETIAM SENSITIVAM, IN QUA IMAGINES ILLÆ CONSERVANTUR, ESSE SPIRITALEM; HINCQUE FIERI, QUOD ANIMA ETIAM A CORPORE SEPARATA EASDEM IMAGINES RETINEAT.

Utique *verò* [6] non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. [7] Hæc *igitur* natura spiritalis est, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur. [8] Quibus *etiam* animæ

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 34. [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 12, de Genesi ad lit., cap. 7. — [7] Ibid., cap. 24. — [8] Ibid., cap. 32.

corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu male, cum ipsæ corporibus suis similes sibimet appareant. [1]Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cum, jacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex illa subductione vivis redditi narraverunt: et non habeat, cum perfecta morte penitus de corpore exierit.

CAPUT LXXIV.

ANIMAM NON SICUT RES IPSAS INTELLIGIBILES, ITA ET SENSIBILIUM IMAGINES HABERE EX SEIPSA, SED SENSUUM DUNTAXAT BENEFICIO EAS ACCIPERE.

At[2] cur, *inquies,* quæso te, non à se potiùs, quàm à sensu phantasiam habere omnes imagines dicimus? Potest enim *fortè*, quemadmodum animus intellectualis ad intelligibilia sua videnda à sensu admonetur potiùs quàm aliquid accipit: ita et phantasticus animus ad imagines suas contemplandas, à sensu admoneri potiùs quàm aliquid assumere. Nam forte inde contingit, ut ea quæ sensus non videt, ille tamen aspicere possit: quod signum est, in se et à se habere omnes imagines.

Citò[3] incipiam quod me jamjamque vis dicere, non citò *fortè* desiturus. [4]Jam *ergo* quod tibi videtur anima etiam non usa sensibus corporis corporalia posse imaginari, falsum esse convincitur isto modo. Si anima, priùsquam corpore utatur ad corpora sentienda, eadem corpora imaginari potest, et meliùs, quod nemo sanus ambigit, affecta erat, antequàm his fallacibus sensibus implicaretur, meliùs afficiuntur animæ dormientium quàm vigilantium, meliùs phreneticorum quàm tali peste carentium: his enim afficiuntur imaginibus, quibus ante istos sensus vanissimos nuntios afficiebantur: et aut verior erit sol quem vident illi, quàm ille quem sani atque vigilantes; aut erunt veris falsa meliora. Quæ si absurda sunt, sicuti sunt, nihil est aliud illa

[1] L. 12, de Genesi ad litt., cap. 32. — [2]Epist. 71. — [3]Epist. 72. — [4]Ib.

imaginatio, *carissime*, quam plaga inflicta per sensus, quibus non, ut tu scribis, commemoratio quædam fit ut talia formentur in anima, sed ipsa hujus falsitatis illatio, sive, ut expressiùs dicatur, impressio.

Quod[1] *autem* te movet, quì fiat, ut eas facies formasque cogitemus quas nunquam vidimus, acutè movet. Itaque faciam *ut intelligas.* [2]Omnes has imagines, quas phantasias cum multis vocas, in tria genera commodissimè ac verissimè distribui video. Quorum est unum sensis rebus impressum, alterum putatis, tertium ratis.

Primi generis exempla sunt, cùm mihi tuam faciem, vel Carthaginem, vel familiarem quondam nostrum Verecundum, et si quid aliud manentium vel mortuarum rerum, quas tamen vidi atque sensi, in se animus format.

Alteri generi subjiciuntur illa quæ putamus ita se habuisse, vel ita se habere, velut cùm disserendi gratia quædam ipsi fingimus nequaquam impedientia veritatem, vel qualia figuramus cùm legitur historia, et cùm fabulosa vel audimus vel componimus vel suspicamur. Ego enim mihi, ut libet, atque ut occurrit animo, Æneæ faciem fingo, ego Medeæ cum suis anguibus alitibus junctis jugo, ego Chremetis et alicujus Parmenonis. In hoc genere sunt etiam illa, quæ sive sapientes, aliquid veri talibus involventes figuris, sive stulti, variarum superstitionum conditores pro vero attulerunt; ut est tartareus Phlegethon, et quinque antra gentis tenebrarum, et stylus septentrionalis continens cœlum, et alia poetarum atque hæreticorum mille portenta. Dicimus tamen et inter disputandum, puta esse tres super invicem mundos, qualis hic unus est. Et, puta quadrata figura terram contineri; et similia. Hæc enim omnia ut se cogitationis tempestas habuerit, fingimus et putamus.

Nam de rebus quod ad tertium genus attinet imaginum, numeris maximè atque dimensionibus agitur: quod partim est in rerum natura, velut cùm totius mundi figura invenitur, et hanc inventionem in animo cogitantis imago sequitur: partim in disciplinis tanquam in figuris geometricis

[1] Epist. 72. — [2] Ibid.

et rhythmicis musicis, et infinita varietate numerorum; quæ quamvis vera, sicut ego autumo, comprehendantur, gignunt tamen falsas imaginationes, quibus ipsa ratio vix resistit : tametsi nec ipsam disciplinam disserendi carere hoc malo facile est, cùm in divisionibus et conclusionibus quosdam quasi calculos imaginamur.

In hac tota imaginum silva credo tibi non videri primum illud genus ad animam, priusquam inhæreat sensibus, pertinere.

Hinc [1] *enim* est, quod à prima ætate cæci, cum de luce coloribusque interrogantur, quid respondeant non inveniunt, non enim coloratas ullas patiuntur imagines, qui senserunt nullas. [2]Neque hinc diutiùs disserendum.

De [3] duobus reliquis jure adhuc quæri posset, nisi manifestum esset animam minus esse obnoxiam falsitatibus, nondum passam sensibilium sensuumque vanitatem. At istas imagines quis dubitaverit istis sensibilibus multo esse falsiores? Nam illa quæ putamus et credimus sive fingimus, et ex omni parte omnino falsa sunt, et certè longè, ut cernis, veriora sunt quæ videmus atque sentimus.

Jam in illo tertio genere quodlibet spatium corporale animo figuravero, quanquam id rationibus disciplinarum minimè fallentibus cogitatio peperisse videatur, ipsis rursum rationibus arguentibus, falsum esse convinco. Quo fit ut nullo pacto animam credam nondum corpore sentientem, nondum per sensus vanissimos mortali et fugaci substantia verberatam, in tanta falsitatis ignominia jacuisse.

Unde ergo evenit, ut quæ non vidimus cogitemus? Quid putas, nisi esse vim quamdam minuendi et augendi animæ insitam, quam quocumque venerit necesse est afferat secum? Quæ vis in numeris præcipuè animadverti potest. Hac fit, verbi gratia, ut corvi quasi ob oculos imago constituta, quæ videlicet aspectibus nota est, demendo et addendo quædam, ad quamlibet omnino nunquam visam imaginem perducatur. Hac evenit, ut per consuetudinem volventibus

[1] Epist. 72. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

sese in talibus animis, figuræ hujuscemodi velut sua sponte cogitationibus irruant. Licet igitur animæ imaginanti, ex his, quæ illi sensus invexit, demendo, ut dictum est, et addendo, ea gignere quæ nullo sensu attingit tota; partes verò eorum in aliis atque aliis rebus attigerat. Ita nos pueri apud mediterraneos nati atque nutriti, vel in parvo calice aqua visa, jam imaginari maria poteramus: cum sapor fragorum et cornorum, antequam in Italia gustaremus, nullo modo veniret in mentem.

CAPUT LXXV.

NIHIL CORPORALE NOS MEMINISSE, NISI QUOD SENSIBUS ; HINCQUE FIERI UT NULLA CORPORALIA, NISI AUT EA QUÆ SENSIMUS, AUT EX IIS QUÆ SENSIMUS, A NOBIS COGITENTUR.

Nemo *enim* [1] aliquid corporale cogitat, nisi quod sensit, quia nemo meminit corporale aliquid nisi quod sensit. [2] Quanquam sæpissimè credamus etiam vera narrantibus, quæ ipsi, sensibus perceperunt. Quæ cum in ipso auditu, quando narrantur, cogitamus, non videtur ad memoriam, retorqueri acies, ut fiant visiones cogitantium : neque enim ea nobis recordantibus, sed alio narrante cogitamus. [3] Nec quod latebat in memoria mea, sed quod audio, cogito, cum aliquid mihi narratur. [4] Eas *quippe* cogito corporum species, quas narrans verbis sonisque significat; quas utique non reminiscens, sed audiens cogito.

Sed si diligentiùs consideremus, nec tunc exceditur memoriæ modus. Neque enim vel intelligere possem narrantem, si ea quæ dicit, et si contexta tunc primum audirem, non tamen generaliter singula meminissem. Qui enim mihi narrat, verbi gratia, aliquem montem silva exutum, et oleis indutum, ei narrat qui meminerim species et montium, et silvarum, et olearum ; quas si oblitus essem, quid diceret omnino nescirem, et ideò narrationem illam

[1] Lib. 11, de Trinit., c. 8. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

cogitare non possem. Ita fit ut omnis, qui corporalia cogitat, sive ipse aliquid confingat, sive audiat, aut legat vel præterita narrantem, vel futura prænuntiantem, ad memoriam suam recurrat, et ibi reperiat modum atque mensuram omnium formarum, quas cogitans intuetur. Nam neque colorem quem nunquam vidit, neque figuram corporis, nec sonum quem nunquam audivit, nec saporem quem nunquam gustavit, nec odorem quem nunquam olfecit, nec ullam contrectationem corporis quam nunquam sensit, potest quisquam omnino cogitare.

At [1] enim, si non meminimus nisi quod sensimus, neque cogitamus, nisi quod meminimus; cur plerumque falsa cogitamus, cùm ea quæ sensimus non utique falsò meminerimus : nisi quia voluntas illa, quam conjunctricem ac separatricem hujuscemodi rerum jam, quantum potui, demonstrare curavi, formandam cogitantis aciem per abscondita memoriæ ducit, ut libitum est, et ad cogitanda ea, quæ non meminimus, ex eis quæ meminimus, aliud hinc, aliud inde, ut sumat impellit; quæ in unam visionem coeuntia faciunt aliquid, quod ideo falsum dicatur, quia vel non est foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur expressum, cum tale nihil nos sensisse meminimus? Quis enim vidit cycnum nigrum? Et propterea nemo meminit. Cogitare tamen quis non potest? Facile est enim illam figuram, quam videndo cognovimus nigro colore perfundere, quem nihilominus in aliis corporibus vidimus. Et quia utrumque sensimus, utrumque meminimus. Nec avem quadrupedem memini, quia non vidi. Sed phantasiam talem facillimè intueor, dum alicui formæ volatili, qualem vidi, adjungo alios duos pedes, quales itidem vidi. Quapropter, dum conjuncta cogitamus, quæ singillatim sensa meminimus, videmur non id quod meminimus cogitare; cum id agamus moderante memoria, unde sumimus omnia, quæ multipliciter ac variè pro nostra voluntate componimus. Nam neque ipsas magnitudines corporum, quas nunquam vidimus, sine ope memoriæ cogitamus. Quantum

[1] Lib. 11, de Trinit., cap. 10.

enim spatii solet occupare per magnitudinem mundi noster obtutus, in tantum extendimus quaslibet corporum moles, cùm eas maximas cogitamus.

Ita [1] nulla corporalia, nisi aut ea quæ meminimus, aut ex iis quæ meminimus cogitamus. *Et* [2] ista *quidem* aut præsentia sensu corporis tangimus, aut imagines absentium fixas in memoria recordamur, aut ex earum similitudine talia fingimus, qualia nos ipsi, si vellemus atque possemus, etiam opere moliremur.

CAPUT LXXVI.

ALIUD ESSE QUOD RECONDITUM MEMORIA TENET, ET ALIUD QUOD INDE IN COGITATIONE RECORDANTIS EXPRIMITUR.

Hinc *autem* [3] adverti aliquantò manifestius potest, aliud esse quod reconditum memoria tenet, et aliud quod inde in cogitatione recordantis exprimitur ; [4] quia meminisse non possumus corporum species, nisi tot quot sensimus, quantas sensimus, et sicut sensimus ; ex corporis enim sensu eas in memoriam combibit animus. Visiones autem illæ cogitationum ex iis quidem rebus, quæ sunt in memoria, sed tamen innumerabiliter atque omninò infinite multiplicantur atque variantur. Unum quippe solem memini, quia sicuti est, unum vidi. Si volvero autem, duos cogito, vel tres, vel quotquot volo : sed ex eadem memoria, qua unum memini, formatur acies multos cogitantis. Et tantum memini, quantum vidi. Si enim majorem vel minorem memini, quam vidi, jam non memini quod vidi, et ideò nec memini. Quia verò memini , tantum memini quantum vidi : vel majorem tamen pro voluntate cogito, vel minorem. Et ita memini, ut vidi. Cogito autem sicut volo currentem, et ubi volo stantem, unde volo et quò volo venientem. Quadrum etiam mihi cogitare in promptu est, cùm meminerim rotundum ; et cujuslibet coloris, cùm solem viridem nunquam viderim, ideò nec meminerim, atque ut solem, ità cætera.

[1] Ibid. — [2] Ibid., lib. 9, cap. 6. — [3] Ibid., lib. 11, cap. 8. — [4] Ibid.

CAPUT LXXVII.

QUA RATIONE ALIQUID IN MEMORIA REMANEAT, SENSIM DELEATUR, ET IN COGITATIONEM OCCASIONE SIMILIUM RECURRAT.

Recurrit [1] autem in cogitationem occasione similium motus animi non extinctus ; et hæc est quæ dicitur recordatio. [2] Animadvertere *quippe* te opus est, et in progressoribus, *ut superiùs appellati sunt,* numeris eamdem animam corpus movere, vel ad corpus moveri ; et in occursoribus hanc eamdem passionibus ejus ire obviam ; et in recordabilibus istam ipsam, donec quodammodo detumescant, ipsis quasi fluctuare motibus.

Progressores [3] movendis corporibus agunt sensibiles temporum pulchritudines : atque ita sonantibus obvii etiam occursores numeri fabricantur ; quos omnes impetus suos eadem anima excipiens, quasi multiplicat in seipsa, et recordabiles facit : quæ vis ejus memoria dicitur, magnum quoddam adjutorium in hujus vitæ negotiosissimis actibus. Hæc igitur memoria quæcumque de motibus animi tenet, qui adversus passiones corporis acti sunt, φαντασίαι græcè vocantur. Nec invenio quid eas latinè malim vocare.

Motus [4] *igitur* animæ servans impetum suum, et nondum exstinctus, in memoria esse dicitur : et cum in aliud intenditur animus, quasi non inest animo pristinus motus, et revera minor fit nisi antequam intercidat, quadam similium vicinitate renovetur. *Sicut* [5] cum diutiùs aures pulsat sonus nullis distinctus articulis, et ab aliquo tandem fine, conjunctus alter duplo, aut etiam tanto editur spatio ; attentione in succedentem perpetuò sonum, motus ille animi, qui attentione ad præteritum et elapsum sonum, cum transibat est factus, reprimitur, id est, non ita remanet in memoria.

Ita [6] oblivione plures *etiam* simul numeri, quamvis

[1] Lib. 6, de Musica, cap. 8. — [2] Ibid., cap. 9. — [3] Ibid , cap. 11. — [4] Ibid., cap. 5. — [5] Ibid., cap. 8. — [6] Ibid., cap. 4.

paulatim, absterguntur. Nam nec ipsi aliquandiu manent integri. Quod enim post annum, verbi gratia, in memoria non invenitur, etiam post unum diem jam minus est : sed non sentitur ista diminutio. Non tamen falsò ex eo conjicitur, quia non utique pridie quàm compleatur annus repentè totum evolat. Unde intelligi datur, ab illo tempore, quo inhæret memoriæ, incipere labi. Hinc est illud quod plerumque dicimus : Tenuiter memini, cum aliquid post tempus recordando repetimus, antequam planè totum excidat.

Quadam [1] *autem* similium vicinitate renovantur, [2] qui certè vivaciores sunt, cùm recordabilibus atque jam sedatioribus quodam interiore lumine comparantur ; [3] eosque tanquam è latebris suis in manifestum producunt, et quasi redintegratos, qui jam abolebantur, rursum recordantur : [4] ut *inter occursores et recordabiles numeros* hoc intersit, quod occursores, ut judicentur, quasi recentia eorum fugientium vestigia offert memoria; recordabiles autem quando eos audiendo judicamus, quasi eadem vestigia occursoribus transeuntibus revirescunt. *Ita* [5] numeri recordabiles, ad quos tanquam repositos post alias intentiones revocamur recordatione, in memoria vivere inveniuntur.

CAPUT LXXVIII.

AFFECTIONES ETIAM ANIMI, PER SUI SCILICET ALIQUAS NOTIONES ET VESTIGIA QUÆDAM AB IPSIS TRANSEUNTIBUS RELICTA, IN MEMORIA INVENIRI.

Affectiones [6] quoque animi mei eadem memoria continet ; non illo modo quo eas habet ipse animus cùm patitur eas, sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriæ. Nam et lætatum me fuisse reminiscor non lætus, et tristitiam meam præteritam recordor non tristis, et me aliquando timuisse recolo sine timore, et pristinæ cupiditatis sine cupiditate sum memor ; aliquando è contrario tristitiam meam transactam lætus reminiscor, et tristis lætitiam meam.

[1] Lib. 6, de Musica, cap. 5. — [2] Ibid., cap. 8. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 10, Confess., cap. 14.

Hìc[1] verò cum animus sit etiam ipsa memoria : nam et cum mandamus aliquid ut memoriter habeatur, dicimus : Vide ut illud in animo habeas : et cum obliviscimur, dicimus : Non fuit in animo; et : Elapsum est animo, ipsam memoriam vocantes animum. Cum ergo ita sit, quid est hoc quod cum tristitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiam, et memoria tristitiam : lætusque est animus ex eo quòd inest ei tristitia, tristis non est? Num fortè non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria quasi venter est animi, lætitia verò atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus : cum memoriæ commendantur, quasi trajecta in ventrem, recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est hæc illis similia putare : nec tamen sunt omnimodo dissimilia. Sed ecce de memoria profero, cum dico quatuor esse perturbationes animi; cupiditatem, lætitiam, metum, tristitiam : et quicquid de his disputare potuero, dividendo singula per species sui cujusque generis, et definiendo; ibi invenio quid dicam atque inde profero : nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro; et antequam recolerentur à me et retractarentur, ibi erant; propterea inde per recordationem potuere depromi. Fortè ergo sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur à disputante, hoc est, à reminiscente, lætitiæ dulcedo vel amaritudo mœstitiæ? An in hoc dissimile est, quod non undique simile est? Quis enim talia volens loqueretur, si quoties tristitiam metumve nominamus, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, nisi in memoria nostra non tantùm sonos nominum secundum imagines impressas sensibus corporis, sed etiam rerum ipsarum notiones inveniremus; quas nulla janua carnis accepimus, sed eas ipse animus per experientiam passionum suarum sentiens memoriæ commendavit, aut ipsa sibi hæc etiam non commendata retinuit.

Sed[2] utrum per imagines, an non, quis facile dixerit?

[1] Lib. 10, Confess., cap. 14. — [2] Ibid., cap. 15.

Nomino quippe lapidem, nomino solem, cum res ipsæ non adsunt sensibus meis; in memoria sanè mea præsto sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest dum nihil dolet. Nisi tamen adesset imago ejus in memoria mea, nescirem quid dicerem : nec eum in disputando à voluptate discernerem. Nomino salutem corporis, cùm salvus sum corpore : adest mihi quidem res ipsa, verumtamen nisi et imago ejus inesset in memoria mea, nullo modo recordarer quid hujus nominis significaret sonus; nec ægrotantes agnoscerent salute nominata, quid esset dictum; nisi eadem imago vi memoriæ teneretur, quamvis ipsa res abesset à corpore.

In [1] memoria *igitur* per nescio quas notiones vel notationes *sunt* affectiones animi, quas et cum animus non patitur, memoria tenet (cum *tamen* in animo sit quicquid est in memoria); [2]quoniam si nullum in nobis vestigium *hujuscemodi affectio* transiens reliquerit, profectò nec in memoria nostra ejus aliquid habebimus, quò recurramus eam præteritam recordantes, *sicque* [3]non ipsam, sed ejus velut imaginarium vestigium in memoria reconditum, recordatione contuentes, *quod est* [4]rei præteritæ imaginatio in recordantis memoriâ derelicta. [5]Quæ enim præterierunt, non ipsa sunt, sed eorum quædam signa præteritorum, quibus visis vel auditis cognoscantur fuisse atque transisse. Quæ signa vel in locis sita sunt, sicut monumenta mortuorum, et quæcumque similia; vel in litteris fide dignis, sicut est omnis gravis et approbandæ auctoritatis historia; vel in animis eorum, qui ea jam noverunt.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 17. — [2] Lib. 14, de Trinit., cap. 3. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 8.

CAPUT LXXIX.

IPSAM MEMORIAM SIBI PER SEIPSAM ADESSE, NON PER IMAGINEM.

Num *autem*[1] et ipsa *memoria* per imaginem suam sibi adest ac non per seipsam? Nomino quippe memoriam et agnosco quod nomino. Et ubi agnosco nisi in ipsa memoria? [2]Nihil *enim* tam in memoria quàm ipsa memoria est; *sicque* [3]cum anima sit ipsa memoria, [4]ipsam in memoria talem *reperimus*, ut semper sui meminisse comprehendatur. [5]Neque enim adventitia sibi ipsa est, quasi ad seipsam quæ jam erat, venerit aliundè eadem ipsa quæ non erat : aut non aliunde venerit, sed in seipsa quæ jam erat, nata sit ea ipsa quæ non erat; sicut in mente, quæ jam erat, oritur fides, quæ non erat : aut post cognitionem sui recordando seipsam, velut in memoria sua constitutam videt, quasi non ibi fuerit antequam seipsam cognosceret; cùm profectò, ex quo esse cœpit, nunquam sui meminisse, nunquam se intelligere, nunquam se amare destiterit.

Sed [6] dicet aliquis : Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quæ sibi semper est præsens; memoria enim præteritorum est, non præsentium. Nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, intelligentiam, providentiam : memoriam scilicet præteritis, intelligentiam præsentibus, providentiam rebus tribuentes futuris, quam non habent certam, nisi præscii futurorum, quæ non est munus hominum, nisi detur desuper, ut Prophetis; unde Scriptura sapientiæ de hominibus aiens : Cogitationes, inquit, mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ, Memoria vero de præteritis, et intelligentia de præsentibus certa est, sed præsentibus utique incorporalibus rebus : nam corporales corporalium præsentes sunt aspectibus oculorum.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 15. — [2] Lib. 10, de Trinit., cap. 11. — [3] Lib. 10, Confess., cap. 14. — [4] Lib. 10, de Trinit., c. 12. — [5] Ibid., lib. 14, cap. 10. — [6] Ibid., cap. 11.

Sed [1] sicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli et recordari : sic in re præsenti quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda est, qua sibi præsto est, ut sua cogitatione possit intelligi.

CAPUT LXXX.

QUOMODO SIT OBLIVIO IN MEMORIA.

Quid *verò*, [2] cùm oblivionem nomino, atque itidem agnosco quod nomino? unde agnoscerem nisi meminissem? Non eumdem sonum nominis dico, sed rem quam significat : quam si oblitus essem; quid ille valeret sonus, agnoscere utique non valerem. Ergo cum memoriam memini, per seipsam sibi præsto est ipsa memoria. Cùm verò memini oblivionem, et memoria præsto est et oblivio; memoria, qua meminerim : oblivio, quam meminerim. Sed quid est oblivio, nisi privatio memoriæ? Quomodo ergo adest ut eam meminerim, quando cùm adest, meminisse non possum? At si quid meminimus, memoria retinemus : oblivionem autem nisi meminissemus, nequaquam possemus audito isto nomine rem, quæ illo significatur sono, agnoscere. Memoria retinetur oblivio. Adest ergo ne obliviscamur, quæ cùm adest obliviscimur. An ex hoc intelligitur non per seipsam inesse memoriæ cum eam meminimus, sed per imaginem suam? Quia si per seipsam præsto esset oblivio, non ut meminissemus, sed ut oblivisceremur efficeret. Et hoc quis tandem indagabit? quis comprehendet quomodo sit? Ego certè, Domine, laboro hìc, et laboro in meipso : factus sum mihi terra difficultatis et sudoris nimii. Neque enim nunc scrutamur plagas cœli, aut siderum intervalla demetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego sum qui memini, ego animus. Non ita mirum, si à me longè est, quicquid ego non sum. Quid autem propinquius meipso mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur à me, cùm ipsum

[1] Lib. 14, de Trinit., cap. 11. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 16.

me non dicam præter illam. Quid enim dicturus sum, quando mihi certum est meminisse me oblivionem? An dicturus sum non esse in memoria mea quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse oblivionem in memoria mea, ut non obliviscar? Utrumque absurdissimum est. Quid illud tertium? Quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri memoria mea, non ipsam oblivionem, cùm eam memini? Quo pacto et hoc dicam, quandoquidem cùm imprimitur rei cujusquam imago in memoria, prius necesse est ut adsit res ipsa, unde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginis memini, sic omnium locorum quibus interfui, sic facies hominum quos vidi, et cæterorum sensuum nuntiata, sic ipsius corporis salutem sive dolorem. Cum præsto essent ista, cepit ab eis imagines memoria quas intuerer præsentes, et retractarem animo, cum illa et absentia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam non per seipsam in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat, ut ejus imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam in memoria conscribebat, quando id etiam quod jam notatum invenit, præsentia sua delet oblivio? Et tamen quocumque modo, licet sit modus iste incomprehensibilis et inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus sum, qua id, quod meminerimus, obruitur. [1] Quod *quidem* si fuerit omnimoda oblivione deletum, [2] hoc nec amissum quærere poterimus, quod *scilicet* omnino obliti fuerimus.

CAPUT LXXXI.

ILLUD INVENIENDI SEU REMINISCENDI NEC FACILITATEM NEC IPSAM QUOQUE VOLUNTATEM NOBIS INESSE POSSE, QUOD OBLIVIONE PENITUS DELETUM SIT, SEU QUOD È MEMORIA PENITUS EXCIDERIT.

Quomodo *enim* [3] jam *aliquid* inveniam, si memor non sum *ejus?* [4] Perdiderat mulier drachmam, et quæsivit eam cum lucerna, et nisi memor ejus esset, non invenisset eam. Cum enim esset inventa, unde sciret utrum ipsa esset, si

[1] L. 12, de Trinit., c. 14. — [2] L. 10, Conf., c. 19. — [3] Ib., c. 17. — [4] Ib. c. 18.

memor ejus non esset? Multa memini me perdita quæsisse atque invenisse. Inde istud scio, quia cum quærerem aliquid eorum, et diceretur mihi : Num fortè hoc est, num fortè illud? tamdiu dicebam : Non est, donec id offerretur quod quærebam : cujus nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus et invenimus. Verumtamen, si fortè aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile, tenetur intus imago ejus, et quæritur donec reddatur aspectui: quod cùm inventum fuerit, ex imagine quæ intus est recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus, nec agnoscere possumus, si non meminimus. Sed hoc perierat quidem oculis, memoriâ tenebatur.

Quid [1] cum memoria perdit aliquid, sicut fit cum obliviscimur, et quærimus ut recordemur? ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio fortè offeratur, respuimus donec illud occurrat quod quærimus: et cum occurrerit, dicimus : Hoc est, quod non diceremus nisi agnosceremus, nec agnosceremus nisi meminissemus. Certè ergo obliti fueramus. An non totum exciderat, sed ex parte qua tenebatur pars alia quærebatur: quia sentiebat se memoria non simul volvere quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi quod deerat flagitabat? Tanquam si homo notus, sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen ejus obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit non connectitur : quia non cum illo cogitari consuevit; ideoque respuitur donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fuerimus.

[1] Lib. 10, Confess., cap. 19.

Atque adeo[1] quod quisque penitus obliviscitur, nec commoneri ejus utique potest.

De[2] visibilibus rebus ad hanc rem *iterum* sumamus exemplum. Dicit tibi quispiam quem non recognoscis: Nosti me: et ut commoneat, dicit ubi, quando, quomodo tibi innotuerit: omnibusque adhibitis signis, quibus in memoriam revoceris, si non recognoscis, ita jam oblitus es, ut omnis illa notitia penitus deleta sit animo; nihilque aliud restat, nisi ut credas ei qui tibi hoc dicit, quod aliquando eum noveras: aut nec hoc quidem, si fide dignus tibi esse qui loquitur non videtur. Si autem reminisceris, profectò redis in memoriam tuam, et in ea invenis quod non fuerat penitus oblivione deletum.

Illud[3] *etiam, hoc loco,* videndum est, non esse posse voluntatem reminiscendi, nisi vel totum, vel aliquid rei ejus, quam reminisci volumus, in penetralibus memoriæ teneamus. Quod enim omnimodo et omni ex parte obliti fuerimus, nec reminiscendi voluntas exoritur; quoniam quidquid recordari volumus, recordati jam sumus in memoria nostra esse vel fuisse. Verbi gratia, si recordari volo quid heri cœnaverim, aut recordatus jam sum cœnasse me: aut si et hoc nondum, certè circa ipsum tempus aliquid recordatus sum: si nihil aliud, ipsum saltem hesternum diem et ejus eam partem qua cœnari solet, et quid sit cœnare. Nam si nihil tale recordatus essem, quid heri cœnaverim, recordari velle non possem. Unde intelligi potest, voluntatem reminiscendi ab iis quidem rebus, quæ memoria continentur, procedere, adjunctis simul eis, quæ inde per recordationem cernendo exprimuntur, id est, ex copulatione rei cujusdam quam recordati sumus, et visionis quæ inde facta est in acie cogitantis, cum recordati sumus. Sed ipsa quæ utrumque copulat voluntas, requirit et aliud, quod quasi vicinum est atque contiguum recordanti.

[1] Lib. 14, de Trinit., c. 12. — [2] Ibid, cap. 13. — [3] Ibid., lib. 11, cap. 7.

CAPUT LXXXII.

ALIUD ESSE REM ALIQUAM NOSSE, ID EST, MEMORIA PRÆSENTEM RETINERE; ALIUD VERO IPSAM COGITARE SEU ACTU CONSPICERE.

Eis [1] autem repertis, quæ memoriæ præsto fuerant, sed non cogitabantur, cogitatio nostra formatur. [2] Aliud *enim* est rem quamque non nosse *seu* non *meminisse*, aliud non cogitare ; fierique potest ut noverit *seu meminerit* homo aliquid quod non cogitat, quando aliunde, non inde cogitat: *sicut* duarum vel plurium disciplinarum peritus, quando unam cogitat, aliam vel alias etiam si non cogitat, novit tamen. Sed numquid rectè possumus dicere: Iste musicus novit quidem musicam, sed nunc eam non intelligit, quia eam non cogitat: intelligit autem nunc geometriam, hanc enim nunc cogitat? Absurda est, quantum apparet, ista sententia. Quid etiam illa si dicamus: Iste musicus amat quidem musicam; sed nunc eam non amat, quando eam non cogitat: amat autem nunc geometriam, quoniam nunc ipsam cogitat: nonne similiter absurda est? Rectissimè verò dicimus: Iste quem perspicis de geometria disputantem, etiam perfectus est musicus; nam et meminit disciplinæ ejus, et intelligit eam et diligit: sed quamvis eam noverit et amet, nunc illam non cogitat, quoniam geometriam, de qua disputat, cogitat. [3] Aut *igitur* est aliquid in animo, quod in præsenti cogitatione non est, aut non est in erudito animo ars musica, cum de sola geometrica cogitat. Hoc autem falsum est. Illud igitur verum.

Hinc [4] admonemur esse nobis in abdito mentis quarumdam rerum quasdam notitias, et tunc quodammodo procedere in medium, atque in conspectu mentis velut apertiùs constitui, quando cogitantur. Sicut [5] multarum disciplinarum peritus ea quæ novit, ejus memoria continentur; nec est inde

[1] Ibid., lib. 14, cap. 7. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Immort. animæ, cap. 4. — [4] Lib. 14, de Trinit. cap. 7. — [5] Ibid., cap. 6.

aliquid in conspectu mentis ejus, nisi unde cogitat. Cætera in arcana quadam notitia sunt recondita, quæ memoria nuncupatur.

CAPUT LXXXIII.

COGNITIONEM, NOTITIAM, SEU VISIONEM, QUA RES MEMORIÆ PRÆSENS CONSPICITUR, IPSUM ESSE VERBUM INTERIUS, QUOD EATENUS REI NOTÆ SEU IN MEMORIA POSITÆ PROPTEREA SIMILE DICITUR, QUOD PER IPSUM ATTINGITUR SEU COGNOSCITUR OBJECTUM SICUTI EST.

Ex [1]iis autem, quæ memoriâ continentur, recordantis acies informatur; [2]atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus; nec à nobis nascendo discedit. [3]Nam etsi verba non sonent, in corde suo dicit utique qui cogitat. Unde illud est in libro Sapientiæ : *Dixerunt apud se cogitantes non rectè.* Exposuit enim quid sit, *dixerunt apud se*, cùm addidit, *cogitantes.* Huic simile est in Evangelio, quod quidam Scribæ cum audissent à Domino dictum paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*; *dixerunt intra se* : *Hic blasphemat.* Quid est enim, *dixerunt intra se*, nisi cogitando? Denique sequitur : *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit* : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Sic Matthæus. Lucas autem hoc idem narrat : *Cœperunt cogitare Scribæ et Pharisæi, dicentes* : *Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut cognovit autem cogitationes eorum Jesus, respondens dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris?* Quale est in libro Sapientiæ : *Dixerunt cogitantes* : tale hìc est, *Cogitaverunt dicentes.* Et illic enim et hìc ostenditur intra se atque in corde suo dicere, id est, cogitando dicere. Dixerunt quippe intra se, et dictum est eis : *Quid cogitatis?* Et de illo divite cujus uberes fructus ager attulit, ait ipse Dominus : *Et cogitabat intra se, dicens.* Quædam ergo cogitationes locutiones sunt cordis, ubi et os esse Dominus osten-

[1] Lib. 14, de Trinit., c. 7. — [2] Ibid., lib. 9, c. 7. — [3] Ibid., lib. 15, c. 10.

dit, cùm ait : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Una sententia duo quædam hominis ora complexus est, unum corporis, alterum cordis. Nam utique unde illi hominem putaverant inquinari, in os intrat corporis. Unde autem Dominus dixit inquinari hominem, de cordis ore procedit. Ita quippe exposuit ipse quod dixerat. Nam paulò post de hac re discipulis suis : *Adhuc et vos*, inquit, *sine intellectu estis ? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur ?* Hic certè apertissimè demonstravit os corporis. At in eo quod sequitur os cordis ostendens : *Quæ autem*, inquit, *procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ*, etc. Quid hac expositione lucidius ? Nec tamen, quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideo non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt. Foris enim cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio : intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Sicut auditio et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis , in animo autem non est aliud atque aliud videre et audire : ac per hoc, cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est, cogitationes visas dixit à Domino sanctum Evangelium non auditas : *Dixerunt*, inquit, *intra se* : *Hic blasphemat.* Deinde subjunxit : *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum.* Vidit ergo quod dixerunt. Vidit enim cogitatione sua cogitationes eorum, quas illi solos se putabant videre. Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solùm antequam sonet, verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur : hoc *verbum* est, quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet quæ linguæ appellantur gentium, quarum nostra lingua latina est. [1]Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, *seu quam habemus in memoria repositam,* verbum est quod in corde dicimus ; quod nec græcum est, nec latinum, nec alicujus alterius. Sed cum id opus est in eorum, quibus loquimur, perferre notitiam, aliquod signum, quo significetur, assumitur.

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 10.

Inde [1]*verò* formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens, ut quomodo res quæque scitur, *id est, qualis in memoria est*, sic etiam cogitetur. *Sic enim* [2]est verbum simillimum rei notæ, *seu in memoria repositæ*, de qua gignitur et imago ejus, [3]quando *nempe* scientia, *id est, res nota* quæ est in animo, intus dicitur *seu cogitatur* sicuti est. [4]Quando *enim* quod in notitia, *seu in memoria*, est, hoc est in verbo : tunc est verum verbum et veritas, qualis expectatur ab homine ut, quod est in ista, hoc sit et in illo. Hìc agnoscitur, *Est, est*; *Non, non.* Sic accedit, quantum potest, ista similitudo imaginis factæ ad illam similitudinem imaginis natæ, qua Deus Filius Patri per omnia substantialiter similis prædicatur. [5]Necesse est enim cum verum loquimur, id est, cum *id quod* scimus loquimur, ex ipsa scientia, *seu re notâ*, quam memoria tenemus, nascatur verbum quod ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia de qua nascitur; *quatenus nimirum, ut jam dictum est*, [6]quod scimus loquimur, *seu* [7]quod est in memoria, cernitur *et* [8]in conspectu mentis vel cogitationis est.

CAPUT LXXXIV.

ID QUOD RECORDANDO COGITAMUS, SEU COGITATIONE, QUAM DIXIMUS VERBUM, INTUS APUD NOS CERNIMUS, CUM DE ALIQUO ABSENTI CORPORE COGITAMUS, EAMDEM ESSE PRORSUS SPECIEM SEU IMAGINEM VISI CORPORIS, QUAM PER CORPORIS SENSUM ACCEPTAM ET IN MEMORIA RECONDITAM ANIMA TENET.

Cum [8] enim animus, *verbi gratia*, cogitat speciem visi corporis, [9]ad memoriam redimus et illic invenimus eamdem speciem, [10]quam per corporis sensum combibit anima. [11]Nomino imaginem solis, et hæc adest in memoria mea; neque enim imaginem imaginis ejus, sed ipsam recolo. Ipsa mihi reminiscenti præsto est. [12]Habet etiam *mundus* ipse in

[1] Lib. 15, de Trinit., cap. 15. — [2] Ibid., cap. 12. — [3] Ibid., cap. 11. — [4] Ibid. — [5] Ibid, cap. 10. — [6] Ibid., cap. 12. — [7] Ibid., lib. 11, cap. 3. — [8] Ibid., lib. 14, cap. 6. — [9] Ibid., lib. 11, cap. 3. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Lib. 10, Confess., c. 15. — [13] Lib. 13, de Trinit., cap. 1.

memoria nostra imaginem suam, ad quam recurrimus, cum eum vel septi parietibus, vel etiam in tenebris cogitamus, [1] ejusque imaginarium vestigium in memoria reconditum recordatione contuemur. *Ita denique* [2] corpora omnia, quæ vidimus oculis corporeis, per ipsarum imagines, quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus; [3] quorum *nempe* sensorum imagines infixæ in memoria recordando revisuntur. *Ea quippe* memoriæ commendamus, quò recurramus cum voluerimus, ut illic ea, vel potiùs qualescumque imagines eorum, quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus. Imaginem *enim* rei, quæ foris visa est, quodammodo raptam et in memoria reconditam, cogitatio, cum ad eam convertitur, invenit. *Atque ita* [4] gignitur verbum verum, [5] id est, de rebus notis exortum.

CAPUT LXXXV.

RES INTELLIGIBILES, QUALIS EST IPSA VERITAS, A NOBIS ITA COGITARI, UT NULLAS SUI HABEANT A SE DISTINCTAS IMAGINES IN ANIMA, QUÆ TUNC COGNOSCANTUR; QUAMVIS INTERIM EARUM VERBUM, SEU COGITATIO, QUA CERNUNTUR, EARUM SIMILITUDO PROINDEQUE IMAGO IDEO POSSIT APPELLARI, QUOD EA SICUTI SUNT A NOBIS INTELLIGENDO CERNANTUR.

Ita enim, ut supra jam diximus, [6] omnis secundùm speciem notitia similis est ei rei, quam novit; [7] estque eadem notitia verbum ejus.

Quocirca [8] in quantum Deum novimus, similes sumus ([9] similes *enim* ei erimus, quando videbimus eum sicuti est), [10] sed non ad æqualitatem similes, quia non tantùm eum novimus, quantum ipse se. *Proinde* [11] cum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam novit, hoc est, cujus notitia est: [12] cum Deum novimus, [13] fit aliqua Dei, *seu veritatis æternæ*, similitudo (*scilicet formalis*) illa notitia. [14] Illud

[1] Ibid., lib. 14, cap. 3. — [2] Ibid., lib. 12, cap. 1. — [3] Ibid. — [4] Ibid., lib. 15, cap. 12. — [5] Ibid. — [6] Ibid., lib. 9, cap. 10. — [7] Ibid., cap. 11. — [8] Ibid. — [9] Ibid., lib. 15, cap. 16. — [10] Ibid., lib. 9, cap. 11. — [11] Ibid. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Lib. 12, de Genesi ad lit. imperf., cap. 6.

enim visionis intellectualis genus, quo *veritas* intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines (*expressas scilicet ac objectivas*) sui similes, quæ non sint quod ipsæ; *sicut* [1] intueor in animo meo Alexandriæ, *verbi gratia*, imaginem tanquam picturam ejus. Cum enim, *exempli causa*, dico, et sciens dico, justus est animus qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit; [2] præsens quiddam cerno et cerno apud me, [3] illud*que tunc animus* videt, veritas est interior præsens animo, qui eam valet intueri, *corporibus* [4] planè notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem. [5] Quid enim tam cognitioni adest, quam quod menti adest.

Hinc est quod cum [6] homo, qui creditur justus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit : ipsa forma et veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quicquid enim tale aliquid perspexeris, ipsa est. Et non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

CAPUT LXXXVI.

DE APPETITU SENSITIVO EJUSQUE VARIIS AFFECTIBUS, QUI ET PASSIONES APPELLARI SOLENT, HOMINI CUM BRUTIS IPSIS COMMUNES.

Sed [7] *et bestiæ inesse manifestum est* interiorem quemdam sensum, [8] quo ea, quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit. [9] Ille autem intus in ipsa anima *est*, quo non solum ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæque cæteris capiuntur corporis sensibus (*non autem rationes insensatas, quas omnino nullas percipiunt*), vel appetunt animalia delectata (*nempe secundùm corporis affectionem*) et assumunt, vel offensa

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 8. — [5] Ibid., lib. 10, c. 7. — [6] Ibid., lib. 8, cap. 6. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., c. 3. — [8] Ibid. — [9] Ibid.

(*secundum ejusdem scilicet corporis affectionem*) devitant et respuunt. [1]Ad illum enim pertinet voluptas et dolor, cum *nempe* vel leniter vel asperè corpus attingitur. *Ita quippe* [2]possunt et pecora in corporalibus appetere conducibilia et fugere incommoda; *quoniam* [3]appetere voluptates corporis, et vitare molestias ferinæ vitæ omnis actio est.

De [4] his animi motibus *nunc est disserendum*, [5]qui *scilicet* accidunt inferioribus animi partibus, [6]quas communes cum pecoribus habemus; *quibus* [7]ex carne afficitur anima, ut cupiat, metuat, lætetur et tristetur; *et quibus* [8]id quod animat et regit, *id est, corpus* etiam cum vehementius movetur, vehementius exagitat. [9]Id *enim, ut supra jam dictum est, deprehendimus* usque ad nostros exire sensus tam hebetes tamque tardos cum sint majoris animi motus, velut cum irascimur, aut tristes, aut gaudentes sumus. *Tunc enim* [10]corporum pallor, rubor, tremor aliquando habet causas ab anima, [11]cum vel timore turbatur, vel pudore confunditur, vel irascitur, vel amat.

Illos animi motus [12]Græci πάθη, nostri autem quidam, sicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam verò de Græco expressiùs passiones vocant; [13]quia verbum, de verbo πάθος, passio diceretur, motus animi contra rationem. [14]Si quid *tamen* in pecore simile apparet non est perturbatio, quia non est contra rationem, qua pecora carent. In hominibus autem ut sint istæ perturbationes facit hoc stultitia vel miseria. Nondum enim sumus in illa perfectione sapientiæ beati, quæ nobis ab hac mortalitate liberatis in fine promittitur.

Jam verò [15]dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, lætitiam, metum, tristitiam. [16]Nam et lætatum me fuisse reminiscor, et tristitiam meam recordor, et me aliquid timuisse recolo, et pristinæ cupiditatis sum memor. [17]Om-

[1]Ibid., cap. 5. — [2]Lib. 12, de Trinit., cap. 2. — [3]Lib. 1, de Lib. arb., c. 8. — [4]Lib. 9, de Civit. Dei, c. 4. — [5]Ibid. — [6]Lib. 12, de Trinit., c. 3. — [7]Lib. 9, de Civit. Dei, cap. 4. — [8]Lib. 12, de Genesi ad litt., c. 19. — [9]Epist. 115. — [10]Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 19. — [11]Ibid. — [12]L. 9, de Civ. Dei, c. 4. — [13]Ibid., lib. 8, cap. 17. — [14]Ib. — [15]Lib. 10, Confess., cap. 14. — [16]Ibid., cap. 13. — [17]Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 3.

nesque illas notissimas quatuor animi perturbationes, cupiditatem, timorem, lætitiam, tristitiam, [1] volens intelligi ex corpore accidere *Virgilius* dicit : *Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque.*

Porro [2] voluntas *seu appetitus* est in omnibus *istis motibus* : imò omnes nihil aliud quàm voluntates *seu appetitûs operationes* sunt. Nam quid est cupiditas et lætitia nisi voluntas in eorum consensionem quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his quæ nolumus? Sed cum consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas; cum autem consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur. Itemque cum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis voluntas metus est : cum autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est. Et omnino pro varietate rerum, quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur, vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur et vertitur. [3] Amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est : idque si acciderit sentiens, tristitia est.

Quid *etiam* [4] in pecore simile apparet. [5] Possunt enim et pecora et sentire per corporis sensus extrinsecùs corporalia, et ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere, *sicut jam supra diximus,* conducibilia, fugere incommoda : *quanquam in ipsis* [6] non est perturbatio, quia non est contra rationem, qua pecora carent.

[1] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 3. — [2] Ibid., cap. 6. — [3] Ibid., cap. 7. — [4] Ibid., lib. 8, cap. 17. — [5] Lib. 12, de Trin., cap. 2. — [6] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 17.

CAPUT LXXXVII.

DE FACULTATE MOTRICE, QUA SCILICET ANIMA SENSUS PERCEPTIONE SUPPOSITA, CORPUS SUUM, PER SUBTILES QUOSDAM SPIRITUS INCORPOREÆ NATURÆ VICINIORES, IMPERANDO MOVET.

Sed et [1] de loco in locum congruis motibus agitantur, *seu* [2] de locis propriis moventur nisibus suis.

At [3] non aliter bestia moveret se vel appetendo aliquid vel fugiendo, nisi sentiret. [4] Sicut *enim* prius esse debet nosse quàm facere ; ita prius est sentire quàm movere.

Proinde [5] pars cerebri anterior *est,* unde sensus omnes distribuuntur. [6] Anterior quippe pars posteriori meritò præponitur ; quia et ista ducit, illa sequitur ; et ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem. [7] Et quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est ; agere autem intervalla temporum spontaneo motu, nisi per adjutorium memoriæ, non valemus : ideò tres tanquam ventriculi cerebri demonstrantur. Unus anterior ad faciem, à quo sensus omnis : alter posterior ad cervicem, à quo motus omnis : tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant : ne cum sensum motus sequitur, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod facit oblitus. Hæc *medici* certis indiciis probata esse dicunt : quando et ipsæ partes aliquo affectæ morbo vel vitio, cum defecissent officia vel sentiendi vel movendi membra, vel motus corporis reminiscendi, satis quid valerent singulæ declararunt, eisque adhibita curatio cui rei reparandæ profecerit exploratum est.

Sed anima in istis, *ut alibi jam dictum est,* tanquam in organis agit. Nihil horum est ipsa ; sed vivificat et regit omnia, et per hæc consulit et huic vitæ, in qua factus est

[1] Lib. 2, de Genesi ad litt., c. 13. — [2] Ibid. — [3] L. 2, de Lib. arb., cap. 4. — [4] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 15. — [5] Ibid., cap. 17. — [6] Ibid. — [7] Ibid., cap. 18.

homo in animam vivam; *dum nempe* [1] crassioris corporis sui materiam, hoc est, humidam quamdam terram, quæ in carnis versa est qualitatem, per subtilioris naturam corporis administrat, id est, per lucem et aerem. Nullus enim sine his duobus vel sensus in corpore est, vel ab anima spontaneus corporis motus.

Anima [2] ergo, quoniam res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinum est, sicuti est ignis, vel potiùs lux et aer, primitus agit ; et per hæc cætera, quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor et terra, unde carnis corpulentia solidatur, quæ magis sunt ad patiendum subdita, quàm prædita ad faciendum ; *id est*, [3] sicut anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit, ita per lucem et aerem, quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quàm patiendi corpulentiam, sicut humor et terra, tanquam per ea, quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat. Et cum afflictiones corporis molestè sentit, actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, et hæc offensio dolor vocatur. Et aer qui nervis infusus est, paret voluntati ut membra moveat.

Ita enim [4] imperat animus corpori, et paretur statim. [5] Imperat animus ut moveatur manus, et tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium, *dum* [6] obtemperat corpus etiam tenuissimæ voluntati animæ, ut ad nutum membra moveantur. *Unde* [7] si quando evulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu, quia volui feci ; [8] ubi *tamen* non hoc erat velle quod posse. [9] Potui enim velle et non facere, si mobilitas membrorum non obsequeretur : *sicut* [10] aliquando volunt quædam homines et non valent, si aut ipsa membra non habeant ; aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint ; *quanquam et tunc agitent* [11] istas corporei cœli corporeas quasdam particulas, id est, lucis et aeris (*quas quidem* [12] utrum Deus de hoc circumfuso et

[1] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 19. — [4] Lib. 8, Confess., c. 9. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 8. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Lib. 7, de Genesi ad lit., cap. 20. — [12] Ibid.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

superfuso cœlo corpori viventi miscuerit aut adjunxerit, an et ipsas de limo sicut carnem *primitus* fecerit *Deus*, non est ad rem pertinens quæstio), [1] quæ primæ excipiunt nutus animæ vivificantis, eò quod incorporeæ naturæ propinquiores *sunt* quam humor et terra, ut ad earum proximum ministerium tota moles administretur *ab anima, quæ* [2] dum hæc ejus tanquam ministeria vitio quolibet seu perturbatione omnimodo deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi et ministris movendi, tanquam non habens cur adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, ut in morte assolet, turbatur ejus intentio tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. Et in quibus rebus turbatur, inde cognoscitur quæ pars ministeriorum in causa sit, ut si potuerit, medicina succurrat.

CAPUT LXXXVIII.

UNDE INCIPIAT RATIO, PER QUAM A BRUTIS HOMO DISTINGUITUR ; ET QUÆ NON CORPORE SOLUM, SED SENSUALI ETIAM VITA, LONGÈ PRÆSTANTIOR CENSENDA EST.

Age [3] nunc, videamus ubi sit quasi quoddam hominis exterioris interiorisque confinium. Quicquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè adhuc dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adjuncta quadam vita sua, qua compages corporis et omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda. Quorum sensorum imagines infixæ in memoria, cum recordando revisuntur, res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus à pecore, nisi quod figura corporis non proni, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est, animo, similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione dis-

[1] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 20. — [2] Ibid., cap. 19. — [3] Lib. 12, de Trinit., cap. 1.

tamus. Non ut in eo, quæ sublimia sunt in corporibus, animum projiciamus. Nam vel in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum ; sed sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, id est, ad cœlestia naturaliter erectum est ; sic animus qui substantia spiritalis est, ad ea quæ sunt in spiritalibus excelsa, erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ.

Possunt [1] autem et pecora, *sicut supra jam ostensum est,* et sentire per corporis sensus extrinsecùs corporalia, et ea memoriæ fixa reminisci, atque in eis appetere conducibilia, fugere incommoda : verùm ea notare, ac non solum naturaliter rapta, sed etiam de industria memoriæ commendata retinere, et in oblivionem jamjamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere ; ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria, cogitatio formatur, sic et hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur : fictas etiam visiones, hinc atque inde recordata quælibet sumendo, et quasi assuendo componere, inspicere quemadmodum in hoc rerum genere, quæ verisimilia sunt discernantur à veris, non spiritalibus, sed ipsis corporalibus : hæc atque hujusmodi quamvis in sensibilibus atque in eis, quæ inde animus per sensum corporis traxit, agantur atque versentur, non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusque communia.

Ascendentibus [2] itaque introrsus quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, unde incipit aliud occurrere, quod non sit nobis commune cum bestiis, inde incipit ratio, ubi homo interior jam possit agnosci. [3] Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam, qua ipsum corpus animatur atque vegetatur (quæ duo etiam in bestiis agnoscimus), et tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum.

Bestia [4] enim ratione non utitur ; [5] pecora quippe carent

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 2. — [2] Ibid., cap. 8. — [3] Lib. 2 , de Lib. arb., cap. 6. — [4] Lib. de Quantit. animæ, c. 26. — [5] Ibid., lib. 1, cap. 7.

ratione, *quod ipse* [1] *si fortè* nescire te dicis, longam sermocinationem moves.

Videmus [2] *quidem* habere nos non solùm cum pecoribus, sed etiam cum arbustis et stirpibus multa communia : namque alimentum corporis sumere, crescere, gignere, vigere, arboribus quoque tributum videmus, quæ infima quadam vita continentur : videre autem atque audire, et olfactu, et gustu, et tactu corporalia sentire posse bestias, et acriùs plerasque quàm nos, cernimus et fatemur. Adde vires, et valentiam firmitatemque membrorum, et celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus *licet* quasdam earum superamus, quibusdam æquamur, à nonnullis *tamen* etiam vincimur, [3] quæ *nempe* nos et acrimonia sensuum, et motu facillimo atque celerrimo, et valentia virium, et annosissima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis, et vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, cervis, avibus omnibus? Quis multum valendo leonibus, et elephantis? Quis diu vivendo serpentibus, qui etiam deposita tunica senectutem deponere, atque in juventam redire perhibentur?

Dic [4] *enim* mihi, cum sæpe viderimus bestias ab hominibus domitas, id est, non corpus bestiæ tantùm, sed et animam ita homini subjugatam, ut voluntati ejus sensu quodam et consuetudine serviat : utrum tibi ullo modo fieri posse videatur, ut bestia quælibet immanis vel feritate vel corpore, vel etiam sensu quolibet acerrima, pari vice sibi hominem subjugare conetur, cum corpus ejus, seu vi, seu clàm, multæ interimere valeant? Nullo *certè* modo istud fieri posse consentio. Sed item dic mihi, cum manifestum sit viribus cæterisque officiis corporis à plurimis bestiis hominem facilè superari, quænam res sit qua homo excellit, ut nulla ei bestiarum, ipse autem multis imperari possit? An fortè ipsa est quæ ratio vel intelligentia dici solet? Non *equidem* invenio aliud, quandoquidem in animo est id, quo belluis antecellimus : quæ si exanimes essent, dicerem nos

[1] Lib. de Quant. animæ, c. 26. — [2] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8. — [3] Lib. 8, de Civit. Dei, c. 15. — [4] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 7.

eo præstare, quod animam habemus. Nunc verò, cum et illa sint animalia, id quod eorum animis non inest ut subdantur nobis, inest autem nostris ut eis meliores simus, quoniam neque nihil, neque parvum aliquid esse cuivis apparet; quid aliud rectiùs quàm rationem vocaverim? Vide quàm facile fiat Deo adjuvante, quod homines difficillimum putant. Nam ego, fateor tibi, quæstionem istam, quæ, ut intelligo, terminata est, diu nos retenturam putaveram.

Mente [1]*igitur*, ratione, scientia nos *bestiis* Deus præposuit, *quamvis* [2]sensu nos multæ superant : *qui* [3]sensus ea, quibus tales animæ delectantur, accedente consuetudine, cujus magna vis est, potest discernere; atque eò facilius, quod anima belluarum magis corpori affixa est, cujus illi sunt sensus quibus utitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit. Humana verò anima propter rationem atque sciéntiam, de quibus agimus, quòd sunt ista longè præstantiora sensibus, suspendit se à corpore quantum potest, et eâ quæ intus est libentiùs fruitur voluptate; quantoque in sensus declinat, tantò magis similiorem hominem pecori facit. Inde est quod etiam pueri vagientes, quantò alieniores à ratione sunt, tantò faciliùs discernunt sensu etiam contactum conjunctionemque nutricum, nec odorem aliarum possunt sustinere, cum quibus consuetudo non fuit.

Ita quod [4]ex multis rebus passim ante jacentibus, deinde in unam formam congregatis, unam facio domum, [5]non inde *quidem* sum melior hirundine aut apicula; nam et illa nidos affabre struit, et illa favos : sed his melior, quia rationale animal sum. At si in ratis dimensionibus ratio est; numquidnam et aves quod fabricant, minùs aptè congruenterque dimensum est? Imò numerosissimum est. Non ergo numerosa faciendo, sed numeros cognoscendo, melior sum. Quid ergo? illæ nescientes operari numerosa poterant? Poterant profectò. Undè id docetur? Ex eo quod nos quoque certis dimensionibus linguam dentibus et palato

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 28. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 2, de Ordine, cap. 19. — [5] Ibid.

accommodamus, ut ex ore litteræ ac verba prorumpant; nec tamen cogitamus cum loquimur, quo motu oris id facere debeamus. Deinde quis bonus cantator, etiam si musicæ sit imperitus, non ipso sensu naturali et rhythmum et melos perceptum memoria custodiat in canendo? Quo quid fieri numerosius potest? Hoc nescit indoctus, sed tamen facit operante natura. Quando autem melior, et pecoribus præponendus? [1]Nihil aliud me pecori præponit, nisi quod rationale animal sum, *et ratiocinando* [2]illuc tendo, unde ipsum lumen rationis accenditur? Quò enim pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem?

Est [3]*enim* quædam lux hominum; unde distant homines à pecoribus videamus, et tunc intelligemus quid sit lux hominum. Non distas à pecore, nisi intellectu. Noli aliunde gloriari. De viribus præsumis? à bestiis vinceris. De velocitate præsumis? à muscis vinceris. De pulchritudine præsumis? quanta puchritudo est in pennis pavonis? Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu. Si ergo ideo melior pecore, quia habes mentem qua intelligas quod non potest pecus intelligere; inde autem homo, quia melior pecore : lux hominum est lux mentium. Lux mentium supra mentes est, et excedit omnes mentes. *Hæc est* vita illa, per quam facta sunt omnia. [4]Et vita erat lux hominum.

Ex ipsa vita homines illuminantur; pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam. Homo factus ad imaginem Dei habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa vita per quam facta sunt omnia, ipsa vita lux est : et non quorumcumque animalium, sed lux hominum. Unde paulò post dicitur : *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Accepit [5]*enim homo* ut sit. Accepit ut homo sit, multumque intersit inter ipsum et pecus. Accepit corporis formam. Accepit in corpore distinctionem sensuum, ad videndum

[1] Lib. 2, de Ordine, cap. 19. — [2] Lib. de Vera Relig., c. 39. — [3] Tract. 3, in Joann. — [4] Ibid., Tract. 1. — [5] In Psalm. 36.

oculos, ad audiendum aures, ad odorandum nares, ad gustandum palatum, ad contrectandum manus, ad ambulandum pedes, salutemque ipsam corporis. Sed adhuc ista et cum pecore habemus communia. Accepit etiam amplius, id est, mentem quæ possit intelligere, quæ possit capere veritatem, quæ possit justum ab injusto discernere, quæ possit indagare, desiderare Creatorem, laudare et inhærere illi. [1] Ergo intelligamus habere nos aliquid ubi imago Dei est, mentem scilicet atque rationem. Ipsa meus invocat lucem Dei et veritatem Dei. Ipsa est, qua capimus justum et injustum. Ipsa est, qua discernimus verum à falso. Ipsa est, quæ vocatur intellectus; quo intellectu carent bestiæ; quem intellectum quisquis in se negligit, et postponit cæteris, et ita abjicit quasi non habeat, audit ex Psalmo : *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* [2] Habemus *enim* aliquid amplius nos, mentem, rationem, consilium; quod non habent bestiæ, non habent volucres, non habent pisces.

CAPUT LXXXIX.

RATIONEM ILLAM, AD QUAM NEMPE RES SENSIBILES ET TEMPORALES EXAMINANDÆ, DISCERNENDÆ, AC DEFINIENDÆ A SENSIBUS REFERUNTUR, INTELLIGENTIA INFERIOREM ESSE, QUA RES INTELLIGIBILES AC ÆTERNAS CONTUEMUR.

Quia [3] *igitur* irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutiùs, et cæteris corporis sensibus acriùs corpora attingunt pleræque bestiæ, quam homines : sed judicare de corporibus non sentientis tantùm vitæ, sed etiam ratiocinantis est; qua illæ carent, nos excellimus. Jam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quam illa res est, de qua judicatur. Non solùm

[1] In Psalm. 42. — [2] Sermo. 27, de Verbis Apostoli. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 29.

autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat : cur in aqua remum infractum oporteat apparere, cum rectus sit, et cur ita per oculos sentire necesse sit. Nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo.

Deinde [1] in iis ipsis, quæ infra eam sunt, id est, in corporibus, et in sensibus corporis, et isto interiore sensu, quando aliud sit alio melius, et quam sit illis præstantior ipsa, quæ tandem nisi ipsa renuntiat? Quod profectò nullo modo posset, nisi de his ipsa judicaret. [2]Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.

Hæc [3]igitur natura spiritalis, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur inferioris generis visiones habet, quàm illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo et ista inferiora dijudicantur, et ea cernuntur quæ neque sunt corpora, neque ullas gerunt formas similes corporum ; velut ipsa mens et omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt ejus vitia, quæ rectè culpantur atque damnantur in hominibus. [4]Spiritalis *enim* visio indiget intellectuali ut dijudicetur, intellectualis autem istà spiritali inferiore non indiget : ac per hoc spiritali corporalis, intellectuali autem utraque subjecta est.

Sublimioris [5] *ergo* rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas : quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profectò non essent : atque his nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quam incommutabiliter manere mens novit.

Illud [6] verò nostrum, quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostræ mentis substantia, qua subhæremus intel-

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 6. — [2] Lib. de Vera Relig., c. 29. — [3] Lib. 12, de Genesi ad lit., c. 24. — [4] Ibid. — [5] L. 12, de Trinit., c. 2. — [6] Ib., c. 3.

ligibili atque incommutabili veritati, tanquam ductum et inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non inventum est viro adjutorium simile illi, nisi detractum de illo in conjugium formaretur : ita menti nostræ, qua supernam et internam consulimus veritatem, nullum est ad usum rerum corporalium, quantum naturæ hominis satis est, simile adjutorium ex animæ partibus, quas communes cum pecoribus habemus. Et ideo quiddam rationale nostrum, non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in sui operis dispertitur officium. Et sicut una caro est duorum in masculo et femina, sic intellectum nostrum et actionem, vel consilium et exsecutionem, vel rationem et appetitum rationalem, vel si quo alio modo significantiùs dici possunt, una mentis natura complectitur : ut quemadmodum de illis dictum est : *Erunt duo in carne una* ; sic de his dici possit : Duo in mente una.

Cum [1] igitur disserimus de natura mentis humanæ, de una quadam re disserimus ; nec eam in hæc duo, quæ commemoravi, nisi per officia geminamus ; [2] cum alia sit intellectualis cognitio æternarum rerum, alia rationalis temporalium. *Unde* [3] hæc est sapientiæ et scientiæ distinctio, ut ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis. [4] Aliud *enim* intellectus, aliud ratio.

Relinquentibus [5] itaque nobis ea, quæ sunt exterioris hominis, et ab eis, quæ communia cum pecoribus habemus, introrsum ascendere cupientibus, antequam ad cognitionem rerum intelligibilium atque summarum, quæ sempiternæ sunt, veniamus, temporalium rerum cognitio rationalis occurrit.

Nunc [6] *igitur* de illa parte rationis ad quam pertinet scientia, id est, cognitio rerum temporalium atque mutabilium navandis vitæ hujus actionibus necessaria, susceptam considerationem, quantum Dominus adjuvat, peragamus.

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 4. — [2] Ibid., cap. 15. — [3] Ibid. — [4] Serm. 27, de Verbis Apos. — [5] Lib. 12, de Trinit., cap. 15. — [6] Ibid., cap. 12.

Carnalis [1], vel, ut ita dicam, qui corporis sensibus intenditur, sensualis animi motus, qui nobis pecoribusque communis est, seclusus est à ratione sapientiæ. Sensu quippe corporis corporalia sentiuntur : æterna verò et incommutabilia spiritalia ratione sapientiæ intelliguntur. Rationi autem scientiæ appetitus vicinus est : quandoquidem de ipsis corporalibus, quæ sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea quæ scientia dicitur actionis, *seu* [2] intentio mentis, quæ in rebus temporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur. [3] Omne *quippe* quod scimus, ratione scimus; *quia* [4] scientia non est, nisi cum res aliqua firma ratione percipitur. [5] Quid hoc? Nonne concedis scientiam non esse, nisi cum res aliqua firma ratione percepta et cognita est? [6] Credo te non ignorare, id quod scire dicimus, nihil esse aliud quàm ratione habere perceptum.

Nisi [7] *ergo* et istum *interiorem sensum*, *de quo jam supra*, transeat, quod ad nos refertur à sensibus corporis, pervenire ad scientiam non potest. Quicquid enim scimus, id ratione comprehensum tenemus. Scimus autem, ut de cæteris taceam, nec colores auditu, nec voces visu posse sentiri. Et cùm hoc scimus, nec oculis, nec auribus scimus, neque illo sensu interiore, quo nec bestiæ carent. Non enim credendum est eas nosse, nec auribus sentiri lucem, nec oculis vocem; quoniam ista non nisi rationali animadversione et cognitione discernimus. *Sed et* [8] si sensu illo interiore, quo eas non carere concedis, hoc quoque dijudicant, nec colores auditu, nec visu voces posse sentiri: num etiam putas eas posse discernere ab invicem colorem qui sentitur, et sensum qui in oculo est, et interiorem illum sensum apud animam, et rationem qua ista singillatim definiuntur et dinumerantur? [9] Quid? ista ratio posset hæc quatuor discernere ab invicem et definitionibus terminare, nisi ad eam referretur et color per oculorum sensum, et

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 12. — [2] Ibid. — [3] Lib. de Quant. animæ, cap. 29. — [4] Ibid., cap. 26. — [5] Ibid. — [6] Lib. 1, de Lib. arb., c. 7. — [7] Ibid., lib. 2, cap. 3. — [8] Ibid. — [9] Ibid.

ipse rursus per illum interiorem qui ei præsidet, et idem interior per seipsum, si tamen jam nihil aliud interpositum est? Non video quomodo aliter posset. Quid? hoc videsne, sensu oculorum colorem sentiri, eumdem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre. Non omnino. Enitere etiam ista dijudicare: nam credo te non negare aliud colorem esse, et aliud colorem videre, et item aliud etiam, cum color non subest, habere sensum, quo videri posset, si subesset. Discerno et ista, et inter se differre concedo. [1]Illud etiam scio ea definiri nisi ratione non posse; neque rationem id facere, nisi de iis quæ sibi examinanda offeruntur. [2]Quicquid est aliud, quo sentiri potest omne quod scimus, ministerium rationis est, cui offert et renuntiat quicquid attingit, ut ea quæ sentiuntur discerni suis finibus possint, et non sentiendo tantùm, sed etiam sciendo comprehendi.

CAPUT XC.

IPSAM SEU RATIONEM SEU MENTEM IMMEDIATÈ SEIPSAM, ET QUIDEM TOTAM, COGNOSCERE, VARIIS RATIONIBUS OSTENDITUR.

Quid? [3]ipsa ratio, quæ ministros suos et ea, quæ suggerunt, discernit ab invicem, et item quid inter hæc et seipsam distet, agnoscit, seque illis præpotentiorem esse confirmat; num alia re seipsam nisi seipsa, id est, ratione comprehendit? An aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes? [4]Seipsum enim per seipsum videt animus. Ipse ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium. Imò verò ab omnibus corporis sensibus tanquam impedientibus et perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se.

[1] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] In Psalm. 41.

Nam[1] se utique novit, [2]cum se nescire non possit, etiam quando se ut cognoscat inquirit. [3]Ecce enim mens semetipsam quærit ut noverit se, et inflammatur hoc studio. Amat igitur. Sed quid amat? Seipsam? Quomodo, cum se nondum noverit; nec quisquam possit amare quod nescit?

An ei fama prædicavit speciem suam, sicut de absentibus solemus audire? Fortè ergo se non amat; sed quod de se fingit, hoc amat, longè fortasse aliud quàm ipsa est : aut si se mens sui similem fingit, et ideo cum hoc figmentum amat, se amat antequam noverit; quia id quod sui simile est intuetur : novit igitur alias mentes ex quibus se fingat, et genere ipso sibi nota est. Cur ergo cum alias mentes novit, se non novit, cum seipsa nihil sibi possit esse præsentius? Quod si ut oculis corporis magis alii oculi noti sunt, quàm ipsi sibi : non se ergo quærat nunquam inventura. Nunquam enim se oculi præter specula videbunt. Nec ullo modo putandum est etiam rebus incorporeis contemplandis tale aliquid adhiberi, ut mens tanquam in speculo se noverit.

An in ratione veritatis æternæ videt quàm speciosum sit nosse semetipsam, et hoc amat quod videt, studetque in se fieri? quia quamvis sibi nota non sit, notum tamen ei est quàm bonum sit, ut sibi nota sit. Et hoc quidem permirabile est, nondum se nosse, et quam pulchrum sit se nosse, jam nosse.

An aliquem finem optimum, id est securitatem et beatitudinem suam videt, per quamdam occultam memoriam, quæ in longinqua eam progressam non deseruit, et credit ad eumdem finem, nisi seipsam cognoverit, se pervenire non posse? Ita dum illud amat, hoc quærit; et notum amat illud, propter quod quærit ignotum. Sed cur memoria beatitudinis suæ potuit, et memoria sui cum ea perdurare non potuit, ut tam se nosset, quæ vult pervenire, quàm novit illud quò vult pervenire?

An cum se nosse amat, non se, quam nondum novit, sed ipsum nosse amat, acerbiusque tolerat seipsam deesse scien-

[1] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 21. — [2] Ibid. — [3] Lib. 10, de Trinit., c. 3.

tiæ suæ, qua vult cuncta comprehendere? Novit autem quid sit nosse, et dum hoc amat quod novit, etiam se cupit nosse.

Ubi ergo nosse suum novit, si se non novit? Nam novit quod alia noverit, se autem non noverit : hinc enim novit et quid sit nosse. Quo pacto igitur se aliquid scientem scit, quæ seipsam nescit; neque enim alteram mentem scientem scit, sed seipsam. Scit igitur seipsam.

Deinde cùm se quærit ut noverit, quærentem se jam novit. Jam se ergo novit. [1] Cum enim se quærit, novit quod se quærat; quod nosse non posset, si se non nosset. Neque enim aliunde se quærit quàm à seipsa. *Unde* [2] neque *omnino*, si nesciret se, posset quærentem se scire se. [3] Cum ergo quærentem se novit, se utique novit.

Sed [4] nec potest omnino nescire se, quæ dum se nescientem scit, se utique scit. Si autem se nescientem nesciat, non se quærit ut sciat. Quapropter eo ipso quo se quærit, magis se sibi notam quàm ignotam esse convincitur. Novit enim se quærentem atque nescientem, dum se quærit ut noverit.

Quid ergo dicemus? [5] Quid adhuc se quærit, si quærentem se novit? [6] An quod ex parte se novit, ex parte non novit? Sed absurdum est dicere, non eam totam scire quod scit. Non dico : Totum scit; sed quod scit, tota scit. Cùm itaque aliquid de se scit, quod nisi tota non potest, totam se scit. Scit autem se aliquid scientem, nec potest quicquam scire nisi tota. Scit se igitur totam. *Quod quidem aliis quoque verbis ita potest explicari* : [7] Omne quod novit, tota novit. Cum itaque se quærentem novit, tota se novit. Ergo et totam novit. Neque enim aliquid aliud, sed seipsam tota novit.

Deinde [8] quid ejus ei tam notum est quàm se vivere? Non potest autem et mens esse, et non vivere, quando habet etiam amplius ut intelligat : nam et animæ bestiarum

[1] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 21. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 10, de Trinit., cap. 3. — [5] Lib. 7, de Genesi ad litt., c. 21. — [6] Lib. 10, de Trinit., cap. 3. — [7] Lib. 7, de Genesi ad litt., cap. 21. — [8] Lib. 10, de Trinit., c. 4.

vivunt, sed non intelligunt. Sicut ergo mens tota mens est, sic tota vivit. Novit autem vivere se. Totam se igitur novit.

Postremò, cùm se nosse mens quærit, mentem se esse jam novit : alioquin utrum se quærat ignorat, et aliud pro alio forsitan quærit. Fieri enim potest ut ipsa non sit mens; atque ita dum mentem nosse quærit, non seipsam quærat. Quapropter, quoniam cùm quærit mens quid sit mens, novit quod se quærat : profectò novit quòd ipsa sit mens. Porrò si hoc in se novit quòd mens est, et tota mens est, totam se novit.

Sed ecce non se noverit esse mentem : cum autem se quærit, hoc tantummodo noverit quòd se quærat. Potest enim etiam sic aliud pro alio quærere, si hoc nescit : ut autem non quærat aliud pro alio, proculdubiò novit quid quærat. At si novit quid quærat, et seipsam quærit, seipsam utique novit. Quid ergo adhuc quærit? Quòd si ex parte se novit, ex parte autem adhuc quærit, non seipsam, sed partem suam quærit. Cum enim ea ipsa dicitur, tota dicitur.

Deinde, quia novit nondum se à se inventam totam, novit quanta sit tota. Atque ita quærit quod deest, quemadmodum solemus quærere, ut veniat in mentem quod excidit, nec tamen penitus excidit; quia potest recognosci, cum venerit, hoc esse quod quærebatur.

Sed quomodo mens veniat in mentem, quasi possit mens in mente non esse? Huc accedit, quia si parte inventa non se totam quærit, tamen tota se quærit. Tota ergo sibi præstò est, et quid adhuc quæratur non est : hoc enim deest quod quæritur, non illa quæ quærit. Cum itaque tota se quærit, nihil ejus deest. Aut si non tota se quærit, sed pars quæ inventa est quærit partem quæ nondum inventa est; non se ergo mens quærit, cujus se nulla pars quærit. Pars enim quæ inventa est, non se quærit. Pars autem quæ nondum inventa est, nec ipsa se quærit, quoniam ab ea, quæ jam inventa est, parte quæritur. Quocirca, quia nec tota se mens quærit, nec pars ejus ulla se quærit, se mens omnino non quærit.

CAPUT XCI.

MENTI, QUÆ SEIPSAM ITA IMMEDIATÈ COGNOSCIT, NON ESSE PRÆCEPTUM UT SE COGNOSCAT, NISI UT SEIPSAM COGITET, AB ALIIS DISCERNAT, ET SECUNDUM SUAM DIGNITATEM VIVERE APPETAT.

Ut[1] quid ergo ei præceptum est, ut seipsam cognoscat? Credo ut seipsam cogitet, et secundum naturam suam vivat, id est, ut secundum naturam ordinari appetat, sub eo scilicet cui subdenda est, supra ea quibus præponenda est; sub illo, à quo regi debet; supra ea quæ regere debet. Multa enim per cupiditatem pravam, tanquam sui sit oblita, sic agit. Videt enim quædam intrinsecùs pulchra in præstantiore natura, quæ Deus est. Et cum instare debeat, ut eis fruatur, volens ea sibi tribuere, et non ex illo similis illius, sed ex seipsa esse quod ille est, avertitur ab eo movetur-que, et labitur in minus et minus, quod putatur amplius et amplius; quia nec ipsa sibi, nec ei quicquam sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit : ideoque per egestatem ac difficultatem fit nimis intenta in actiones suas, et inquietas delectationes, quas per eas colligit : atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat, et sentit amitti posse, nisi impensa cura teneatur, perditque securitatem, tantoque seipsam minus cogitat, quantò magis secura est, quod se non possit amittere. Ita cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare. Neque enim multarum doctrinarum peritum, ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat. Cùm ergo aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, tanta vis est amoris, ut ea quæ cum amore diu cogitaverit, eisque curæ glutino inhæserit, attrahat secum etiam cum ad se cogitandam quodammodo redit. Et quia illa corpora sunt, quæ foris per sensus carnis adamavit, eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est, nec

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 5.

secum potest introrsum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum convolvit et rapit factas in semetipsa de semetipsa.

Cum [1] igitur ei præcipitur ut seipsam cognoscat, non se, tanquam sibi detracta sit, quærat; sed id, quo sibi addidit, detrahat. Interior est enim ipsa, non solùm quàm ista sensibilia, quæ manifestè foris sunt; sed etiam quàm imagines eorum, quæ in parte quadam sunt animæ, quam habent et bestiæ ([2] nam illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestiis nos communes habere sentimus), [3] quamvis intelligentia careant, quæ mentis est propria. Cum ergo sit mens interior, quodammodo exit à semetipsa, cum in hæc quasi vestigia multarum intentionum exserit amoris affectum. Quæ vestigia tanquam imprimuntur memoriæ, quando hæc quæ foris sunt, corporalia sentiuntur, ut etiam cum absunt ista, præsto sint tamen imagines eorum cogitantibus. Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed intentionem voluntatis, qua per alia vagabatur, statuat in semetipsam, et se cogitet. Ita videbit quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit: sed aliud secum amando cum eo se confudit et concrevit quodammodo : atque ita dum sicut unum diversa complectitur, unum putavit esse quæ diversa sunt.

Non [4] itaque velut absentem se quærat cernere; sed præsentem se curet discernere. Nec se quasi non norit, cognoscat ; sed ab eo, quod alterum novit, dignoscat. Ipsum enim quod audit: Cognosce teipsam, quomodo agere curabit, si nescit, aut quid sit : Cognosce, aut quid sit : Teipsam? Si autem utrumque novit, novit et seipsam, quia non ita dicitur menti : Cognosce teipsam, sicut dicitur : Cognosce Cherubim aut Seraphim. De absentibus enim illis credimus, secundum quod cœlestes quædam potestates esse prædicantur. Neque sicut dicitur : Cognosce voluntatem illius hominis, quæ nobis nec ad sentiendum ullo modo, nec ad intelligendum præsto est, nisi corporalibus

[1] Lib. 10, de Tinit., c. 8. — [2] Ibid., c. 5. — [3] Ibid., c. 8. — [4] Ibid., c. 9.

signis editis; et hoc ita, ut magis credamus, quàm intelligamus : neque ita ut dicitur homini : Vide faciem tuam, quod nisi in speculo fieri non potest. Nam et ipsa nostra facies absens ab aspectu nostro est, quia non ibi est quò ille dirigi potest. Sed cum dicitur menti : Cognosce teipsam, eo ictu quo intelligit quod dictum est : Teipsam, cognoscit seipsam ; nec ob aliud, quàm eo quo sibi præsens est. Si autem quod dictum est, non intelligit, non utique facit : hoc igitur ei præcipitur ut faciat, quod cum ipsum præceptum intelligit, facit. Non ergo adjungat aliud ad id quod seipsam cognoscit, cum audit ut seipsam cognoscat. Certè enim novit sibi dici, sibi scilicet quæ est, et vivit, et intelligit. Sed est et cadaver : vivit et pecus : intelligit autem nec cadaver, nec pecus. Sic ergo se esse et vivere scit, quomodo est et vivit intelligentia. [1] Totumque illud quod se jubetur ut noverit, ad hoc pertinet ut [2] se, *sicut jam diximus*, ab eo, quod alterum novit, dignoscat.

CAPUT XCII.

ESSE ALIUD NOSSE, ET ALIUD COGITARE, SICQUE MIRUM NON ESSE, QUOD INFANTIS MENS, LICÈT NON IGNORARE SE POTEST, SE TAMEN COGITARE NON POSSIT.

Merito igitur [3] diximus, hominis mentem nosse semetipsam. Nihil enim tam novit mens, quàm id quod sibi præstò est : nec menti magis quicquam præstò est, quàm ipsa sibi. Et alia satis, quantum visum est, adhibuimus documenta, quibus hoc certissimè probaremus.

Quid [4] itaque dicendum est de infantis mente, ita adhuc parvuli, et in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras mens hominis, quæ aliquid novit, exhorreat? An etiam ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tantò majore, quantò noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest; sed cogitare se non potest? Quanta porrò

[1] Ibid., cap. 10. — [2] Ibid., c. 9. — [3] Ibid., lib. 14, c. 4. — [4] Ibid., c. 5.

intentione in ista, quæ foris sunt sensibilia, feratur, hinc vel solum conjici potest, quòd lucis hujus hauriendæ sic avida est, ut si quisquam minus cautus aut nesciens quid inde possit accidere, nocturnum lumen posuerit, ubi jacet infans, in ea parte ad quam jacentis oculi possint retorqueri, nec cervix possit inflecti, sic ejus inde non removeatur aspectus, ut nonnullos ex hoc etiam strabones fieri noverimus, eam formam tenentibus oculis, quam teneris et mollibus consuetudo quodammodo infixit. Ita et in alios corporis sensus, quantum sinit illa ætas, intentione se quasi coarctant animæ parvulorum, ut quicquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant vehementer aut appetant : sua verò interiora non cogitent, nec possint admoneri ut hoc faciant; quia nondum admonentis signa noverunt, ubi præcipuum locum verba obtinent, quæ sicut alia prorsus nesciunt. Quod autem aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare, jam *ipsi superiùs* ostendimus. Sed hanc ætatem omittamus, quæ nec interrogari potest quid in se agatur, et nos ipsi ejus valde obliti sumus. Hinc tantum certos nos esse suffecerit, quod cum homo de animi sui natura cogitare potuerit, [1] mens ipsa sibi cognita est, vel se cogitat, *et* [2] cogitando intellectam se conspicit. [3] Mens *enim* quando cogitatione se conspicit, intelligit se et recognoscit. Res quippe incorporea intellecta conspicitur, et intelligendo cognoscitur.

CAPUT XCIII.

QUOMODO MENS SEIPSAM COGITANDO IN CONSPECTU SUO SE CONSTITUAT.

Tanta [4] *verò* est cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodammodo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat : ac per hoc ita nihil in conspectu mentis est, nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens, qua cogitatur quicquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo, nisi seipsam cogitando.

[1] L. 10, de Trinit., lib. 15, c. 5. — [2] Ibid , lib. 14, c. 6. — [3] Ibid. — [4] Ib.

Quomodo autem, quando se non cogitat, in conspectu suo non sit, cum sine seipsa nunquam esse possit, quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus ejus, invenire non possum. Hoc quippe de oculo corporis non absurdè dicitur. Ipse quippe oculus loco suo fixus est in corpore, aspectus autem ejus in ea quæ extra sunt, tenditur, et usque in sidera extenditur. Nec est oculus in conspectu suo ; quandoquidem non conspicit seipsum, nisi in speculo objecto, unde jam locuti sumus. Quod non fit utique, quando se mens in suo conspectu sui cogitatione constituit. Numquid ergo alia sui parte aliam partem suam videt, cum se conspicit cogitando, sicut aliis membris nostris, qui sunt oculi, alia membra nostra conspicimus, quæ in nostro possunt esse conspectu? Quid dici absurdius vel sentiri potest? Unde igitur aufertur mens, nisi à seipsa? et ubi ponitur in conspectu suo, nisi ante seipsam? Non ergo ibi erit ubi erat, quando in conspectu suo non erat ; quia hìc posita, inde sublata est. Sed si conspicienda migravit, conspectura ubi manebit? An quasi geminatur, ut et illic sit et hìc, id est, et ubi conspicere, et ubi conspici possit ; ut in se sit conspiciens, ante se conspicua? Nihil horum nobis veritas consulta respondet : quoniam quando isto modo cogitamus, non nisi corporum fictas imagines cogitamus, quod mentem non esse paucis certissimum est mentibus, à quibus potest de hac re veritas consuli. Proinde restat, ut aliquid pertinens ad ejus naturam sit conspectus ejus, et in eam quando se cogitat, non quasi per loci spatium, sed incorporea conversione revocetur : cum verò non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen noverit se tanquam ipsa sit sibi memoria sui : sicut multarum disciplinarum peritus ea quæ novit ejus memoria continentur ; nec est inde aliquid in conspectu mentis ejus, nisi unde cogitat ; cætera in arcana quadam notitia sunt recondita, quæ memoria nuncupatur.

CAPUT XCIV.

MENTEM OPERATIONES SUAS, IMO ET VIRTUTES AFFECTIONESQUE SUAS, SINE ULLIS RERUM CORPORALIUM IMAGINIBUS IMMEDIATÈ CONSPICERE, QUONIAM EJUS COGNITIONI SEIPSIS IMMEDIATÈ PRÆSTO SUNT : ALTERIUS AUTEM AFFECTIONES CREDERE TANTUM, NON INTUERI.

Illa etiam, quæ oriuntur in animo, nec pertinent ad corporis sensus, sicut fides, sicut virtutes, quæ sunt artes agendæ vitæ, manifestâ ratione cernuntur et scientia continentur.

Sciuntur [1] *etiam*, *quæ* velut adventitia sunt in animo, *id est* [2] quæ oriuntur in animo ubi non fuerunt, sicut fides et cætera hujusmodi, [3] quæ in homine, *in quo* non erant, oriuntur, *id est*, [4] sicut *aliæ* virtutes, quibus si veræ sunt in hac mortalitate ideo bene vivitur, ut beatè in illa, quæ divinitus promittitur, immortalitate vivatur.

Sicut [5] enim lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem planè video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intus mihi præsens est. [6] Nihil enim tam novit mens, *ut supra jam observavimus*, quàm id quod sibi præsto est. *Sicque* [7] mentis intuitu nostra voluntas à nobis metipsis intus aspicitur cum aliquid volumus, vel cogitatio cum cogitamus, vel memoria dum recordamur, vel tale aliquid in animo. [8] Novit hæc in se *anima*, [9] quadam *scilicet* interiore, non simulatâ, sed verâ præsentiâ, *dum* cogitat vivere se, et meminisse, et intelligere, et velle se. *Sic et* [10] mentis obtutu se quisque interius videt viventem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem, videt nescientem.

Sic [11] *proinde* vides vitam tuam, voluntatem, inquisitionem, scientiam, ignorantiam, [12] id est, quod vivas, quod videre, *verbi gratia*, Deum velis, quod id requiras, quod te vivere et velle et quærere scias, quod *aliud quidpiam* nescias.

[1] Ibid., cap. 8. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Epist. 112, cap. 2. — [6] Lib. 14, de Trinit., cap. 4. — [7] Epist. 112, cap. 1. — [8] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [9] Ibid. — [10] Epist. 112, cap. 1. — [11] Ibid. — [12] Ibid.

Sic [1] *autem* hæc vides omnia, ut in te habeas, ac sine ullis figurarum lineamentis, colorumque nitoribus, tantò clariùs et certiùs, quantò simpliciùs interiùsque conspicis. *Hæc enim* [2] nec corporalia sunt, nec corporalium similitudines, sicut virtutes et vitia, sicut ipsa denique cogitatio cogitatur. [3] Quis enim non videt cogitationem suam ?

Suam [4] igitur quisque fidem apud seipsum videt, [5] eamque tenet certissima scientia, clamatque conscientia, *sicut et* [6] unusquisque sui animi conscius non credit utique hanc esse suam, sed planè pervidet, voluntatem. [7] Sic enim et nos ipsos certiùs quàm cæteros novimus, quia nobis conscientia nostra nota est et voluntas: quam planè videmus, et in ea tamen aliquam corporis similitudinem non videmus. Hanc in alio quamvis præsente non cernimus, etiam cujus absentis faciem novimus, recolimus, cogitamus. Nostram verò faciem eo modo nosse, recolere, cogitare non possumus : et tamen nos ipsos nobis magis, quàm illum cognitum verissimè dicimus. Ita clarum est, ubi sit potior hominis veriorque notitia. [8] Quis *enim* rectè dicat, se aliquem hominem cognovisse, nisi inquantum potuit ejus vitam voluntatemque cognoscere (quæ utique moles non habet vel colores), *eo scilicet animi sensu*, [9] quo nec corpora, nec similitudines corporum, sicut fidem, spem, charitatem, sine ullis coloribus et tumoribus eorumque similitudinibus certiùs sanè firmiusque conspicimus.

Ita fidelis [10] videt ipsam fidem suam, qua se credere *Christi*, *verbi gratia*, *resurrectionem*, sine cunctatione respondet. Videt cogitationem, qua cogitat quid ei possit prodesse quod credit. Videt voluntatem, qua accessit ad suscipiendam religionem. [11] Nec eas quisquam hominum videt in alio, sed unusquisque in semetipso ; *quia* [12] fides, *verbi gratia*, in animo credentis est, ei tantùm conspicua cujus est. [13] Nostræ quippe mentis obtutibus adest fides ipsa qua credimus,

[1] Epist. 112, c. 1. — [2] L. 15, de Trinit., c. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid., lib. 13, c. 2. — [5] Ibid., cap. 1. — [6] Ibid., c. 2. — [7] Lib. 4, de Anima et ejus orig., c. 19. — [8] Ibid. — [9] Ibid., cap. 20 — [10] Epist. 112, cap. 3. — [11] Lib. 13, de Trinit., cap. 2. — [12] Ibid. — [13] Epist. 112, cap. 4.

ideoque [1] menti nostræ fides nostra conspicua est. [2] Abest *autem* ab aspectu mentis alterius : sicut abest ab aspectu mentis meæ fides tua, quamvis eam esse in te credam, cùm eam non videam corpore quod nec tu potes ; nec mente quod tu potes, sicut ego meam, quam tu non potes. Nemo enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet cogitationes cordis, ut eas non solùm quisque suas videat, sed et aliorum. Secundùm hoc enim dixit Apostolus, neminem scire quid agatur in homine, nisi spiritum hominis qui in ipso est, secundùm quod videmus in nobis.

CAPUT XCV.

UTRUM ET QUOMODO PRIVATIONES ET FALSA COGNOSCANTUR.

Porro [3] nos omnium inexpertorum nomina, nonnisi ex contrariis, quæ jam novimus, si privationum sunt, sine ullo æstu dubitationis agnoscere *deprehendimus. Nam* [4] à contrariis notis sic pleraque intelliguntur ignota, ut etiam, verba rerum, quæ non sunt, cum in loquendo interponuntur, nullus caliget auditor. Hoc enim quod omnino non est, nihil vocatur : et has duas syllabas nemo non intelligit, qui latinè audit et loquitur. Unde, nisi cum sensus intuetur id quod est, et ejus privatione quid etiam non sit agnoscit ? Sic et inane cum dicitur, intuendo corporis plenitudinem, privatione ejus tanquam contraria, quid dicatur inane intelligimus. *Sic etiam* [5] quia sentimus quid sit vivere, ejus rei privationem vocamus mortem. *Sic* [6] justa et injusta sentimus ; justa, per intelligibilem speciem ; injusta, per ejus privationem. *Sic* [7] discernit cognitor speciem privationemque virtutis, sicut [8] esse et non esse. Sic [9] utrumque, *tenebræ*

[1] Epist. 112, cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 16. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. 11, de Civ. Dei, cap. 27. — [7] Lib. 9, de Trinit., cap. 10. — [8] Ibid. — [9] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 7.

nimirum et silentium, nobis notum est : neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures : non sanè in specie, sed in speciei privatione.

Ea [1] *verò*, quæ non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, aut sciendo nesciuntur. Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium : quod tamen nullo modo nisi non audiendo sentitur. Sic species intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit : sed ubi deficiunt, nesciendo condiscit; *sicut tenebræ*, [2] quæ, ut dixi, nihil sunt aliud quàm lucis absentia, oculis non videndo discernuntur, sicut silentium auribus non audiendo : non quia tenebræ sunt aliquid, sed quia lux non est ; sicut dicimur auribus percipere silentium, non quia est aliquid, sed quia sonus non est.

Proinde, [3] si sol iste tanta claritate conspicuus et diei luce sufficiens, usque ad lunæ similitudinem in conspectu nostro paulatim deficeret, [4] non illum defectum videremus, sed lucem quæ defectui remaneret. Cum autem non videremus, non sentiremus : quicquid enim sentimus aspectu, non potest non videri. Quare, si defectus ille neque visu, neque alio sensu sentiretur, non posset inter sensibilia numerari. Nihil enim sensibile est, quod sentiri non potest.

Referamus nunc considerationem ad virtutem, cujus intelligibili luce splendere animum convenientissimè dicimus. Porrò ab hac luce virtutis defectus quidam non perimens animam, sed obscurans, vitium vocatur. Potest igitur rectè vitium quoque animæ nequaquam inter intelligibilia numerari, ut lucis ille defectus rectè de sensibilium numero eximitur. *Quanquam* [5] si jam placeret omnia sensibilia nominare, non modò ea quæ sentiremus, sed etiam ea quæ non sentiendo, tamen per corpus judicaremus, sicut per

[1] L. 12, de Civit. Dei, c. 7. — [2] Contra Epist. Manich, cap. 31. — [3] Lib. de Duabus animabus, cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

oculos tenebras, et per aures silentium (et illas enim non videndo, et hoc non audiendo cognoscimus); rursusque intelligibilia non ea tantùm quæ illustrata mente conspicimus, sicuti est ipsa sapientia; sed etiam illa quæ ipsius illustrationis privatione aversamur, ut est insipientia quam tenebras animi congruè dixerim : nullam de verbo facerem controversiam.

Novi [1] *tamen* et definio quid, *verbi gratia*, sit intemperantia : et hoc est verbum ejus. Sicuti sunt in arte nota vitia. *Nam* [2] et definire intemperantiam verbumque ejus dicere, pertinet ad artem morum; esse autem intemperantem ad id pertinet quod illa arte culpatur : sicut nosse ac definire quid sit solœcismus, pertinet ad artem loquendi; facere autem, vitium est quod eadem arte reprehenditur.

Nemo [3] *etiam* falsa novit, nisi cum falsa esse novit : quod si novit, verum novit; verum est enim quod illa falsa sint.

CAPUT XCVI.

DE NOBILISSIMA MENTIS HUMANÆ FACULTATE, PER QUAM IPSUM DEUM, SEU VERITATEM ÆTERNAM AC IMMUTABILEM AB IPSO DEO NON DISTINCTAM, EX PARTE SALTEM CONSPICIT : QUAMVIS, CUM LUMEN ILLUD CONATUR INTUERI, AUT ETIAM REFLEXE ET EXPLICITE COGNOSCERE, PALPITARE DEPREHENDATUR.

Quid [4] jam de illa loquar potentia, qua intelligitur veritas? [5] Nunc enim ad eam jam pervenimus disputationem, ubi principale mentis humanæ, quo novit Deum, vel potest nosse, considerandum suscepimus. *Nam* [6] aliquid, quod ipsa non est, æternum atque incommutabile conspicit, *cum justitiæ* [7] regulas immutabiles videat, [8] quibus etiam impii multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus. [9] Conspicere *etiam* nos immutabile bonum, quod nos non sumus, *noster de Trinitate* liber octavus ostendit; et

[1] Lib. 9, de Trinit., cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid., lib. 15, cap. 10. — [4] Lib. Contra Epist. Manich., cap. 18. — [5] Lib. 14, de Trinit., cap. 8. — [6] Ibid., lib. 15, cap. 6. — [7] Ibid., lib. 14, c. 15. — [8] Ibid. — [9] Ibid, lib. 15, c. 6.

quartus decimus, cum de sapientia quæ homini ex Deo est loqueremur, admonuit. [1] Nec *verò* jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse.

Quapropter [2] in *ipso* genere intellectualium visorum alia sunt, quæ in anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria ; sive permansuræ ut pietas ; sive utiles huic vitæ et postea non futuræ, sicut fides qua credimus ea quæ nondum videmus, et spes qua futura cum patientia exspectamus, et ipsa patientia qua omnia toleramus adversa, donec quò volumus veniamus ([3] istæ quippe et hujusmodi virtutes, etiam ipsæ intellectualiter videntur ; neque enim aut corpora sunt, aut species habent similes corporum). [4] Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est, hæc autem creatura, quamvis rationalis et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate et minus valet. Inde est tamen quicquid intelligit sicut valet.

CAPUT XCVII.

QUOMODO DEUS IN MEMORIA NOSTRA ESSE DICATUR, ET IPSIUS MEMINISSE MENS HUMANA POSSIT.

Quando autem [5] commemoratur, ut convertatur ad Dominum tanquam ad eam lucem qua etiam cum ab illa averteretur, quodammodo tangebatur, [6] Domini Dei sui reminiscitur. *Nam* [7] quod ista in illo et vivit et movetur et est, ideo reminisci ejus potest.

Ecce [8] quantum spatiatus sum in memoria mea, quærens te, Domine, et non te inveni extra eam ; [9] quam *scilicet* pecora non habent, id est, qua res intelligibiles ita conti-

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 31. — [2] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 31. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. 14, de Trinit., cap. 15. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Lib. 10, Confess., c. 24. — [9] Lib. 15, de Trinit., c. 23.

nentur, ut non in eam per sensus corporis venerint. [1] Res enim ipsas intelligibiles, quæ *verborum* significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, et in memoria recondidi non imagines earum, sed ipsas. Quæ unde ad me intraverint, dicant si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio qua earum ingressæ sint. Quippe oculi dicunt : Si coloratæ sunt, nos eas nuntiavimus. Aures dicunt : Si sonuerunt, à nobis indicatæ sunt. Nares dicunt : Si oluerunt per nos transierunt. Dicit etiam sensus gustandi : Si sapor non est, nihil me interroges. Tactus dicit : Si corpulentum non est, non contrectavi ; si non contrectavi, non indicavi. Unde et quà hæc intraverunt in memoriam meam ? Nescio quomodo. [2] Nam cum, *verbi gratia*, didici tria genera esse quæstionum, an sit, quid sit, quale sit, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, et vera esse approbavi.

Ita [3] continet memoria numerorum dimensionumque rationes et leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit : quia nec ipsæ coloratæ sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatæ, aut contrectatæ sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cùm de his disseritur : sed illi alii, istæ autem aliæ sunt. Nam illi aliter græcè, aliter latinè sonant : istæ verò res nec græcæ nec latinæ sunt, nec aliud eloquiorum genus.

Ecce [4] in memoriæ meæ campis per præsentiam *hæc omnia.* [5] Sicut *enim* in rebus præteritis ea memoria dicitur, quâ fit ut valeant recoli et recordari : sic in re præsenti memoria sine absurditate dicenda est, qua menti præsto sunt ista ut cogitatione possint intelligi, *sicut alibi jam observatum est.* [6] Manent autem, non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora : sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. [7] Credendum enim est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, dispo-

[1] L. 10, Confess., c. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 12. — [4] Ibid., cap. 17. — [5] Lib. 14, de Trinit., cap. 11. — [6] Ibid., lib. 12, cap. 14. — [7] Ibid., cap. 15.

nente Conditore, subjuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus.

Manes [1]in hac memoria mea, *Domine*, et illic te invenio cum reminiscor tui, et delector in te. [2]Sed in qua ejus parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent et bestiæ, cùm te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium. Et veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus : nec ibi tu eras ; quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est cùm lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, et quicquid hujusmodi est; ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, et dignatus es habitare in memoria mea. [3]Cum *enim* Deum diligit mens, consequenter ejus meminit, eumque intelligit ; [4]quia nemo diligit cujus non meminit, et quod penitus nescit.

CAPUT XCVIII.

IMAGINEM DEI NON ESSE IN HOMINE, NISI QUATENUS IPSUM DEUM MEMINISSE, INTELLIGERE AC DILIGERE POTEST : EAMQUE IMAGINEM, QUAMVIS OBSOLETAM, SEMPER IN HOMINE REMANERE.

Jam igitur [5]ad imaginem Dei, quod est homo secundùm mentem, pervenit disputatio. [6]Eo quippe ipso imago Dei *nostra mens* est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest : quod tam magnum bonum, nisi per hoc, quod imago ejus est, intelligi non potest. *Sicque* [7]non propterea

[1]Lib. 10, Confess., cap. 24. — [2]Ibid., cap. 25. — [3]Lib. 14, de Trinit., cap. 14. — [4]Ibid. — [5]Ibid., lib. 15, cap. 3. — [6]Ibid., lib. 14. cap. 8. — [7]Ibid., cap, 12.

Dei est imago, quia sui meminit mens, et intelligit ac diligit se; sed quia potest etiam meminisse, et intelligere, et amare à quo facta est. [1] Ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est; ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei : *adeo* [2] ut non maneat imago Dei nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis vel consulendis adhærescit. [3]Quamvis enim mens humana non sit ejus naturæ, cujus est Deus : imago tamen naturæ ejus, quâ natura melior nulla est, ibi quærenda et invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius.

Dicimus [4] *autem* eam, etsi amissa Dei participatione obsoletam atque deformem, Dei tamen imaginem permanere. [5]Si *enim* secundum hoc facta est ad imaginem Dei, quod uti ratione atque intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, profectò ab initio quo esse cœpit ista tam magna et mira natura, sive ita obsoleta sit hæc imago, ut penè nulla sit, sive obscura atque deformis, sive clara et pulchra sit, semper est. Denique deformitatem dignitatis ejus miserans divina Scriptura : *Quanquam*, inquit, *in imagine Dei ambulat homo, tamen vanè conturbatur : thesaurizat, et nescit cui congregabit ea.* Non itaque imagini Dei vanitatem tribueret, nisi deformem cerneret factam? Nec tantùm valere illam deformitatem, ut auferat quod imago Dei est, satis ostendit dicendo : *Quanquam in imagine Dei ambulat homo.* Quapropter ex utraque parte veraciter pronuntiari potest ista sententia, ut quemadmodum dictum est : *Quanquam in imagine Dei ambulat homo, tamen vanè conturbatur;* ita dicatur : Quanquam vanè conturbatur homo, tamen in imagine Dei ambulat. Quanquam enim magna natura sit, tamen vitiari potuit, quia summa non est : et quanquam vitiari potuerit, quia summa non est, tamen quia summæ naturæ capax est, et esse particeps potest, magna natura est.

[1] Lib. 12, de Trinit., cap. 7. — [2]Ibid. — [3] Ibid., lib. 14, c. 8. — [4] Ibid., cap. 8. — [5] Ibid., cap. 4.

CAPUT XCIX.

DE VARIIS OPERATIONIBUS ANIMI, QUID SINT ET QUID INTER SE DIFFERANT VIDERE, CREDERE, ET OPINARI.

Antequam *ulteriùs progrediamur*, [1] tria sunt *observanda* finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, *videre ut*, *verbi gratia*, intelligere, credere, et opinari. *Quamvis enim videns proindèque* intelligens omnis etiam credit, credit et omnis qui opinatur : non *tamen* omnis, qui credit *videt*, *ideoque* intelligit : et nullus, qui opinatur, intelligit. *Opinari* [2] est eorum, qui se arbitrantur scire quod nesciunt; *sicque* quod opinamur debemus errori.

Num [3] *verò* satis est, ut inter videre et credere hæc distare dicamus, quia præsentia videntur, creduntur absentia ? Planè forsitan satis est, si præsentia illa hoc in loco intelligamus dicta, quæ præstò sunt sensibus sive animi sive corporis, unde etiam ducto vocabulo præsentia nominantur. Sicut enim hanc lucem corporis sensu, sic et meam voluntatem planè video, quia præsto est animi mei sensibus, atque intus mihi præsens est. Si quis verò mihi indicet voluntatem suam, cujus os et vox mihi præsens est ; tamen quia ipsa voluntas, quam mihi indicat, latet sensum corporis et animi mei, credo, non video : aut si eum mentiri existimo, non credo, etsi fortè, ut dicit, ita sit. Creduntur ergo illa quæ absunt à sensibus nostris, si videtur idoneum quod eis testimonium perhibetur. Videntur enim quæ præstò sunt, unde et præsentia nominantur vel animi vel corporis sensibus. Nam cum sint quinque corporis sensus, cernendi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi ; visus quidem in eis præcipuè oculis attributus est : verumtamen hoc verbo utimur et in cæteris. Non enim tantùm dicimus :

[1] Lib. de Utilit. credendi, cap. 11. — [2] Ibid. — [3] Epist. 112, cap. 2.

Vide quid luceat; sed etiam : Vide quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quid caleat.

Illa [1] *igitur* quæ videt *aliquis*, adsunt sensibus vel animi vel corporis : quæ autem credit, absunt a sensibus animi et corporis. *Sicque* [2] nonnulli malè putant ipsum quod dicimus credere, cum res vera creditur, hoc solum esse mente contueri.

Nec [3] quia dixi ea credi quæ absunt à sensibus nostris, sic accipiatur ut inter illa deputentur quæ aliquando vidimus, et nos vidisse retinemus certique sumus, quamvis tunc non præsto sint, cum recoluntur à nobis. Neque enim inter credita, sed inter visa, deputantur. Et ideo nota sunt, non quia fidem adhibuimus aliis testibus, sed quia nos vidisse sine dubio recordamur et scimus.

Proinde [4] in iis, quæ vidimus, nos ipsi testes sumus : in his autem, quæ credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus, nec videmus, dantur signa vel in vocibus, vel in litteris, vel in quibusque documentis, quibus visis non visa credantur.

Et quidem, [5] si *quid* divinarum Scripturarum, earum scilicet quæ canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur auctoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Aliis verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendum fidem habere vel non habere perpenderis. Si enim ea, quæ non vidimus, hoc est, in præsentia non sensimus vel mente vel corpore, neque de Scripturis sanctis vel legendo vel audiendo didicimus, nulla omnino credidissemus; unde sciremus esse civitates, ubi nunquam fuimus ; vel à Romulo conditam Romam, vel ut de propinquioribus loquar, Constantinopolim à Constantino ? Unde postremò sciremus quinam parentes nos procreavissent, quibus patribus, avis, majoribus geniti essemus? Talium quippe cum plurima sciamus, non tamen ea vel ullo sensu præsentia, sicut solem,

[1] Ibid., cap. 4. — [2] Ibid., cap. 2. — [3] Ibid., cap. 3. — [4] Ibid., cap. 3. — [5] Ibid., in Præfat.

sicut nostri animi voluntatem, vel canonicorum eloquiorum auctoritate, sicut Adam fuisse primum hominem, aut Christum in carne natum passumque resurrexisse didicimus; sed aliis referentibus, de quorum testimonio in hoc duntaxat rerum genere minimè dubitandum esse putavimus. In quibus si alicubi fallimur, credendo vel ita esse quod ita non est, vel non ita esse quod ita est, nihil periculi esse judicamus, si non sit contra illam fidem, qua pietas informatur.

Aliud[1] *igitur* est aliquid sentire per corpus, sicut in cœlo solem, et in terra montem, arborem corpusve quodlibet: et aliud mentis intuitu rem nihilominus evidentem, sicut nostra voluntas à nobismetipsis intus aspicitur, cùm aliquid volumus, vel cognitio cùm cogitamus, vel memoria dum recordamur, vel tale aliquid in animo sine corpore: aliud autem credere quod in corporis mentisve conspectu nec adest nec adfuisse recolitur: sicut sine parentibus creatum Adam, et natum ex Virgine, passumque resurrexisse Christum. Hæc enim etiam corporaliter facta sunt, et videri per corpus, si tunc adessemus, utique potuerunt: nunc autem non adsunt, sicut adest ista lux quæ oculis cernitur, aut voluntas, qua nunc aliquid volumus, quæ mente conspicitur.

Cùm[2] itaque dicitur homini: Crede, *verbi gratia*, Christum resurrexisse à mortuis: si credit, attende quid videat, attende quid credat, et utrumque discerne. Videt hominem cujus audit vocem, et ipsa vox in visis corporalibus deputatur secundùm ea, quæ suprà diximus. Hæc duo sunt, testis, et testimonium: quorum ad oculos unum, ad aures alterum pertinet. Sed hunc testem fortasse aliorum testimoniorum auctoritas confirmat, divinarum scilicet Scripturarum, vel quorumlibet aliorum quibus est motus ad fidem. Scripturæ ad visa pertinent corporis oculorum, si eas legit; vel aurium, si eas audivit. Videt autem animo quicquid figuris litterarum sonisve significari intellexit. Videt ipsam fidem suam, qua se credere sine cunctatione

[1] Epist. 112, cap. 4. — [2] Ibid., cap. 3.

respondet. Videt cogitationem, qua cogitat quid ei possit prodesse quod credit. Videt voluntatem, qua accessit ad suscipiendam religionem. Videt etiam ipsius resurrectionis quamdam imaginem in animo suo factam, sine qua intelligi non potest quicquid factum corporaliter dicitur, sive credatur, sive non credatur. [1]Sed ut puto distinguis quomodo videat fidem suam qua credit, et quomodo videat illam resurrectionis imaginem in animo suo factam, quam, si hoc audit, videt etiam qui non credit. Hæc ergo omnia videt, partim corpore, partim mente : vòluntatem verò ejus à quo audit ut credat, et ipsam Christi resurrectionem non videt, sed credit ; et tamen eam videre dicitur quodam mentis obtutu, magis secundùm testimoniorum fidem, quàm rerum præsentia creditarum.

Non [2] enim immeritò scire nos dicimus, non solùm ea quæ vidimus aut videmus, verùm et illa quæ idoneis ad quamque rem commoti testimoniis vel testibus credimus. Porrò si scire non incongruenter dicimur etiam illud quod certissimum credimus, hinc factum est ut etiam rectè credita, etsi non adsint sensibus nostris, videre mente dicamur.

CAPUT C.

VISIONEM DICI SCIENTIAM ; CUJUS HABITUS IN EO CONSISTIT QUOD SENSA ET INTELLECTA MEMORIA RETINEMUS : QUAMVIS ET PLURIBUS ALIIS ACCEPTIONIBUS SCIENTIÆ NOMEN USURPETUR.

Jam [3] *tamen* satis, ut puto, cognovisti, quid *propriè* sit videre vel mente vel corpore, et quid ab eis distet credere. [4] Scientia quippe *sive visio* menti tribuitur, sive per corporis sensus, sive per ipsum animum aliquid perceptum cognitumque retineat. [5]Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoriâ retinemus, id

[1] Epist. 112, cap. 4. — [2] Ibid., cap. 3. — [3] Ibid., cap. 4. — [4] Ibid., cap. 3. — [5] Lib. 2, ad Simplician., quæst. 2.

est, cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id, cum volumus, recolamus, *ea nimirum ratione, quæ jam à nobis superiùs explicata est.*

Aliquando tamen, [1] cum aliquid apparet sive per temperationem corporis, sive per intelligentiæ puritatem : illud primum sensus, hoc autem alterum scientia sibi vendicavit. [2] Non *enim* continuò esse scientiam *dicimus*, si quid non latet, *ut jam superiùs insinuavimus*, sed si per rationem non latet, scientiam ; cum autem per corpus non latet, sensum vocari, si per seipsam non lateat corporis passio.

An [3] *etiam* ignoras quibusdam philosophis et peracutis visum esse, ne id ipsum quidem, quod mente comprehenditur, ad nomen aspirare scientiæ, nisi tam firma comprehensio sit, ut ab ea mens nullà ratione queat dimoveri ?

Porro [4] sanæ menti semper puto inesse rationem. [5] Quare intelligas volo non esse istam rationem, dum per ea, quæ conceduntur atque cognita sunt, ad aliquid incognitum ducimur : hoc enim non semper inest menti. Quid *scilicet* hoc? dum per ea quæ conceduntur ac manifesta sunt, vel interrogando alium, vel connectendo alia, perducimus nos ad alicujus rei cognitionem ; videturne tibi aut nos, aut quivis sapiens semper facere ? Non *certè* semper : non enim semper homo quilibet, aut sapiens, quantum opinor, vel secum, vel cum alio quærit aliquid disserendo. Nam qui quærit, nondum invenit. Ita si semper quærit, nunquam invenit. Sapiens autem jam invenit, ut nihil aliud dicam, vel ipsam sapientiam, quam, cum esset stultus, disserendo fortasse, aut quoquo modo alio poterat, requirebat. [6] Nunc *igitur* invenimus non rationem vocandam esse, [7] dum nos ratio ad incognitum ducit. Non enim sana mens agit hoc semper, cum semper habeat rationem. Sed rectè ista fortasse ratiocinatio nominatur, ut ratio sit quidam mentis aspectus, ratiocinatio autem rationis inquisitio, id est, aspectus illius, per ea quæ aspicienda sunt, motio. Quare ista opus est ad quærendum, illa ad videndum. Itaque cùm

[1] Lib. de Quant. animæ, cap. 30. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., c. 27. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

ille mentis aspectus, quem rationem vocamus, conjectus in rem aliquam, videt illam ; scientia nominatur. Cum autem non videt mens, quamvis intendat aspectum ; inscitia vel ignorantia dicitur. Non enim et his corporalibus oculis omnis qui aspicit, videt : quod in tenebris facillimè animadvertimus. Ex quo liquet, ut opinor, aliud esse aspectum, aliud visionem ; quæ duo in mente rationem et scientiam nominavimus : nisi quid te adversus hæc movet, aut parum dilucide ista distincta arbitraris.

Quamvis [1] *autem* et illa quæ sapientia est, possit scientia nuncupari, sicut et Apostolus loquitur, ubi dicit : *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum ;* quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi (quod sanctorum erit præmium summum) : tamen ubi dicit : *Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum* ; hæc utique duo sine dubitatione distinguit, *ut nempe,* [2] licèt non ibi explicet quid intersit et unde possit utrumque dignosci, [3] ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis ; ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis , *ut alibi jam insinuatum est , seu* [4] sapientia divinis , scientia humanis attributa sit rebus ; *vel etiam* [5] in hominibus hæc ita discerni probabiliter soleant, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia verò ad ea quæ sensibus corporis experimur. [6] *Quanquam, ut jam dixi,* nec ista duo sic accipiamus, quasi non liceat dicere, vel istam sapientiam, quæ in rebus humanis est, vel illam scientiam quæ in divinis. Loquendi enim latiore consuetudine, utraque sapientia, utraque scientia dici potest. Nullo modo tamen scriptum esset apud Apostolum : *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ* ; nisi et propriè singulis nominibus hæc singula vocarentur, de quorum distinctione nunc agimus.

[1] Lib. 12, de Trinit., c. 14. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 15. — [4] Ibid., lib. 13, cap. 19. — [5] Lib. 2, ad Simplician., quæst. 2. — [6] Lib. 13, de Trinit., c. 19.

CAPUT CI.

ESSE ALIUD RES ALIQUAS IN IPSA VERITATE PER INTELLECTUM INTUERI, ALIUD IPSAS VEL COGNITIONE HISTORICA TENERE, VEL ALIUNDE CONJICERE.

Si [1] autem alia est adhibenda discretio, qua dignoscantur hæc duo, quæ proculdubiò distare Apostolus docet, dicens : *Alii datur quidem per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum* ; tamen etiam istorum duorum, quæ nos posuimus, evidentissima differentia est, quòd alia sit intellectualis cognitio æternarum rerum, alia rationalis temporalium, et huic illam præponendam esse ambigit nemo. [2] Cum *enim* se ipsam, verbi gratia, novit humana mens et amat seipsam, non aliquid incommutabile novit et amat : aliterque unusquisque homo loquendo enuntiat mentem suam, quid in seipso agatur attendens : aliter autem humanam mentem speciali aut generali cognitione definit. Itaque cùm mihi de sua propria loquitur, utrum intelligat hoc aut illud, an non intelligat, et utrum velit, an nolit hoc aut illud, credo. Cùm verò de humana specialiter aut generaliter verum dicit, agnosco et approbo. Unde manifestum est aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat ; aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri : quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate consistere. Neque enim oculis corporeis multas mentes videndo, per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam ; sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfectè, quantum possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.

Numquid etiam, [3] quia nonnulli *Philosophorum* potuerunt aciem mentis ultra omnem creaturam transmittere, et lucem

[1] Lib. 12, de Trinit., c. 15. — [2] Ibid., lib. 9, c. 6. — [3] Ibid., lib. 4, c. 15.

incommutabilis veritatis quantulacumque ex parte contingere, *id est*, [1] præcelsam incommutabilemque substantiam per illa, quæ facta sunt, intelligere potuerunt, propterea de conversione rerum mutabilium, aut de contexto sæculorum ordine consulendi sint? Numquid enim, quia verissimè disputant, et documentis certissimis persuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt rationibus perspicere, vel ex ipsis in ipsis colligere quot sint animalium genera, quæ semina singulorum in exordiis, qui modus in incrementis, qui numeri per conceptus, per ortus, per ætates, per occasus, qui motus in appetendis quæ secundum naturam sunt, fugiendisque contrariis? Nonne ista omnia, non per illam incommutabilem sapientiam, sed per locorum ac temporum historiam quæsierunt, et ab aliis experta atque conscripta crediderunt? [2] Historiam *enim dicimus* rerum, vel præteriti temporis vel præsentis, ad sensus corporis pertinentium, *cum scilicet* [3] præsentia indicantur ignaris: in quo [4] genere sunt quæcumque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, lapidum, herbarum, aliorumve corporum scripta sunt. *Sicque* [5] illa, quæ sensu corporis attinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conjicimus.

Artium [6] *autem aliquarum*, *ut*, *verbi gratia*, quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut est medicina et agricultura et gubernatio; [7] harum ergo cunctarum artium de præteritis experimenta faciunt etiam futura conjici, [8] cum experimento præteritorum futura conjiciantur: sicut medici multa prævidendo, etiam litteris mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt: sicut denique agricolæ, vel etiam nautæ, multa prænuntiant.

At verò [9] nec ipsi Philosophi cæteris meliores in illis summis æternisque rationibus intellectu talia contemplati sunt, [10] quæ ad corporis sensus pertinentia volvuntur tem-

[1] Lib. 4, de Trinit., cap. 16. — [2] Lib. 2, de Doctr. Christ., cap. 39. — [3] Ibid., cap. 29. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 27. — [6] Ibid., cap. 30. — [7] Ibid. — [8] L. 4, de Trinit., c. 17. — [9] Ibid., c. 16. — [10] L. de Doct. Christ., c. 39.

poribus et continentur locis. *Hincque est*[1] quod de artibus, quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hìc didicerit (*per corporis nimirum sensus*), anima non potest dicere.

De[2] his ergo sermo cum fit, eum scientiæ sermonem puto discernendum à sermone sapientiæ, ad quam pertinent ea, quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, et propter æternitatem, in qua sunt, et fuisse, et esse, et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non enim sic fuerunt ut esse desinerent, aut sic futura sunt, quasi nunc non sint; sed idipsum esse semper habuerunt, semperque habitura sunt. Manent autem non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora : sed in natura incorporali sic intelligibilia præstò sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus : [3] ut sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. [4] Præsens *enim* est mentibus nostris, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt, *sicut alibi jam multoties fuit inculcatum.*

CAPUT CII.

DE VOLUNTATE, QUAM IN NOBIS DARI DEMONSTRATUR.

Quæro [5] *nunc iterum* abs te, *quod supra jam à te quæsitum est*, sitne aliqua nobis voluntas. [6] Visne hoc scire? *Si* hoc *nescis*, [7] nihil ergo deinceps me interroges, quia roganti tibi respondere non debeo nisi volenti scire quod rogas. Deinde nisi velis ad sapientiam pervenire, sermo tecum de hujusmodi rebus non est habendus. Postremò meus amicus

[1] Lib. 1, Retract., c. 8. — [2] L. 12, de Trinit., cap. 14. — [3] Ibid., c. 15. — [4] Lib. 1, Retract., cap. 4. — [5] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 12. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

esse non poteris, nisi velis ut bene sit mihi. Jam verò de te tu ipse videris, utrum tibi voluntas nulla sit beatæ vitæ tuæ. Negari *certè* non potest habere nos voluntatem.

CAPUT CIII.

QUID SIT, ET QUID APPETAT VOLUNTAS.

Porro [1] ab eo quod est velle voluntas, sicut ab eo quod est posse potestas nomen accepit. [2] Nobis autem, *velle seu* voluntas nostra notissima est. Neque enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa *seu velle,* nescirem.

Definitur itaque isto modo : voluntas, *seu velle*, est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum. Cur *enim* ita definire non possem ? An *est* difficile videre invitum volenti esse contrarium, ita ut contrarium sinistrum dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul et nigra et alba esse non potest : duorum autem in medio quisque positus, ad alterum sinister est, ad alterum dexter. Simul quidem utrumque unus homo potest ; sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo. Ita invitus et volens simul esse quidem unus animus potest; sed unum atque idem nolle simul et velle non potest. Cùm enim quisque invitus aliquid facit, si eum roges utrum id facere velit, nolle se dicit : item si roges utrum id velit non facere, velle respondet. Ita invitum ad faciendum, ad non faciendum autem volentem reperies : id est enim unum animum uno tempore habentem utrumque, sed aliud atque aliud ad singula referentem. Cur hæc dico? Quia si rursum quæramus quam ob causam id invitus faciat, cogi se dicet. Nam et omnis invitus faciens cogitur : et omnis qui cogitur, si facit, nonnisi invitus facit. Restat ut volens à cogente sit liber *(de qua libertate fusiùs alibi disserendum)*, etiamsi se quispiam cogi putet. Et hoc

[1] Lib. de Spiritu et lit., cap. 21. — [2] Lib. de Duabus animabus, cap. 10.

enim modo omnis qui volens facit, non cogitur; et omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit. Hæc cùm in omnibus hominibus, quos interrogare non absurdè possumus, à puero usque ad senem, à ludo litterario usque ad solium sapientis natura ipsa proclamet; cur ego tunc non viderem in definitione voluntatis ponendum esse : Cogente nullo, quod nunc quasi experientia majore cautissimus posui? At si hoc ubique manifestum est, et non doctrina, sed natura omnibus promptum : quid restat quod videatur obscurum, nisi fortè ullum lateat, aliquid nos velle cum volumus, et ad hoc moveri animum nostrum, idque aut habere nos aut non habere : et si haberemus, retinere velle; si non haberemus, acquirere? Quare aut non amittere, aut adipisci aliquid vult, omnis qui vult. Quamobrem, si omnia ista luce clariora sunt, sicuti sunt, neque meæ tantùm, sed notitiæ generis humani veritatis ipsius liberalitate donata, cur *omni prorsus* tempore dicere non possem : Voluntas est motus animi, cogente nullo, ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiscendum? [1]Hoc autem aliquid, aut bonum est, aut bonum putatur; non enim aliter appeti posset.

CAPUT CIV.

VOLUNTATEM NIHIL PRORSUS IGNOTUM APPETERE POSSE.

Sed et [2]rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest. [3]Nemo enim vult quod omnino quid vel quale sit nescit. [4]*Unde* diligenter intuendum est cujusmodi sit amor studentium, id est, non jam scientium, sed adhuc scire cupientium quamque doctrinam. Et in his quippe rebus, in quibus usitate dicitur studium, solent existere amores ex auditu, dum cujusque pulchritudinis famà ad videndum ac fruendum animus accenditur, quia generaliter novit corporum pulchritudines, ex eo quòd plurimas vidit, et

[1]Ibid., cap. 12. — [2]Lib. 10, de Trinit., cap. 1. — [3]Ibid., lib. 15, cap. 27. — [4]Ibid., lib. 10, cap. 1.

inest intrinsecùs unde approbetur, qui forinsecùs inhiatur. Quod cum fit, non rei penitùs incognitæ amor excitatur, cujus genus ita notum est. Cùm autem virum bonum amamus, cujus faciem non videmus, ex notitiâ virtutum amamus, quas novimus in ipsa veritate. Ad doctrinas autem cognoscendas, plerumque nos laudantium atque prædicantium accendit auctoritas : et tamen nisi breviter impressam cujusque doctrinæ haberemus in animo notionem, nullo ad eam discendam studio flagraremus. Quis enim sciendæ, verbi gratia, rhetoricæ ullam curam et operam impenderet, nisi antè sciret eam dicendi esse scientiam? Aliquando etiam ipsarum doctrinarum fines auditos expertosve miramur, et ex hoc inardescimus facultatem comparare discendo, qua ad eos pervenire possimus. Tanquam si litteras nescienti dicatur quamdam esse doctrinam, qua quisque valeat, quamvis longè absenti, verba mittere manu facta in silentio, quæ rursus ille, cui mittuntur, non auribus, sed oculis colligat, idque fieri videat ; nonne, dum concupiscit nosse quo id possit, omni studio circa illum finem movetur, quem jam notum tenet? Sic accenduntur studia discentium : nam quod quisque prorsus ignorat, amare nullo pacto potest. Ita etiam signum si quis audiat incognitum, veluti verbi alicujus sonum, quo quid significetur ignorat, cupit scire quidnam sit, id est, sonus ille cui rei commemorandæ institutus sit : veluti si audiat cùm dicitur temetum, et ignorans quid sit, requirat.

Jam itaque oportet ut noverit signum esse, id est, non esse inanem illam vocem, sed aliquid eâ significari : alioquin jam notum est hoc trisyllabum, et articulatam speciem suam impressit animo per sensum aurium. Quid amplius in eo requiratur, quo magis innotescat, cujus omnes litteræ, omniaque soni spatia nota sunt : nisi quia simul innotuit signum esse, movitque sciendi cupiditatem, cujus rei signum sit? Quo igitur amplius notum est, sed non planè notum est, eo cupit animus de illo nosse quod reliquum est. Si enim tantummodo esse istam vocem nosset, eamque alicujus rei signum esse non nosset, nihil jam quæreret de sensibili re, quantum poterat, sentiendo percepta. Quia verò

non solùm esse vocem, sed et signum esse jam novit, perfectè id nosse vult. Neque ullum perfectè signum noscitur, nisi cujus rei signum sit cognoscatur. Hoc ergo qui ardenti cura quærit ut noverit, studioque accensus insistit, num potest dici esse sine amore? Quid igitur amat? Certe enim amari aliquid nisi notum non potest. Neque enim ille istas tres syllabas amat, quas jam notas habet. Quòd si hoc in eis amat, quia scit eas significare aliquid; non inde nunc agitur (non enim hoc nosse quærit): sed in eo quod scire studet, quid amet inquirimus, quod profectò nondum novit; et propterea miramur cur amet, quoniam firmissimè novimus amari nisi nota non posse. Quid ergo amat, nisi quia novit atque intuetur in rationibus rerum quæ sit pulchritudo doctrinæ, qua continentur notitiæ signorum omnium: et quæ sit utilitas in ea peritia, qua inter se humana societas sensa communicat, ne sibi hominum cœtus deteriores sint quavis solitudine, si cogitationes suas colloquendo non misceant? Hanc ergo speciem decoram, et utilem cernit anima, et novit, et amat: eamque in se perfici studet, quantum potest, quisquis vocum significantium quæcumque ignorat, inquirit. Aliud est enim quod eam in veritatis luce conspicit; aliud quod in sua facultate concupiscit. Conspicit namque in luce veritatis quàm magnum, et quàm bonum sit omnes omnium gentium linguas intelligere ac loqui, nullamque ut alienigenam audire, et à nullo ita audiri. Cujus notitiæ decus cogitatione jam cernitur, amaturque res nota; quæ ita conspicitur, atque inflammat studia discentium, ut circa eam moveantur, eique inhient in omni opera, quam impendunt consequendæ tali facultati, ut etiam usu amplectantur quod ratione prænoscunt: atque ita quisque, cui facultati spe propinquat, ei ferventiùs amore inardescit. Eis doctrinis quippe studetur vehementiùs, quæ capi posse non desperantur. Nam cujus rei adipiscendæ spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quàm pulchra sit videat.

Quocirca, quia omnium linguarum scientia ferè ab omnibus desperatur, suæ gentis quisque maximè studet, ut

noverit. Quod si et illi ad perfectum percipiendæ se non sufficere sentit, nemo tamen tam desidiosus est hujus notitiæ, qui non, cum audierit incognitum verbum, velit nosse quid illud sit, et si potest, quærat ac discat. Quod dum quærit, utique in studio discendi est, et videtur amare rem incognitam ; quod non ita est. Species namque illa tangit animum, quam novit et cogitat, in qua elucet decus consociandorum animorum in vocibus notis audiendis, atque reddendis : eaque accendit studio quærentem quidem quod ignorat, sed notam formam, quo id pertineat, intuentem et amantem. Itaque si quærenti, verbi gratia, quid sit temetum (hoc enim exempli causa posueram), dicatur : Quid ad te pertinet? respondebit : Ne fortè audiam loquentem, et non intelligam, aut uspiam fortè id legam, et quid scriptor senserit, nesciam. Quis tandem huic dicat : Noli intelligere quod audis, noli nosse quod legis? Omnibus enim ferè animis rationalibus in promptu est ad videndum hujus peritiæ pulchritudo, qua hominum inter se cogitata, significantium vocum enunciatione noscuntur. Propter hoc notum decus, et ob hoc amatum quia notum, studiosè quæritur verbum illud ignotum. Itaque cùm audierit atque cognoverit temetum à veteribus vinum appellatum, sed jam ex usu loquendi quem nunc habemus, hoc vocabulum emortuum, propter nonnullos fortasse veterum libros sibi necessarium deputabit. Si autem et illos supervacaneos habet, fortè jam nec dignum quod memoriæ commendet existimat, quia videt ad aliam speciem doctrinæ, quam notam mente intuetur atque amat, minimè pertinere.

Quamobrem omnis amor studentis animi, hoc est, volentis scire quod nescit, non est amor ejus rei quam nescit, sed ejus quam scit, propter quam vult scire quod nescit. Aut si tam curiosus est, ut non propter causam aliam notam, sed solo amore rapiatur incognita sciendi; discernendus quidem est à studiosi nomine iste curiosus; sed nec ipse amat incognita, imo congruentiùs dicitur : Odit incognita, quæ nulla esse vult, dum vult omnia esse cognita. Sed ne quisquam nobis difficiliorem referat

quæstionem, asserens tam non posse quemquam odisse quod nescit, quàm non potest amare quod nescit, non resistimus veris : sed intelligendum est, non hoc idem dici cum dicitur : Amat scire incognita, ac si diceretur : Amat incognita. Illud enim fieri potest, ut amet quisque scire incognita : ut autem amet incognita, non potest. Non enim frustra ibi est positum : Scire ; quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat ; quod nisi haberet cognitum, neque scire se quisquam posset fidenter dicere, neque nescire. Non solùm enim qui dicit : Scio, et verum dicit, necesse est ut quid sit scire, sciat ; sed etiam qui dicit : Nescio, idque fidenter et verum dicit, et scit verum se dicere, scit utique quid scit scire : quia et discernit ab sciente nescientem, cum veraciter se intuens dicit : Nescio ; et cum ipse scit se verum dicere, unde sciret, si quid sit scire, nesciret?

Quilibet [1] igitur studiosus, quilibet curiosus, non amat incognita, etiam cum ardentissimo appetitu instat scire quod nescit. Aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse expetit, etiam in aliqua re singula, vel in singulis rebus, quæ illi nondum notæ fortè laudantur, fingitque animo imaginariam formam qua excitetur in amorem. Unde autem fingit, nisi ex iis quæ jam noverat? Cujus tamen formæ animo figuratæ atque in cogitatione notissimæ, si eam, quæ laudabatur, dissimilem invenerit, fortasse non amabit. Quod si amaverit, ex illo amare incipiet ex quo didicit. Paulò antè quippe alia erat quæ amabatur, quam sibi animus formans exhibere consueverat. Si autem illi formæ similem invenerit quam fama prædicaverat, cui verè possit dicere : Jam te amabam ; nec tunc utique amabat incognitam, quam in illa similitudine noverat. Aut in specie sempiternæ rationis videmus aliquid et ibi amamus, quod cum expressum in aliqua rei temporalis effigie, illis qui experti sunt laudantibus et credimus, et amamus, non aliquid amamus incognitum, unde jam suprà satis disse-

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 2.

ruimus : aut aliquid notum amamus, propter quod ignotum aliquid quærimus; cujus ignoti amor nequaquam nos tenet, sed illius cogniti, quo pertinere novimus, ut illud etiam, quod adhuc ignotum quærimus, noverimus; sicut de incognito verbo paulò antè locutus sum. Aut ipsum scire quisque amat, quod nulli scire aliquid cupienti esse incognitum potest. His causis videntur amare incognita, qui scire aliquid volunt quod nesciunt, et propter ardentiorem quærendi appetitum sine amore esse dici non possunt. Sed quam se res aliter habeat, neque omnino quicquam ametur incognitum, arbitror me persuasisse verum diligenter intuentibus. [1] *Unde* et voluntatem de cogitatione procedere *tenendum est.*

[1] Lib. 15, de Trinit, cap. 27.

PARS QUINTA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS

DE MORALI PHILOSOPHIA.

CAPUT I.

ETHICAM SEU MORALEM PHILOSOPHIAM ESSE PARTEM PHILOSOPHIÆ, QUÆ VERSATUR CIRCA DEUM, UT EST ORDO VIVENDI ET BONUM AD QUOD REFERENDA SUNT OMNIA CÆTERA BONA, UT BEATITUDINEM ASSEQUAMUR.

De [1]moribus agitur [2]et de summo bono, sine quo fieri homo beatus non potest, seu [3]de fine boni, ad quem cuncta quæ agimus referre debemus. [4]Quærimus quinam vitæ modus sit tenendus, ut beatitudinem possimus adipisci. [5]Est enim philosophiæ pars moralis, quam græco vocabulo dicunt ἠθικὴν [6]quæ ad mores instituendos pertinet, [7]ubi *etiam* quæritur de summo bono, quò referentes omnia quæ agimus, et quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes, idque adipiscentes, nihil quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus, ipsum autem nonnisi propter ipsum.

Undè cum [8]in Deo inveniatur ordo vivendi [9]bonumque nostrum, sive [10]felicitas ac summa vitæ, [11]finis omnium actionum, [12]finisque boni quo quisque cum pervenerit beatus est, [13]ad moralem philosophiæ partem *Deus ea*

[1] Lib. de Morib. Eccles., cap. 5. — [2] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 3. — [3] Ibid., lib. 11, cap. 25. — [4] Lib. de Mor. Eccles., cap. 5. — [5] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 8. — [6] Ibid., cap. 4 — [7] Ibid., cap. 8. — [8] Ibid., cap. 4. — [9] Ibid., cap. 9. — [10] Ibid. — [11] Ibid., cap. 4. — [12] Ibid., cap. 3. — [13] Ibid., cap. 4.

ratione spectatus, qua nimirum ordo vivendi, bonumque nostrum est, velut proprium ejus objectum intelligitur pertinere.

Ratione [1] igitur quæramus quemadmodum sit homini vivendum, [2] fruensque Deo sit beatus qui Deum amaverit.

CAPUT II.

BEATITUDINEM AB OMNIBUS PRORSUS HOMINIBUS APPETI ; ET ITA QUIDEM, UT NIHIL NISI PROPTER IPSAM APPETATUR, OMNIUMQUE PROINDE ALIARUM VOLUNTATIS APPETITIONUM PROPRII FINES AD IPSAM REFERANTUR.

Beatè [3] certè omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam planè sit emissa, consentiat. [4] Beatos esse se velle, omnes in corde suo vident, tantaque est in hac re naturæ humanæ conspiratio, ut non fallatur homo qui hoc ex animo suo de animo conjicit alieno. Omnes id velle nos novimus, [5] unde nec ipse (cum Academicis omnia dubia sint) Academicus ille Cicero dubitavit, qui cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium : « Beati certè, inquit, omnes esse volumus. » Absit ut hoc falsum esse dicamus : [6] tam perspecta *est*, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle. [7] Quis est qui non hoc audito erigat se? Amant enim omnes beatitudinem, quam nemo est qui non expetat. [8] Quis enim unquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui esse nolit beatus ? [9] Ex naturali *scilicet* instinctu beatos esse velle inest omnibus. Ad id [10] natura compellit, cui summè bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc. [11] Quicquid aliud quisquam

[1] Lib., de Mor. Eccles., cap. 3. — [2] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9. — [3] Lib. de Mor. Eccles., cap. 3. — [4] Lib. 13, de Trinit., cap. 20. — [5] Ibid., cap. 4. — [6] Ibid., cap. 8. — [7] In Psalm. 32. — [8] In Psalm. 118. — [9] Serm. 37, de Tempore. — [10] Lib. 13, de Trin., cap. 8. — [11] Lib. 13, de Trin., cap. 3.

latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit. [1]Quid est *enim* hoc quod si quæratur a duobus, utrum militare velint, fieri posset ut alter eorum velle se, alter nolle respondeat : si autem ab eis quæratur, utrum beati esse velint, fieri possit ut uterque statim se sine ulla dubitatione dicat optare; nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi ut beati sint?

Verum [2]*igitur* est quod omnes homines beati esse volunt, idque unum ardentissimo amore appetunt, et propter hoc cætera quæcumque appetunt. [3]Depellendæ *siquidem* miseriæ causa, et acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes quicquid vel boni faciunt vel mali; *sicque illud beatitudo est*, [4]propter quod cætera et quod præ cæteris *quisque* diligit.

Omnes [5]*enim* voluntates, *seu volitiones*, suos *quidem* proprios fines habent; *sed* qui referuntur ad finem illius voluntatis *seu volitionis*, qua volumus beatè vivere et ad eam pervenire vitam, quæ non referatur ad aliud, sed amanti per seipsam sufficiat.

CAPUT III.

VARII PHILOSOPHORUM ERRORES CIRCA BEATITUDINEM EXPLICANTUR; QUORUM ALII A CORPORE, ALII AB ANIMO, ALII AB UTROQUE BEATIFICUM BONUM IN HOMINE ESSE DOCUERUNT.

Hic [6]fortasse jam quæras quid sit ipsa beata vita. In quâ quæstione multorum Philosophorum ingenia otiaque contrita sunt. [7]De finibus enim bonorum et malorum multa et multipliciter inter se Philosophi disputarunt, quam quæstionem maxima intentione versantes, invenire conati sunt quid efficiat hominem beatum, *sicque* [8]studendo, quærendo,

[1] Lib. 10, Confess., cap. 21. — [2] Lib. 13, de Trin., c. 5. — [3] In Psalm. 32. — [4] Lib. 13, de Trin., cap. 8. — [5] Lib. 11, de Trinit., cap. 6. — [6] Epist. 121. — [7] Lib. 19, de Civit. Dei, c. 1. — [8] Tract., de Epic. et Stoic., c. 3.

disputando, vivendo appetiverunt apprehendere vitam beatam; [1] qui tamen eam tanto minus invenire potuerunt, quanto minus ejus fontem honoraverunt, eique gratias non egerunt.

Nec [2] tamen eos, quamvis diversis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent et malorum. [3] Beatificum *enim* bonum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque in homine esse dixerunt. Videbant quippe ipsum hominem constare ex animo et corpore, et ideo ab alterutro istorum duûm, aut ab utroque bene sibi esse posse credebant, finali quodam bono, quo beati essent, quò cuncta quæ agebant referrent : atque id cùm forent adepti, quò referendum esset, ultrà non quærerent. Unde illi qui dicuntur addidisse tertium genus bonorum, quod appellatur extrinsecum , sicuti est honor, gloria, pecunia, et si quid hujusmodi : non sic addiderunt, ut finale esset, id est, propter seipsum appetendum, sed propter aliud ; bonumque esse hoc genus bonis , malum autem malis.

Ii [4] ergo qui beatam vitam hominis in homine posuerunt, alibi ponere omnino non potuerunt, nisi aut in corpore, aut in anima. [5] Nam nihil est in homine, quod ad ejus substantiam pertinet atque naturam, præter corpus et animam ; *sicque* [6] aut anima aut corpus est causa beatæ vitæ. Si amplius quæris ab homine recedis, *quia* [7] nihil restat præter corpus et animam quantum ad hominem pertinet, si ab illo sibi est beata vita.

Sed [8] *ista* quid ad nos, qui potius de rebus ipsis judicare debemus, quam pro magno de hominibus quid quisque senserit scire ?

[1] Epist. 121. — [2] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 1. — [3] Ibid., lib. 8, cap. 8. — [4] Tract. de Epic. et Stoic., cap. 4. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 3.

CAPUT IV.

BEATUM NEQUE ILLUM DICI POSSE, QUI NON HABET QUOD AMAT, QUALECUMQUE SIT; NEQUE QUI HABET QUOD AMAT, SI NOXIUM SIT; NEQUE QUI NON AMAT QUOD HABET, ETIAM SI OPTIMUM SIT : SED EUM DUNTAXAT QUI HOMINIS OPTIMO FRUITUR.

Nemo *certè* [1] beatus est, qui eo quod amat non fruitur. Nam et ipsi qui res non amandas amant, non se beatos esse amando putant, sed fruendo. *Prorsus* [2] evidentior miseria est, qua homo non vivit ut vult.

Jam verò [3] attende, utrum acquiescendum sit eis qui dicunt eum beatum esse qui secundum suam vivit voluntatem. Sed absit ut hoc verum esse credamus. Quid si enim nequiter velit vivere?

Longius [4] *certè* ab illa *vita beata* est quicumque adipiscitur malè concupita, quàm qui non adipiscitur concupita; cum potiùs eligi debuerit voluntas bona, atque præponi, etiam non adepta quæ appetit. Propinquat enim beato qui benè vult quæcumque vult, et quæ adeptus cum fuerit, beatus erit. Et utique non mala, sed bona beatum faciunt, quando faciunt : quorum bonorum habet aliquid jam, idque non parvi æstimandum, eam ipsam scilicet voluntatem bonam, qui de bonis quorum capax est humana natura, non de ullius mali perpetratione vel adeptione gaudere desiderat; et bona, qualia et in hac misera vita esse possunt, prudenti, temperanti, forti, et justa mente sectatur, et quantum datur assequitur; ut etiam in malis sit bonus, et finitis malis omnibus atque impletis bonis omnibus sit beatus. [5] Nonne *igitur homo* tantò miserior esse convincitur, quantò facilius mala ejus voluntas impletur? Meritò hanc sententiam etiam ipsi, qui sine cultu Dei philosophati sunt, respuerunt. Nam quidam eorum vir eloquentissimus ait : « Ecce autem alii non Philosophi quidem, sed

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9. — [2] Ibid., lib. 14, cap. 24. — [3] Epist. 121. — [4] Lib. 13, de Trinit., cap. 6. — [5] Epist. 121.

prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos qui vivunt ut ipsi velint. Falsum id quidem est; velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum : nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. » Quid tibi videtur? hæc verba nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominem dicta sunt? Possumus ergo hìc dicere quod Apostolus ait de quodam propheta Cretensi, cùm ejus illi sententia placuisset : Testimonium hoc verum est. [1] Quis namque ita sit mente cæcus, et ab omni luce decoris alienus, ac tenebris dedecoris involutus, ut eum qui nequiter vivit ac turpiter, et nullo prohibente, nullo ulciscente, et nullo saltem reprehendere audente, insuper et laudantibus plurimis, quoniam sicut ait Scriptura divina : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ : et qui iniqua gerit, benedicitur*, implet omnes suas facinorosissimas et flagitiosissimas voluptates, ideo beatum dicat, quia vivit ut vult: cùm profectò quamvis et sic miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperàm voluisset, habere potuisset? Mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur: sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.

Omnes [2] itaque beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt continuò sint beati, *id est* [3] quamvis nec continuò beatus sit, qui eo fruitur quod amat: [4] continuo autem miseri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. [5] Multi enim amando ea, quæ amanda non sunt, miseri sunt et miseriores cum fruuntur. *Hinc* [6] ait *Cicero* : « Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui vivant ut ipsi velint : » hoc est quod nos diximus : Ut quosque delectat. Sed mox ille subjecit : « Falsum id quidem. »

Ita [7] beatus non, est nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult malè. [8] Sed nec ista beata est vita, quæ talis est,

[1] Lib. 13, de Trinit., cap. 5. — [2] Lib. 13, de Trinit., cap. 5. — [3] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 9. — [4] Lib. 13, de Trin., cap. 5. — [5] Lib. 8, de Civit. Dei, c. 8. — [6] Lib. 13, de Trinit., c. 5. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 8.

ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? [1] Quomodo erit vera illa tam perspecta, *ut suprajam diximus,* tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt. [2] Beata *certè* vita si non amatur, non habetur? [3] Non enim beatus est, a quo ipsa beata vita non amatur, ut digna est, *quæ* [4] cæteris omnibus rebus excellentius necesse est ametur, quoniam propter hanc amandum est quicquid aliud amatur.

Beatus [5] igitur, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur: et qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria et beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt. Nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat; cum id quod est hominis optimum, et amatur, et habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præstò habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beatè vivere cogitamus.

CAPUT V.

HOMINIS OPTIMUM, QUO FRUENS HOMO BEATUS EFFICITUR NON ESSE ALIQUID VEL HOMINE DETERIUS, VEL HOMINI ÆQUALE, SI QUID HOMINE DETUR EXCELLENTIUS, CUJUS IPSE SIT CAPAX ET QUOD INVITUS NON AMITTAT.

Sequitur [6] ut quæramus quid sit hominis optimum, quod profectò deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis

[1] Lib. 13, de Trinit., cap. 8. — [2] Lib. 14, de Civ. Dei, c. 25. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Lib. de Mor. Eccles., cap. 3. — [6] Ibid.

enim quod seipso est deterius sequitur, fit et ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine deterius hominis optimum. Fortasse tale aliquid erit, quale ipse homo est? Ita sit sanè, si nihil est homine melius, quo perfrui possit. Si autem invenimus aliquid quod et homine sit excellentius, et præstò esse amanti sese homini possit; quis dubitaverit homini ad id nitendum esse ut beatus sit, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Nam si id est beatum esse, ad tale bonum pervenisse quo amplius non potest, id est autem quod dicimus optimum; quo tandem pacto potest in ea definitione includi, qui ad summum bonum suum nondum pervenerit? Aut quomodo summum est, si est aliquid melius quò pervenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet quod non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest?

CAPUT VI.

DARI ALIQUID HOMINE PRÆSTANTIUS, CUJUS IPSE CAPAX EST, ET QUOD INVITUS NON AMITTIT, UT PATET EX VERITATE PRORSUS IMMUTABILI REGULARUM ILLARUM, QUÆ DICI SOLENT ÆTERNÆ VERITATIS; IDQUE NIHIL ALIUD ESSE QUAM IPSUM DEUM.

Quæramus [1] igitur quid sit homine melius. Quod profectò invenire difficile est, nisi prius considerato ac discusso quid sit ipse homo. [2] Sive enim utrumque (corpus et anima), sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul et animæ, aut soli animæ optimum est, id est optimum hominis. [3] Inveniendum igitur est, si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in

[1] Ibid., cap. 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 5.

suo genere quàm potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profectò quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

Credo [1] te non negare studendum esse sapientiæ, atque hoc verum esse concedere. Prorsus non dubito. Hoc item verum, et unum esse, et omnibus qui hoc sciunt, ad videndum esse, commune, quamvis unusquisque id nec meâ, nec tuâ, nec cujusquam alterius, sed suâ mente conspiciat, cum id quod conspicitur, omnibus conspicientibus communiter præsto sit, numquid negare poterimus? Nullo modo. Item, justè esse vivendum, deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum, et tam mihi quàm tibi, atque omnibus, id videntibus præsto esse communiter? Assentior. Quid? incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili, poteris negare? Quis potest? Hoc ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cum incommutabiliter contemplandum adsit omnibus qui hoc contemplari valent? Nullus hoc verè dixerit suum esse proprium, cùm tam sit unum atque omnibus commune quàm verum est. Item à corruptione avertendum animum, atque ad incorruptionem convertendum esse, id est non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis cum verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, communiter præsto esse videat? [2]Quàm ergo veræ et incommutabiles sunt regulæ numerorum ([3]septem enim et tria decem sunt; et non solum nunc, sed etiam semper; neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem; [4]nec si omnis iste mundus concidat, poterit ista ratio non esse; ista enim semper talis est). [5]Tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc sigillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas; easque omnibus

[1] Lib. 2, de Lib. arbit., cap. 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 8. — [4] Lib. 2, de Ordine, cap. 19. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10.

qui hoc intueri valent, communes ad contemplandum adesse concedis.

Quapropter[1], nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem; quam non possis dicere tuam vel meam, vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum, et publicum lumen præsto esse ac se præbere communiter. [2]Ipsa *autem* ratio, cum modò ad verum pervenire nititur, modo non nititur, et aliquando pervenit, aliquando non pervenit, mutabilis esse profecto convincitur.

Hæc[3] igitur lex omnium artium (*seu veritas*) cum sit omnino incommutabilis, mens verò humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. [4]Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse : et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, et ars omnipotentis artificis.

CAPUT VII.

CONCLUDITUR SUMMUM ET BEATIFICUM HOMINIS BONUM IN DEO SOLO, NON AUTEM IN ULLA RE CREATA, REPERIRI.

Ecce[5] tibi est ipsa veritas : amplectere illam si potes, et fruere illa; *et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Quid enim petis amplius quàm ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussà et incommutabili et excellentissimà veritate? An verò clamant homines beatos se esse, cum pulchra corpora magno desiderio concupita, sive conjugum, sive etiam meretricum amplexantur; et nos

[1] Ibid., cap. 12. — [2] Ibid., cap. 6. — [3] Lib. de Vera Relig., cap. 30. — [4] Ibid., cap. 31. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 13.

in amplexu veritatis beatos esse dubitamus? Clamant homines se beatos esse, cum æstu aridis faucibus ad fontem abundantem salubremque perveniunt, aut esurientes prandium cœnamve ornatam copiosamque reperiunt : et nos negabimus beatos esse, cùm irrigamur pascimurque veritate? Solemus audire voces clamantium se beatos, si jaceant in rosis aliisque floribus, vel etiam unguentis odoratissimis perfruantur: quid fragrantius, quid jucundius inspiratione veritatis? Et dubitamus nos cum ab illa inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum et nervorum et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt, se miseros judicant, cum autem adsunt, efferuntur lætitiâ : et nos cum mentibus nostris sine ullo strepitu, ut ita dicam, canorum et facundum quoddam silentium veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, et tam certa et præsente non fruimur? Luce auri et argenti, luce gemmarum et aliorum colorum, sive ipsius lucis quæ ad hos oculos pertinet, sive in ignibus terrenis, sive in stellis vel luna, vel sole, claritate et jucunditate delectati homines, cum ab ista lætitia nullis molestiis, nulla indigentia revocantur, beati sibi videntur, et propter hæc semper volunt vivere : et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? Imo vero quoniam in veritate cognoscitur et tenetur summum bonum, eaque veritas sapientia est, cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono. Hæc enim veritas ostendit omnia bona, quæ vera sunt, quæ sibi pro suo captu intelligentes homines, vel singula, vel plura eligunt, quibus fruantur. Sed quemadmodum illi qui in luce solis eligunt quod libenter aspiciant, et eo aspectu lætificantur; in quibus si qui forte fuerint vegetioribus sanisque et fortissimis oculis præditi, nihil libentius quam ipsum solem contuentur, qui etiam cætera quibus infirmiores oculi delectantur, illustrat : sic fortis acies mentis et vegeta cum multa vera et incommutabilia certa ratione conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, qua cuncta monstrantur, eique inhærens tanquam obliviscitur cætera, et in illa simul omnibus fruitur. Quicquid enim jucundum est in

cæteris veris, ipsâ utique veritate jucundum est. Hæc est libertas nostra, cùm isti subdimur veritati : et ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est à conditione peccati. Ipsa enim Veritas etiam homo cum hominibus loquens, ait credentibus sibi : *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Nullâ enim re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate.

Nemo [1] autem securus est in iis bonis quæ potest invitus amittere : veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus : non enim locis separari ab ea quisquam potest, sed ea quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. Habemus igitur qua fruamur omnes æqualiter atque communiter : nullæ sunt angustiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit, et omnibus communis est, et singulis casta est. Nemo alicui dicit : Recede, ut etiam ego accedam ; remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, idipsum omnes tangunt. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur : nihil de ipsa bibis quod ego non possim. Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid ; sed quod tu de illa capis, et mihi manet integrum. Quod te inspirat, non exspecto ut reddatur abs te, et sic ego inspirer ex eo : non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius, aut quorumdam proprium, sed simul omnibus tota est communis. Minùs ergo ea quæ tangimus, vel quæ gustamus, vel quæ olfacimus, huic sunt veritati similia, sed magis ea, quæ audimus et cernimus : quia et omne verbum à quibus auditur, totum auditur ab omnibus, et simul à singulis totum. Et species omnis quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta et ab alio simul. Sed multum longo intervallo sunt ista similia : nec tota enim simul sonat quælibet vox, quia per tempora tenditur et producitur, et aliud ejus prius sonat, aliud posterius : et species omnis visibilis tanquam intumescit per locos, nec ubique tota est. Et certè omnia

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 14.

hæc auferuntur invito, et quominùs eis frui possimus, quibusdam impedimur angustiis. Nam et si posset esse cujusquam suavis cantus sempiternus, et studiosi ejus certatim ad eum audiendum venirent, coarctarent sese, atque pugnarent de locis, quantò plures essent, ut cantanti esset quisque propinquior, et in audiendo nihil tenerent manere secum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur. Solem autem istum si vellem intueri, atque id pertinaciter possem; et in occasu me desereret, et subvelaretur nubilo, et multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum invitus amitterem. Postremò etiam si adesset semper suavitas, et lucis videnti, et vocis audienti, quid magnum ad me perveniret, cùm mihi esset commune cum belluis? At illa veritatis et sapientiæ pulchritudo, tantùm adsit perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbrâ intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. De toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna : nullo loco est, nusquam deest : foris admonet, intus docet : cernentes se commutat omnes in melius, à nullo in deterius commutatur : nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat benè. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quæ ab ipsa una fiunt singulæ sapientes, et non de ipsa, sed per ipsam de cæteris judices, sine dubitatione esse potiorem.

Ita [1] *quoniam* est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus ; et est natura per locos nullo modo, sed tantùm per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima; et est natura quæ nec per locos nec per tempora mutari potest; hoc Deus est. Quod hìc insinuavi quoquo modo mutabile, creatura dicitur; quod immutabile, Creator. Cùm autem omne quod esse dicimus, inquantum manet dicamus, et inquantum unum est, omnis porrò pulchritudinis forma unitas sit : vides profectò in ista distributione naturarum, quid summè sit, quid infimè, et tamen sit; quid mediè,

[1] Epist. 63.

majusque infimo, et minus summo sit. Summum illud est ipsa beatitas. Infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum. Quod verò medium, vivit inclinatione ad infimum, miserè ; conversione ad summum, beatè vivit. Qui Christo credit, non diligit infimum, non superbit in medio, atque ita summo inhærere fit idoneus; et hoc est totum quod agere jubemur, monemur, accendimur: [1] quia nec ipsa sibi *anima*, nec ei quicquam sufficit recedenti ab illo qui solus sufficit.

Hoc [2] *certè* scio, quia malè mihi est præter te, *Domine*, non solum extra me, sed et in me ipso : Et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. [3] Non enim satiat animam, cui vera et certa sedes est æternitas. [4] Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus se ipsam esse meliorem. Quæ tamen cùm etiam se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit supra se esse incommutabilem veritatem : atque ita adhærens post ipsam, sicut dictum est : *Adhæsit anima mea post te* ; beata efficitur. [5] Nemo *enim* beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur.

[6] Quære ergo quid habeas, ut beatus sis. Cum enim beatus fueris, melior utique eris, quàm cùm miser es. Fieri autem non potest, ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est quicquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corpora quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Tu melior es, tu potior es : et utique vis melior esse quàm es, cùm beatus esse vis, quia miser es. Melius est enim utique beatum esse, quam miserum. Vis esse melior te : et quæris, perquiris per quæ id fiat, deteriora te. Quicquid quæsieris in terra, deterius est quam tu. Hoc omnis homo optat amico suo, sic eum adjurat : sic melior sis, sic meliorem te videamus, sic de te meliore gaudeamus. Quod amico optat,

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 5. — [2] L. 13, Confess., cap. 8. — [3] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 38. — [4] Lib. 83, qq. q. 45. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 9. — [6] In Psal., 32.

hoc et ipse vult. Accipe ergo fidele consilium. Melior te vis esse, novi, omnes novimus, omnes volumus : quære quod est melius te, ut inde efficiaris melior te. Intuere nunc cœlum et terram : non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, ut eis fieri beatus velis. In animo est quod quæris. Beatus enim esse vis. Ipso animo tuo quære quid sit melius. Cùm enim duo sint quædam, hoc est, animus et corpus, eo quod istis duobus illud melius sit quod animus dicitur, potest corpus tuum melius fieri per meliorem, quia subjectum est corpus animo. Potest ergo melius fieri corpus tuum per animum tuum : ut cum fieri justus animus tuus, sit postea immortale etiam corpus tuum. Per animi enim illuminationem meretur corpus incorruptionem, ut fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum animus tuus est, quia corpore tuo melior est : cum quæris bonum tuum, illud quære quod melius est animo tuo. Quid est autem animus tuus? Attende ne fortè contemnens animum tuum, et putans nescio quid esse vile et abjectum, viliora quæras quibus beatificetur animus tuus. In animo tuo est imago Dei, mens hominis capit eam. [1]Jam superest, ut quæras quid sit melius quàm animus tuus. Quid erit obsecro nisi Deus tuus? Non invenis aliud melius animo tuo : quia cum fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Jam supra non est nisi Creator. [2]Pete aliud, si melius inveneris. [3]Compesce iniquitatem, audi veritatem : *Beata gens cujus est.* Quid ? Jam nostis quid dicturus sum. Ergo desiderate ut habeatis, tunc demum beati eritis. Hoc solo beati eritis : re meliore quam vos estis, meliores eritis. Deus est, inquam, melior te, qui fecit te. *Beata gens cujus est Dominus Deus eorum.* Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis. [4]Aurum etsi volueris, fortè non habebis : Deum cum volueris, habebis.

Nunc [5]*ergo* quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Quid enim, fratres mei, gaudere vultis in argento? Aut

[1]In Psalm. 32. — [2]Ibid. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]In Psalm. 84.

argentum perit, aut tu ; et nemo scit quid priùs : verumtamen illud constat, quia utrumque periturum est : quid priùs, incertum est. Nam nec homo hìc potest manere semper, nec argentum hìc potest manere semper : sic aurum, sic vestis, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremò lux ista. Noli ergo velle gaudere in istis ; sed gaude in illa luce quæ non habet occasum. [1] Delicias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. Quis potens minabitur auferre ? Quis vicinus malus, quis latro, quis insidiator tibi tollit Deum ? Et potest tibi tollere totum quod possides corpore, non tibi tollit eum quem possides corde.

CAPUT VIII.

EX EO QUOD BEATIFICUM HOMINIS BONUM SIT DEUS SOLUS, A QUO MULTORUM HOMINUM VOLUNTAS PER PECCATUM AVERTITUR, NULLATENUS SEQUI QUOD NON OMNES, QUÆ SIT, VEL UBI SIT, ID EST, IN QUO BONO REPERIATUR VERA BEATITUDO, PERCIPIANT, VEL VERAM BEATITUDINEM AMENT.

Non [2] ergo certum est quod omnes esse beati volunt, quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola beata vita est, non utique vitam beatam volunt. [3] Non igitur omnes beati vivere volunt, imò pauci hoc volunt, si non est beatè vivere, nisi secundum virtutem animi *de Deo gaudendo* vivere, quod multi nolunt.

An [4] fortè falsum est quod pro verissimo certissimoque posuimus beatè vivere omnes homines velle. [5] Itane falsum erit ?

Mirum [6] *profecto* est, cum capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta existat de ipsa beatitudine rursus varietas atque diversitas voluntatum : non quòd aliquis eam nolit, sed quòd non omnes eam norint. Si enim omnes eam nossent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi ; aliis, in corporis voluptate ;

[1] In Psalm. 84. — [2] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [3] Lib. 13, de Trin., c. 4. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

aliis, in utraque ; et aliis atque aliis, alibi atque alibi. Ut enim eos quæque res maximè delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam.

Quomodo igitur ferventissime amant omnes, quod non omnes sciunt ? Quis potest amare quod nescit ? Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? [1] Audimus nomen hoc, et rem ipsam omnes nos appetere fatemur. Non enim sono delectamur. Nam hoc cum latinè audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quid dictum sit ; nos autem delectamur, sicut etiam ille si græce hoc audierit : quoniam res ipsa nec græca nec latina est, cui adipiscendæ Græci Latinique inhiant, cæterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus , qui una voce si interrogari possent, utrùm beati esse vellent, sine ulla dubitatione, velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

An [2] fortè sciunt omnes ipsa quæ sit, sed non omnes sciunt ubi sit, et inde contentio est ?

Quasi vero de aliquo mundi hujus agatur loco ubi debeat quisque velle vivere qui vult beatè vivere ac non ita quæratur ubi sit beatitudo, sicut quæritur quæ sit ? Nam utique si in corporis voluptate est, ille beatus est qui fruitur corporis voluptate. Si in virtute animi, ille qui hac fruitur. Si in utraque, ille qui fruitur utraque. Cùm itaque alius dicit : Beatè vivere est voluptate corporis frui ; alius autem : Beatè vivere est virtute animi frui ; nonne aut ambo nesciunt quæ sit beata vita, aut non ambo sciunt ? Quomodo ergo ambo amant eam, si nemo potest amare quod nescit ?

Quid [3] igitur? an dicendum est etiamsi nihil sit aliud beatè vivere, quàm secundum virtutem animi vivere, tamen et qui hoc non vult, beatè vult vivere ? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale est enim ac si dicamus : Et qui non vult beatè vivere, beatè vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat, quis ferat ? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beatè velle vivere verum est, et non omnes sic volunt vivere, quomodo solum beatè vivitur.

[1] Lib. 10, Confess., c. 20. — [2] Lib. 13, de Trinit., cap. 4. — [3] Ibid.

An [1] fortè illud est quod nos ab his angustiis possit eruere, ut quoniam diximus ibi quosque posuisse beatam vitam quod eos maximè delectavit, ut voluptas Epicurum, virtus Zenonem; sic alium aliquid aliud, nihil dicamus esse beatè vivere, nisi vivere secundum delectationem suam, et ideò falsum non esse quòd omnes beatè vivere velint, quia omnes ita volunt ut quemque delectat? Nam et hoc populo si pronuntiatum esset in theatro, omnes id suis voluntatibus invenirent. Sed hoc quoque Cicero cum sibi ex adverso proposuisset, ita redarguit, ut qui hoc sentiant erubescant, *sicut supra jam ostendimus.*

Quapropter, [2] quoniam verum est quod omnes homines esse beati velint, nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit quod velle se scit; sequitur ut omnes beatam vitam sciant, *et ita quidem ut* [3] omnibus nota, omnibus chara sit, *quæ* [4] ex his duobus beata vita constat, *ut nempe* [5] beatus non *sit*, nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult malè.

CAPUT IX.

INSTINCTU NATURALI, QUO BEATITUDINEM OMNES APPETIMUS, DEUM IPSUM DETERMINATÈ ET IMMEDIATÈ POSSIDENDUM AB OMNIBUS AMARI, CLARISSIMÈ DEMONSTRATUR PRIMO, QUONIAM EO INSTINCTU, SUMMUM ILLUD BONUM DETERMINATÈ APPETIMUS, QUO ADEPTO BEATI EFFICIMUR.

Ex [6] naturali enim instinctu beatos esse velle inest omnibus. *Ad hoc* [7] natura compellit, cui summe bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc, [8] naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator. [9] Hoc natura expetit, nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepta quod expetit, [10] summum *scilicet* bonum quò cuncta referuntur. Eo enim fruendo quisque beatus est, propter quod cætera vult habere, cum illud jam non propter aliud,

[1] Lib. 13, de Trinit., cap. 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid., cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 5. — [6] Serm. 37, de Tempore. — [7] Lib. 13, de Trinit., cap. 8. — [8] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 13. — [9] Ibid., lib. 14, c. 25. — [10] Epist. 56.

sed propter seipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur, *ut supra jam docuimus.* [1]Finis enim boni appellatur, quò quisque cum pervenerit beatus est. [2]Summum igitur bonum *quod scilicet instinctu naturali appetimus*, est illud quo adepto potest fieri homo beatus ; quod [3]si nullo modo dari homini posset, frustra beatitudo quæreretur. [4]In rebus autem a Deo factis, tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit nisi Deus, *ut supra ostensum est.* [5]Deus igitur est summum bonum, *quò nimirum instinctu naturali voluntas inclinatur.*

CAPUT X.

IDEM PROBATUR SECUNDO, QUONIAM DEUS SOLUS EST IPSUM BONUM SEU BONUM UNIVERSALE, QUOD OMNES NATURALITER APPETUNT.

Summum [6]*profectò* bonum id est, quo superius esse nihil potest. Deus autem bonum, et superius Deo nihil esse potest. [7]Summum *itaque* bonum omnino et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus, aut credendus est Deus, si blasphemiis carere cogitamus. [8]Ecce *enim* vide si potes : [9]Bona est terra, bona animalia, bonus animus, boni Angeli, etc. Quid plura et plura? Bonum hoc et bonum illud : tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni ; [10]non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. [11]Quid *enim* hoc, nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus Angelus, aut bonum cœlum ; sed bonum bonum. Sic enim forte faciliùs advertitur quid velim dicere. [12]Cum itaque audis bonum hoc et bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona; si potueris sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum

[1] Lib. 8, de Civ. Dei, c. 3. — [2] Lib. 83 qq. q. 24. — [3] Lib. 13, de Trinit., cap. 7. — [4] Lib. de Nat. boni, cap. 7. — [5] Lib. de Duabus animabus, cap. 8. — [6] Ibid. — [7] Lib. de Morib. Manich., cap. 11. — [8] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid.

bonum, cujus participatione bona sunt (simul enim et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum) : si ergo potueris illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum.

CAPUT XI.

IDEM PROBATUR TERTIO, QUONIAM INCOMMUTABILIS AC ÆTERNA VERITAS, QUAM A DEO NON DISTINGUI SUPRA PROBAVIMUS, EST FINIS AD QUEM NATURALITER ORDINATUR INTELLECTUS.

Quid *etiam* [1] fortius desiderat anima quam veritatem, *id est ipsam* [2] lucem intelligentiæ, propter quam *eadem* rationalis anima facta est? [3] Credendum *enim* est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente Conditore, subjuncta, sic ista, [4] quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt, et propter æternitatem in qua sunt, et fuisse et esse et futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum, [5] videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in hac corporea luce circumadjacent; cujus lucis capax eique congruens est creatus, *unde* [6] sicut cæcitas oculi vitium est, et idem ipsum indicat ad lumen videndum oculum esse creatum, [7] membrum *scilicet* capax luminis (non enim alia causa esset vitium ejus carere lumine) : ita natura, quæ fruebatur Deo *ad id* se institutam docet etiam ipso suo vitio. [8] Nisi enim *ita* esset, profectò desertio Dei tanquam luminis sui malum ejus esse non posset.

[1] Tract. 26, in Joann. — [2] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 14. — [3] Lib. 12, de Trinit., cap. 15. — [4] Ibid., cap. 14. — [5] Ibid., cap. 15. — [6] Lib. 22, de Civit. Dei, c. 1. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

CAPUT XII.

IDEM PROBATUR QUARTO, QUONIAM INSTINCTUS ILLE NOBIS A DEO NATURALITER INDITUS NECESSARIO ESSET INORDINATUS, NISI AD DEUM IPSUM DETERMINATÈ TENDERET.

Fecit *certè* [1]Deus, sicut scriptum est, hominem, *quoad instinctum etiam naturalem*, rectum : ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. [2]Perversa *verò* voluntas est, qua inferiora diliguntur, seu *qua creatura intellectualis* [3]ab eo quod summè est, ad id quod minus est vergit, cum diligit pro ipso Creatore creaturam. [4]Ipse *profecto rectus est*, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. [5]Deus *autem* est nobis summum bonum, [6]propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter ipsum. [7]Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est. Quoniam omne quod ad aliud referendum est inferius est, quam id ad quod referendum est. *Unde* [8]fit homo iniquus, cum propter aliud appetit res propter seipsas diligendas, *id est*, *ipsum Deum*. Sic enim, quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, [9]quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat.

[1]Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 11. — [2]Lib. 2, de Lib. arb., c. 14. — [3]Lib. Contra Secund. Manich., cap. 15. — [4]Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 27. — [5]Lib. de Morib. Eccles., cap. 8. — [6]L. 19, de Civ. Dei, c. 19. — [7]Lib. 83, qq., q. 30. — [8]Lib. 22, Contra Faust., cap. 78. — [9]Ibid., cap. 30.

CAPUT XIII.

QUAMVIS CHARITAS SEU AMOR DEI ELECTIVUS ET SUPERNATURALIS, QUO PRIMUS HOMO CREATUS EST A DEO MORALITER BONUS ET RECTUS, EX GRATIA NON AUTEM EX IPSIS NATURÆ PRINCIPIIS PROFLUENS, PER ORIGINALE PECCATUM OMNINO PERIERIT : INSTINCTUM TAMEN ILLUM NATURALEM, QUA CREATURA INTELLECTUALIS IN IPSUM DEUM DETERMINATE FERTUR IDEOQUE NATURALITER BONA ET RECTA EST, IN NOBIS SEMPER REMANERE, IDQUE PROBATUR PRIMO, QUONIAM INSTINCTUS ILLE NATURALIS EST, IDEOQUE EX IPSA NATURA NECESSARIO FLUIT.

Quis [1] nescit, *inquies fortassis,* sanum, inculpabilem factum *primum hominem*, [2] qui *nempe* Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat, [3] quia nondum erat vitium, quo caro concupisceret adversus spiritum? [4] Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt, *cui experimur* [5] inesse peccati delectationem, quam peccatum *Apostolus* vocat, depravatâ scilicet ex prima transgressione naturâ, [6] resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, *seu* [7] in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis. [8] Adeo bona est instituta natura, sed per malam voluntatem a serpente vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpæ non naturæ, nobis propagatis factum est jam naturæ. *Et* [9] hinc apparet in quid *jam* velut pondere suo proclivis et prona sit vitiosa natura. *Ipsæ nimirum, quibuscum* [10] omnis filius Adam nascitur, libidines *sunt* consuetudines quædam et inclinationes animæ ad fruendum inferioribus, *quæ* [11], deserto *Deo*, incipit amare quod suum est, *seu* [12] deserto, cui debet inhærere, principio sibi quodammodo fieri atque esse

[1] Lib. de Nat. et grat., cap. 43. — [2] Lib. 1, Oper. imperf. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Nat. et grat. cap. 43. — [5] Lib. 10, de Genesi ad litt., c. 12. — [6] Lib. 3, de Lib. arb., c. 8. — [7] Lib. de Fide et symbol. cap. 10. — [8] Serm. 14, de Verbis Apostoli. — [9] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 22. — [10] Ibid. — [11] Lib. 2, de Genesi contra Manich., c. 16. — [12] Lib. 14, de Civit. Dei, c. 13.

principium, [1]ut ita inclinatus ad seipum *animus*[2] esse semetipso, hoc est, sibi, *præ cæteris omnibus*, placere *non desinat. Sic enim et angeli mali* [3] sua potestate delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt, *cum prius* [4] amor esset imperturbatus in Deum, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum.

Exsulavimus [5] *quidem* ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus et temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus. [6]Loquimur enim nunc de naturâ mentis humanæ, [7] non de *bona voluntate* atque itinere veritatis, qua *vita* immortalis acquiritur, et [8] quæ usitatiùs in Scripturis sacris charitas appellatur; cum *qua tum primi parentes*, *tum ipsi etiam Angeli*, facti sunt *a Deo*, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul in eis condens naturam, et largiens gratiam. [9]Hanc enim cum homo conderetur accepit, et peccando utique perdidit.

Sed [10] posteaquam præcepti facta trangressio est, confestim gratia deserente divina, *qua nempe* meritum *habebat primus homo* in adjuta divinitus voluntate recta : [11] non in eo tamen penitus exstincta est quædam velut scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. Neque enim damnando totum abstulit *Deus* quod *ei* dederat; quandoquidem ut ipsius *adhuc* natura subsistat, ille facit.

Multa [12] *certè* bona etiam in naturam peccato vitiatam supplicioque damnatam de bonitatis *divinæ* quodam veluti fonte manare *conspicimus. Sicùt ergo* [13]benedictionem illam, quam protulerat *Deus* ante peccatum, dicens: *Crescite et multiplicamini*, *et replete terram*, nec post peccatum voluit inhibere, mansitque in stirpe damnata donata fecunditas; nec illam vim mirabilem seminum, imo etiam mirabiliorem

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Ibid., lib. 12, c. 1. — [4] Ibid., lib. 14, c. 10. — [5] Lib. 4, de Trinit., cap. 1. — [6] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 24. — [7] Ibid. — [8] Ibid., lib. 14, cap. 7. — [9] Lib. 14, de Trinit., c. 15. — [10] Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 13. — [11] Ibid., lib. 22, cap. 24. — [12] Ibid. — [13] Ibid.

quâ efficiuntur et semina, inditam corporibus humanis, et quo dammodo intextam, peccati vitium potuit auferre, quo nobis impacta est etiam necessitas mortis : sed utrumque simul currit isto quasi fluvio atque torrente generis humani ; malum quod a parente trahitur, et bonum quod a creante tribuitur : *Ita*[1] trahitur *quidem* iniquitas ex Adam et [2] menti tamen *manet* quod ei naturaliter inditum est.

At[3] ex naturali instinctu beatos esse se velle inest omnibus ; *ad hoc*[4] natura compellit, cui summè bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc, *ut supra jam diximus* ; [5] in qua *proinde* necesse est permaneat beatè vivendi voluntas. *Unde*[6] utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus ; voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus, *quoniam*[7] inamissibilis *non est* voluntas pietatis et æquitatis, quomodo est felicitatis.

CAPUT XIV.

PROBATUR SECUNDO EADEM DOCTRINA EX EO QUOD NULLAM EXTRA DEUM REQUIEM INVENIRE POTEST INTELLECTUALIS CREATURA ; UNDE ET ÆTERNUS PERSEVERAT IN IPSIS ETIAM DAMNATIS EX ÆTERNA DEI AMISSIONE CRUCIATUS.

Avertendo[8] sese a summo bono amittit *quidem* animus ut sit bonus animus ; non autem amittit ut sit animus. [9] In anima *autem* hominis, id est rationali, sive intellectuali, *reperitur* imago creatoris, quæ immortaliter immortalitati ejus est insita. [10] Quamvis enim ratio vel intellectus nunc in ea sit sopitus, nunc parvus, nunc magnus appareat, nunquam nisi rationalis et intellectualis est anima humana : ac per hoc si secundum hoc facta est ad imaginem Dei, quod uti ratione atque intellectu ad intelligendum et conspiciendum Deum potest, profectò ab initio quo esse cœpit

[1] In Psalm. 50. — [2] Lib. 14, de Trinit., cap. 14. — [3] Serm. 37, de Temp. — [4] Lib. 13, de Trinit., c. 8. — [5] Lib. de Perfec. justit., c. 3. — [6] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 30. — [7] Ibid. — [8] Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [9] Ibid., lib. 14, cap. 4. — [10] Ibid., cap. 4.

ista tam magna et mira natura, sive ita obsoleta sit hæc imago, ut penè nulla sit, sive obscura atque deformis, sive clara et pulchra sit, semper est. Denique deformitatem dignitatis ejus miserans divina Scriptura : *Quanquam,* inquit, *in imagine Dei ambulat homo, tamen vane conturbatur: thesaurizat, et nescit cui congregabit ea.* Non itaque vanitatem imagini Dei tribueret, nisi deformem cerneret factam. Nec tantum valere illam deformitatem, ut auferat quod imago Dei est, satis ostendit dicendo: *Quanquam in imagine Dei ambulat homo.* Quapropter ex utraque parte veraciter pronuntiare potest ista sententia, ut quemadmodum dictum est : *Quanquam in imagine Dei ambulat homo; tamen vanè conturbatur;* ita dicatur : Quanquam vanè conturbatur homo, tamen in imagine Dei ambulat.

Dicimus[1] *igitur* eam, etsi amissa Dei participatione, obsoletam atque deformem, Dei tamen imaginem permanere.

Magna[2] *verò pœna* est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei. [3]Eo quippe ipso imago ejus est, quo ejus capax est, ejusque particeps esse potest (quod tam magnum bonum, nisi per hoc, quod imago ejus est, intelligi non potest), id est, [4]lucem incorpoream attingere *potest*, seu [5]lucem intelligentiæ propter quam anima rationalis facta est, *ut supra jam diximus.*

Quæ igitur[6] hoc accepit, ut possit summi boni adhærere naturæ, id si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est, unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni. Neque ullo modo fieri potest ut ita sit. [7]In seipsis *enim* malæ voluntates habent interiorem pœnam suam eamdem ipsam iniquitatem suam, *qua scilicet* [8]anima privatur Deo, quod [9]usque adeo bonum est eorum, quæ *ipsi* adhærere possunt, [10]ut sine illo misera esse necesse sit. *Unde* [11]cum causa

[1] Ibid., cap. 8. — [2] Lib. 3, Contra Julian., c. 3. — [3] Lib. 14, de Trinit., cap. 8. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27. — [5] Lib. 10, de Genesi ad lit., cap. 14. — [6] Ibid., lib. 8, cap. 14. — [7] Ibid., cap. 13. — [8] Lib. 13. de Civit. Dei, c. 12. — [9] Ibid., lib. 12, cap. 1. — [10] Ibid. — [11] Ibid., cap. 6.

miseriæ malorum angelorum quæritur, ea merito occurrit, quod ab illo qui summi est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt. [1] Hic primus defectus et prima inopia primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata est, ut nec summè esset, et tamen ad beatitudinem habendam eo qui summè est frui posset, a quo aversa non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret. [2] In tanta *siquidem* excellentia creata est, ut ei explendæ non sufficiat nisi Deus; *ac per hoc* [3] si a te *recesserit, Domine*, versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia : et tu solus requies, [4] quia fecisti nos ad te, et *ideo* inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. [5] Amant enim requiem, sive piæ animæ, sive iniquæ : [6] nec aliquid appetunt ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis. [7] Nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur; *quoniam* ita corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur. [8] Sicut ergo corpus tamdiu nititur pondere, sive deorsum versus, sive sursum versus, donec ad locum quò nititur veniens conquiescat : sic animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. [9] Et multa quidem *in creaturis* delectant; sed non est in eis æterna requies, nec diuturna. [10] Cum autem anima Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. [11] In illo *enim solo* quietis locum *habet*. [12] Scio quod non propriè dixerim locum; nam propriè dicitur in spatiis quæ corporibus occupantur : sed quia et ipsa corpora non manent in loco, nisi quo sui ponderis tanquam appetitu perveniunt, ut eo comperto requiescant; ideo non incongruenter à corporalibus ad spiritalia verbum transfertur, ut dicatur locus, cùm res ipsa plurimum distet; *quatenus nempe* [13] requies, quæ ubique amatur, in solo Deo sancta et certa invenitur.

[1] Lib. 12, de Civit. Dei., c. 6. — [2] Ibid., c. 1. — [3] Lib. 6, Confess., c. 16. — [4] Ibid., lib. 1, cap. 1. — [5] Epist. 119, cap. 10. — [6] Ibid. — [7] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 28. — [8] Epist. 116. cap. 10. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Lib. 4, de Genesi ad lit., c. 18. — [12] Ibid. — [13] Epist. 119, cap. 12.

Pœna [1] *igitur* est non esse in patria. [2]Nihilne mali de hac ipsa separatione *damnati* patientur? [3]Nullamne pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exsulare a regno Dei? [4]Responsurus es atque dicturus : Non solum magna non est, sed nullam omnino pœna est imaginis Dei, nunquam posse intrare in regnum Dei? Puto quod nec uni homini, cujus nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis.

Porro [5] autem, si pœnam saltem parvam fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei, [6]huic nostræ *concessio ista* sufficit causæ : *quia* [7]hoc per vitium tolli displicet, quod in natura *sua* placet, [8]nec est in carendo difficultas, nisi cum est *rei*, *qua quis caret*, habendæ cupiditas. [9]Animæ *siquidem* dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. [10]Hoc *autem* ipsum quod resistit ut doleat, quodammodo recusat non esse, *seu desiderat esse*, quod erat, quia bonum aliquod erat. *Unde sicut* [11]amor inhians habere quod amatur, cupiditas est ; id habens eoque fruens, lætitia : *ita* fugiens quod ei adversatur, timor est ; idque vero si acciderit sentiens, tristitia est? Quicquid [12]enim amamus et non habemus, necesse est ut doleamus : *Sicque* [13]frustrata cupiditas, sive non perveniendo quò tendebat, sive amittendo quò pervenerat, vertitur in dolorem. [14] *Ita enim* miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium ; et dilaniatur cum eas amittit et tunc sentit miseriam qua miser est et antequam amittat eas : [15] quia ex earum amissione tantùm necesse est urat dolor, quantum hæserat amor. *Ita* [16]plerumque cum adsunt nobis *aliqua*, putamus quod non ea diligamus : sed cum abesse cœperint, invenimus qui simus. Hoc enim *tantum* sine amore nostro

[1] Sermo 14, de Verbis Apostoli, cap. 5. — [2] Lib. 6, Cont. Julian., c. 10. — [3] Ibid., lib. 3, cap. 3. — [4] Ibid., lib. 5, cap. 1. — [5] Ibid., lib. 3, cap. 3. — [6] Ibid. — [7] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 4. — [8] Lib. 1, de Doctr Christ., cap. 31. — [9] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 13. — [10] Lib. de Natur. boni, c. 20. — [11] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 7. — [12] In Psalm. 37. — [13] Lib. 21, de Civ. Dei, cap. 3. — [14] Lib. 4, Confess., cap. 6 — [15] Lib. 21, de Civ. Dei, c. 26. — [16] Lib. de Vera Relig., cap. 47.

aderat, quod sine dolore discedit. *Sed* [1] amor ipse non sentitur esse, cum eum non prodit indigentia; quoniam non semper præsto est quod amatur. [2] Ita etiam cùm æternitas delectat superius, et temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima est non tota voluntate illud aut hoc volens; et ideo discerpitur gravi molestia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit. *Sic dicimus* uri dolore animi eos qui fuerint a regno Dei separati. [3] Amant enim omnes beatitudinem *sive summum bonum* : [4] et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur. *Sic enim* [5] peccatum *hanc* habet pedissequam pœnam suam, ut *anima de amisso bono* amaritudine doleat.

Nullum [6] itaque vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. [7] Neque enim Deus totum aufert quod naturæ dedit : sed aliquid adimit, aliquid relinquit, ut sit qui doleat quod adimit. [8] Quod beati esse, *id est summo bono frui*, omnes homines volunt, *naturæ* [9] summè bonus et immutabiliter beatus Creator indidit hoc. *Ac proinde* [10] adhuc est in natura damnata bonum illud, *propter* quod dolet amissum *superius* bonum. [11] Nam nisi bonum *illud* mansisset in natura, nullus boni *superioris* amissi dolor esset in pœna : *cum dolor non sit, nisi* [12] quoniam non præsto est quod amatur. *Sic* ipse dolor testimonium est boni adempti et boni relicti (*quia scilicet* [13] ista præclara et magna laude prædicanda voluntas est, qua summum appetitur bonum), [14] nisi enim bonum *illud* relictum esset, bonum *superius* amissum *natura* dolere non posset.

[1] Lib. 8, Confess., cap. 10. — [2] Lib. 21, de Civit. Dei, cap. 9. — [3] In Psalm. 32. — [4] Lib. de Mor. Eccles., cap. 3. — [5] Lib. de Contin., cap. 6. — [6] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 12. — [7] Ibid., cap. 13. — [8] Lib. 13, de Trinit., cap. 8. — [9] Ibid. — [10] Lib. 8, de Genesi ad litt., cap. 14. — [11] Lib. 10, de Trinit., cap. 12. — [12] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 12. — [13] Lib. de Duabus animabus, cap. 12. — [14] Lib. 19, de Civ. Dei, cap. 12.

CAPUT XV.

STUPOREM SEU CÆCITATEM, QUO QUIS EX AMISSIONE DEI DOLOREM NON SENTIT, IN DAMNATIS QUIDEM NON REPERIRI ; IN ANIMA VERO, QUÆ NUNC PŒNAM ISTAM PATITUR NOLENS, ESSE IPSIUS ETIAM AMORIS QUO VEL TUNC VERITATIS LUCEM NATURALITER AMAT, ARGUMENTUM.

Sed [1]aliquando, *inquies*, amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur quod amatum est inferius bonum.

Hic quidem [2]stupor non dolet, amisit sensum doloris : [3]sed in futurum judicium servatur, ad manifestationem atque acerrimum sensum miseriæ, quicquid nunc occultissimè per cæcitatem vindicatur.

Hic vero gravissima [4]est cordis pœna *cum* [5]Deus, lege indefatigabili spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates *hominum*, [6]qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ stupore non sentiunt ; *atque ita* [7]et peccatum quod inultum videtur, habet pedissequam pœnam suam, ut nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat. [8]Vindicat enim *Deus* primò in anima aversa a se exordio pœnarum ipsa cæcitate. Qui enim se avertit a lumine vero, id est, a Deo, jam cæcus efficitur. Nondum sentit pœnam, sed jam habet. [9]Quis enim volens cæcus est unde, cum velit nemo cæcus esse vel corpore. [10]Cæcus *profectò* puto quod velit videre : sed non potest. Si autem vult et non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas. [11]Et cum amant *cæci videre lucem*, [12]utique amant etiam *lucem*.

[1]L. 8, de Genesi ad litt., cap. 14. — [2]In Psalm. 55. — [3]Lib. 3, de Lib. arb., cap. 6. — [4]Serm. 14, de Verbis Apos., cap. 6. — [5]Lib. 1, Confess., cap. 18. — [6]Lib. 11, de Genesi ad litt., c. 5. — [7]Lib. de Contin., cap. 6. — [8]Serm. 38, de Verbis Dom. — [9]Lib. 1, Oper. imperf. — [10]Lib. de Nat. et Grat., cap. 51. — [11]Lib. 10, Confess., cap. 23. — [12]Ibid.

CAPUT XVI.

PROBATUR TERTIO SUPERIOR DE NATURALI DEI AMORE DOCTRINA EX ÆTERNÆ VERITATIS, QUAM AB IPSO DEO NON DISTINGUI SUPERIUS OSTENSUM EST, AMORE NATURALITER OMNIBUS INDITO, QUO FIT UT NEMO FALLI VELIT, ET SICUT BEATI ESSE, ITA ETIAM DE VERITATE, NON AUTEM DE FALSITATE, GAUDERE OMNES VELINT.

Multos [1] expertus sum qui vellent fallere ; qui autem falli neminem. [2] Usque adeo *enim* rationalis natura refugit falsitatem, et quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere.

Falli [3] certè odit anima. Quantum falli oderit anima naturaliter, hinc intelligi potest, quoniam qui mente alienatâ rident, plorantur à sanis : et eligit homo utique ridere, quàm flere. Si duo ista proponantur : Ridere vis an flere ? quis est qui respondeat, nisi : Ridere ? Iterum si proponantur ista duo : Falli vis, an verum tenere ? omnis homo respondet : Verum tenere. Et ridere eligit, et verum tenere : de duobus illis risu et fletu, ridere ; de duobus istis fallacia et veritate, verum tenere. Sed tantum prævalet invictissima veritas, ut eligat homo sanâ mente flere, quam mente alienatâ ridere. *Ita enim* [4] lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens nostra quodammodo irradiatur, ut de his omnibus rectè judicare possimus (nam in quantum eam capimus in tantum id possumus), *seu* [5] nosse, *id est*, *scire* quantum ametur, quàmque falli nolit humana natura, vel hinc, *ut jam ostendimus*, intelligi potest, quod lamentari quisque sana mente vult, quam lætari in amentia. Quæ vis magna atque mirabilis mortalibus, præter homini, animantibus nulla est.

Quid [6] *igitur* fortius, ut jam diximus, desiderat anima quam veritatem [7] ad quam omnis spectator pervenire se

[1] Lib. 10, Confess., cap, 23. — [2] Enchirid. ad Laurent., cap. 17. — [3] Tract. de Epic. et Stoic., cap. 8. — [4] Lib. 11, de Civit. Dei, cap. 27. — [5] Ibid. — [6] Tract. 26, in Joann. — [7] Lib. de Vera Relig., c. 49.

cupere confitetur, cum vehementer ne fallatur invigilat, et inde se jactat si quid acutiùs cæteris, et vivaciùs in spectando cognoscat et judicet.

Unum [1]est *certè* quò pervenire omnes nituntur ut gaudeant. Quæ quoniam res est quam se expertum non esse nemo potest dicere, propterea reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur. [2]Beata quippe vita est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te qui veritas es, Deus illuminatio mea, salus faciei meæ, Deus meus. Hanc vitam beatam omnes voluit. [3]Gaudium de veritate omnes volunt.

Ubi [4]*vero* noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem ; et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem : amant enim et *ipsam* quia falli nolunt.

CAPUT XVII.

HOMINEM, QUI VERUM PRÆDICAT, IDEO TANTUM NOBIS INIMICUM FIERI, QUIA SIC A NOBIS AMATUR VERITAS, UT CUM FALLI NOLIMUS, AB ALIIS ETIAM NOLUMUS QUOD FALLAMUR CONVINCI.

Cur ergo, *inquies*, [5]veritas parit odium , et inimica eis factus est homo tuus verum prædicans, cùm ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate : nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem : et quia falli nolunt, nolun tconvinci quòd falsi sint ? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt et fallere volunt, amant eam cùm seipsam indicat, et oderunt eam cum eos ipsos indicat. Inde retribuet eis, ut qui se ab ea manifestari nolunt, et eos nolentes manifestet, et eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam sic

[1]Lib. 10, Confess., cap. 21. — [2]Ibid. , cap. 23. — [3]Ibid. — [4]Ibid. — [5]Ibid.

cæcus et languidus, turpis atque indecens latere vult ; se autem ut lateat aliquid non vult. Contrà illi redditur ut ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic, dum miser est, veris mavult gaudere quàm falsis.

CAPUT XVIII.

SUPERIORIS DE NATURALI VERITATIS AMORE DOCTRINÆ CONFIRMATIO, EX EO QUOD NIHIL VEL IN MORIBUS, VEL IN ARTIUM OPERIBUS, VEL IN RERUM QUAS NOSSE VOLUMUS COGNITIONE, NOBIS JUCUNDUM EST, NISI QUONIAM NATURALITER A NOBIS AMATUR VERITAS, CUJUS IMITATIONEM IN ISTIS OMNIBUS APPETIMUS.

Quid [1] est, quæso, quod exardescimus, cum audimus et legimus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum*, etc. ? Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli apostoli, cùm ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse ? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideò diligeremus illum, quia ejus vitam, cum in carne viveret, huic formæ coaptatam et congruentem fuisse, fide retinemus. [2] Nisi enim et istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista.

Homo [3] ergo, qui creditur justus, ex ea forma et veritate diligitur, quam cernit et intelligit apud se ille qui diligit : ipsa verò forma et veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam, cùm incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale aliquid pers-

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 9. — [2] Ibid., c. 6. — [3] Ibid.

pexeris, ipsa est : et non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.

Illud [1] etiam, quod animus, tantum quia est animus, etiam nondum eo modo bonus quo se convertit ad incommutabile bonum; sed, ut dixi, tantum animus, cùm ita nobis placet ut eum omni etiam luci corporeæ cùm benè intelligimus, præferamus, non in seipso nobis placet, sed in illa arte quâ factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus. Hæc est veritas, et simplex bonum. Non enim est aliud aliquid quàm ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum.

Deinde [2] cum in omnibus artibus convenientia placeat, quâ unâ salva et pulchra sunt omnia ; ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium : [3] unde qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, [4] nisi ea, quæ perfecta est, *potissimum appeteretur*? si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est. [5] Possum *itaque* dicere quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cujusque corporis debeant ; quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor. *Unde et* [6] tantò meliora esse judico quæ oculis cerno, quantò pro sua natura viciniora sunt iis, quæ animo intelligo. Quare autem illa [7] nobis placeant, et cur ea quando melius sapimus, vehementissimè diligamus, ne id quidem quisquam, si ea rectè intelligit, dicere audebit. [8] Ita enim primò quasi natura ipsa consulitur quid probet.

Sed [9] multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut judicent cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, uno arcu constructo, cur alterum parem contra in altera parte moliatur ; respondebit, credo, ut paria paribus ædificii membra respondeant. Porrò si pergam quærere, idipsum cur eligat ; dicet hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes : nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, et unde

[1] Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [2] Lib. de Vera Relig., cap. 30. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Ibid., cap. 32.

pendeat non intelligit, *id est, quænam illa sit summa seu pulchritudo, seu æqualitas, quam nisi prius amaret, nec ista ipsi visibilia sic placere possent, non attendit.* At ego virum intrinsecùs oculatum, et invisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, ut judex esse audeat ipsius delectationis humanæ. [1]Et priùs quæram utrùm ideò pulchra sint, quia delectant : an ideò delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideò delectare quia pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra. Et si titubabitur, subjiciam, utrùm ideo quia similes sibi partes sunt, et aliquà copulatione ad unam convenientiam rediguntur. Quod cum ita esse compererit, interrogabo utram hanc ipsam unitatem, quam *ista* convincuntur appetere , *ipse non appetat.* [2]Hæccine *quippe* amare facile est animæ, in quibus nihil nisi æqualitatem, ac similitudinem appetit, et paulò diligentiùs considerans, vix ejus extremam umbram vestigiumque cognoscit. *Illud* [3]verò amare difficile est, *quod* in quantum potest, adhuc saucia et sordida cogitans, nihil in eo inæquale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur.

Quapropter [4], cum arcum pulchrè et æqualiter intortum, quem vidi, verbi gratia, Carthagine, animo revolvo, res quædam menti nuntiata per oculos, memoriæque transfusa, imaginarium conspectum facit. Sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet : unde etiam, si displiceret, corrigerem. *Cum tu etiam* [5] intelligas te id, quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exteriùs. *Nam et* [6] pulchritudinum exteriorum operatores et sectatores inde trahunt approbandi modum, *quamvis* non inde trahunt utendi modum. [7]Et omnium formarum corporearum artifices

[1] Lib. de Vera Relig., cap. 32. — [2] Lib. 6, de Musica, cap. 14. — [3] Ibid. [4] Lib. 9, de Trinit., cap. 6. — [5] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16. — [6] Lib. 10, Conf., c. 34. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 16.

homines in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua : et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici supernos numeros intuenti.

At[1] in Deo conspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundum quam hominem vivere oportere judicamus. [2]In *ipsa etiam* æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus. *Sicque*[3] rationes artemque ineffabiliter pulchram figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes, in illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus. [4]Ita etiam signum si quis audiat incognitum, veluti verbi alicujus sonum, quo quid significetur ignorat, cupit scire quidnam sit, id est sonus ille cui rei commemorandæ institutus sit : veluti si audiat cùm dicitur temetum, et ignorans quid sit, requirat. [5]Hoc ergo qui ardenti curâ quærit ut noverit, studioque accensus insistit, num potest dici esse sine amore? Quid igitur amat? Certè enim amari aliquid nisi notum non potest. Neque enim ille istas tres syllabas amat, quas jam notas habet.

Quid[6] ergo amat, nisi quia novit atque intuetur in rationibus rerum quæ sit pulchritudo doctrinæ, quâ continentur notitiæ signorum omnium : et quæ sit utilitas in ea peritia, quâ inter se humana societas sensa communicat, ne sibi hominum cœtus deteriores sint quâvis solitudine, si cogitationes suas colloquendo non misceant? Hanc ergo speciem decoram, et utilem cernit anima, et novit, et amat: eamque in se perfici studet, quantum potest, quisquis

[1] Lib. 8, de Trinit., c. 9. — [2] Ibid., lib. 9, cap. 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid., lib. 10, c. 1. — [5] Ibid., cap. 1. — [6] Ibid.

vocum significantium quæcumque ignorat, inquirit. Aliud est enim quod eam in veritatis luce conspicit, aliud quod in sua facultate concupiscit. Conspicit namque in luce veritatis quàm magnum, et quàm bonum sit omnes omnium gentium linguas intelligere ac loqui, nullamque ut alienigena audire, et à nullo ita audiri. Cujus notitiæ decus cogitatione jam cernitur, amaturque res nota; quæ ita conspicitur, atque inflammat studia discentium, ut circa eam moveantur, eique inhient in omni opera, quam impendunt consequendæ tali facultati, ut etiam usu amplectantur quod ratione prænoscunt. [1] Species namque illa tangit animum, quam novit et cogitat, in qua elucet decus consociandorum animorum in vocibus notis audiendis, atque reddendis : eaque accendit studio quærentem quidem quod ignorat, sed notam formam, quò id pertineat intuentem et amantem. Itaque si quærenti, verbi gratia, quid sit temetum, hoc enim exempli causa posueram, dicatur : Quid ad te pertinet ? respondebit : Ne fortè audiam loquentem, et non intelligam, aut uspiam fortè id legam, et quid scriptor senserit, nesciam. Quis tandem huic dicat : Noli intelligere quod audis, noli nosse quod legis? Omnibus enim ferè animis rationalibus in promptu est ad videndum hujus peritiæ pulchritudo, quâ hominum inter se cogitata, significantium vocum enunciatione noscuntur : propter hoc notum decus, et ob hoc amatum quia notum, studiosè quæritur verbum illud ignotum. Itaque cùm audierit atque cognoverit temetum à veteribus vinum appellatum, sed jam ex usu loquendi quem nunc habemus, hoc vocabulum emortuum, propter nonnullos fortasse veterum libros sibi necessarium deputabit. Si autem et illos supervacaneos habet, fortè jam nec dignum quod memoriæ commendet existimat, quia videt ad aliam speciem doctrinæ quam notam mente intuetur atque amat, minimè pertinere.

Ita [2] qui scire aliquid volunt quod nesciunt, propter ardentiorem quærendi appetitum sine amore esse dici non

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 1. — [2] Ibid.

possunt. [1] Aliquid *enim* notum amamus, propter quod ignotum aliquid quærimus : cujus ignoti amor nequaquam nos tenet, sed illius cogniti, quo pertinere novimus, ut illud etiam quod adhuc ignotum quærimus, noverimus ; sicut de incognito verbo paulò ante locutus sum.

Et[2] in luce *quidem* veritatis, *sicut jam diximus, illud* conspicit *animus,* [3] propter *quod* notum, et ob hoc amatum quia notum, studiosè quæritur verbum illud ignotum. [4] Ipsa *autem* veritas Deus est ; [5] quem *proinde* amat, *amore scilicet instinctûs naturalis*, omne quod potest amare, sive sciens, *id est, attendens æternam illam veritatem, quam ita naturaliter expetit, idipsum esse quod dicimus Deum*, sive nesciens.

CAPUT XIX.

QUAMVIS OMNES VERITATEM AMENT, NON OMNES TAMEN BEATOS ESSE, QUONIAM IN ALIIS, QUÆ POTIUS EOS FACIUNT MISEROS, ALIQUI FORTIUS OCCUPANTUR.

Cur [6] ergo, *inquies*, non de illa gaudent? cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis quæ potiùs eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus. [7] Beatus *autem* animus erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit. [8] Ipsa est enim beata vita quam omnes volunt, et omnino qui nolit nemo est.

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 2. — [2] Ibid., cap. 1. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 2. — [5] Lib. 1, Soliloq., c. 1. — [6] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 20.

CAPUT XX.

QUANTALIBET SIT OPINIONUM DE IPSA BEATITUDINE DIVERSITAS, IPSO TAMEN NATURÆ SENSU, ID EST, INSTINCTU QUODAM NATURALI VITAM, QUÆ SOLA BEATA EST, VELLE AC NOSSE OMNES ; FIERIQUE POSSE, UT ALIUD IN OPINIONE, ET IN SENSU SIT ALIUD.

Multi *quidem*[1] in appetendo boni fine, quo fit homo beatus, errare *deprehenduntur. Quatenus tamen*[2] ex naturali instinctu beatos esse velle inest omnibus, *quatenus*[3] hoc natura expetit, [4]unum est quò pervenire omnes nituntur, ut *de veritate* gaudeant. [5]Gaudium de veritate omnes volunt, *ut supra jam diximus.*

Posse[6] autem fieri ut in opinione sit aliud, et in sensu aliud, vel ex hoc cognoscere facile est, quod plerumque aliud faciendum esse credimus, et aliud facere delectat. [7]Nemo *quoque* videtur mihi cum seipsum necat, aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu, quod post mortem non sit futurus : tametsi aliquantum hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis : sensus aut consuetudine, aut naturâ valet. Posse autem fieri ut aliud sit in opinione, aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quòd plerumque aliud faciendum esse credimus, et aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quàm opinio, si illa de errore, ille de natura est : velut cum æger plerumque aqua frigida conducibiliter delectatur, quam tamen credit, si biberit, esse nocituram. Aliquando veracior opinio quàm sensus, si credit arti medicinæ, obesse frigidam, cùm revera oberit, et tamen bibere delectet. Aliquando utrumque in veritate est; cum id quod prodest, non solùm ita creditur, sed etiam libet. Aliquando utrumque in errore est; cum id quod nocet, et prodesse creditur, et liberè non

[1]Lib. 19, de Civit. Dei, c. 2. — [2]Serm. 37, de Temp. — [3]Lib. 14, de Civ. Dei, cap. 25. — [4]Lib. 10, Confess., cap. 21. — [5]Ibid., cap. 23. — [6]Lib. 3, de Lib. arb., cap. 8. — [7]Ibid. —

desinit. Solet autem et recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava opinio rectam depravare naturam. Tanta vis est in dominatu et principatu rationis. Cùm ergo quisque credens, quod post mortem non erit intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, et decernit atque arripit mortem; in opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. *Sicque* [1] omnis ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut requiescat intenditur; *quia* [2] cum errore credat non se futurum, natura tamen quietus esse, hoc est magis esse desiderat. *Unde et* [3] vos ipsi, *ô Manichæi,* quamvis carnali errore carnem detestemini, non potestis nisi diligere carnem vestram, ejusque saluti et incolumitati consulere, omnes ictus, et casus, et intemperiem quâ læditur devitare, munimenta verò et salubritatem quâ conservatur appetere; *atque ita* ostenditis prævalere naturæ legem contra erroris vestri opinionem. Et [4] *inde quidem* veracior est sensus quam opinio, si illa de errore, ille de natura est: velut cum æger plerumque frigida conducibiliter delectatur, quam tamen si biberit, credit esse nocituram.

Quoniam igitur [5] ex naturali instinctu beatos esse velle inest omnibus, et ad hoc [6] natura compellit, cui summè bonus et incommutabiliter beatus Creator indidit hoc, [7] vitam quæ sola beata est omnes volunt. [8] Quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus.

Quapropter [9] ea, quæ *conspicimus* omnes mentes de *beatitudine* nosse certasque esse, diligentius attendamus. [10] Certa est *enim mens omnis, quod* [11] vita beata est gaudium de veritate (gaudium quippe de veritate omnes volunt, *dum,* [12] beati prorsus omnes esse volunt), [13] nec omnino certa est *utrum veritas seu summum bonum sit, verbi gratia, in corpore;*

[1] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 8. — [2] Ibid. — [3] Lib. 21, Cont. Faust., cap. 5. — [4] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 8. — [5] Serm. 37, de Temp. — [6] Lib. 13, de Trinit., cap. 8. — [7] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [8] Ibid., cap. 21. — — [9] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [10] Ibid. — [11] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [12] Ibid. — [13] Ibid., cap. 21.

quia nempe de hoc [1]dubitaverunt homines, et alius hoc, alius aliud affirmare conatus est. [2]Ut enim eos quæque res maximè delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam *seu summum bonum.* [3]Quia nempe sic amatur veritas, ut, *sicut jam supra dictum est*, quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem : *beatitudinem tamen* esse gaudium de veritate *scit mens.* [4]Secernat quod putat ; cernat quod scit ; hoc ei remaneat unde ne illi quidem dubitaverunt, qui aliud atque aliud esse *summum bonum* putaverunt. [5]Certa sit *beatitudinem* non esse aliquid eorum de quibus incerta est, idque solum *eam* esse certa sit, quod solum esse *illam* certa est.

CAPUT XXI.

IPSOS ETIAM MALOS MALÈ AGENDO VERAM BEATITUDINEM APPETERE, CUM VERIS BONIS MALINT GAUDERE, QUAM FALSIS.

Appetitus [6]igitur beatæ vitæ philosophis et Christianis communis est. [7]Nam vitam beatam appetere, concupiscere, desiderare, sectari omnium hominum commune esse arbitror. Unde me video parum dixisse hunc appetitum beatæ vitæ philosophis christianisque communem ; debui enim dicere, omnium hominum. [8]Prorsus omnium bonorum et malorum *id commune est.* Nam et qui bonus est, ideo bonus est ut beatus sit : et qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret. De bonis facilis quæstio est, quòd beatam vitam quærant, ideo boni sint. De malis verò forte aliqui dubitant, utrum et ipsi beatam vitam quærant. Sed si separatos malos et a bonis discretos interrogare possem et dicere : Vultis beati esse? nemo diceret: Nolo. Verbi gratia, pone aliquem furem : quæro ab illo : Quare furtum facis? Ut habeam, inquit, quod non habe-

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [2] Ibid., lib. 13, cap. 4. — [3] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [4] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [5] Ibid. — [6] Tract. de Epic. et Stoic., cap. 3. — [7] Ibid. — [8] Ibid.

bam. Quare vis habere quod non habebas? Quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. [1]Depellendæ ergo miseriæ causa, et acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes homines quicquid vel boni faciunt vel mali.

Beatum [2]quippe esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est quòd boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quòd etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit; [3]et quisquis avaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus sit. Quicumque molitur inimicorum sanguinem fundere, dominationem quisquis affectat, crudelitatem suam quisquis alienis cladibus pascitur, in omnibus sceleribus beatitudinem quærit. [4]Da mihi hominem latronem, sceleratum, fornicatorem, maleficum, sacrilegum, omnibus vitiis inquinatum, omnibus flagitiis seu facinoribus obrutum, qui non velit beate vivere. [5]Omnes enim volunt beatitudinem: et ideo perversi sunt homines quia mali volunt esse, miseri nolunt. Et cùm sit malitiæ individua comes miseria, isti perversi non solum mali esse volunt, et miseri nolunt, quod fieri non potest : sed ideò volunt mali esse, ne miseri sint.

Considerate [6]hoc paululum in omnibus hominibus, qui mala faciunt. Beati semper, et *verâ quidem beatitudine*, *beati* esse volunt, [7]nisi tu putes aliud esse beatè vivere, nisi veris bonis certisque gaudere : *nam* etiam [8]sic, dum miser est *animus*, veris mavult gaudere quam falsis, *ut jam supra docuimus.*

[1] In Psalm. 32. — [2] In Psalm. 118, conc. 1. — [3] Ibid. — [4] Serm. 141, de Temp. — [5] In Psalm. 32. — [6] In Psalm. 32. — [7] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 13. — [8] Lib. 10, Confess., cap. 23.

CAPUT XXII.

QUAMVIS VERAM BEATITUDINEM OMNES APPETANT, NEC SCRIPTURAM TAMEN AD IPSAM QUÆRENDAM FRUSTRA NOS HORTARI, NEC EAM OMNES ASSEQUI : QUIA NON OMNES RECTE VIVUNT, UT AD BONUM, QUOD NATURALITER AMANT, ITA POSSINT PERVENIRE.

At, *inquies*, [1]exhortatur nos Scriptura sacra, ut quæramus beatitudinem. [2]Quid *autem* exhortatione opus est ad eam rem quam sua sponte appetit animus humanus? Nam profectò qui exhortatur, id agit, ut excitetur voluntas ejus cum quo agit, ad illud propter quod exhortationis adhibetur alloquium

Cur [3]*etiam beatitudinem* non adipiscuntur omnes, *quandoquidem* æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit, in beatitudine autem et miseria præmium atque supplicium? *cum itaque* [4]conveniat inter nos, voluntate *vitam beatam* mereri homines, voluntate etiam miseram, et sic miseri ut accipiant. Nunc verò existit nescio quæ repugnantia, et nisi diligenter dispiciamus, perturbare nititur superiorem tam evigilatam firmamque rationem. Quomodo enim voluntate quisque miseram vitam patitur, cum omnino nemo velit miserè vivere? Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cùm tam multi miseri sint, et omnes beati esse velint? [5]Utquid ergo nobiscum agitur, ut velimus quod nolle non possumus, nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quomodo ad eam perveniatur, plurimi nesciunt? Ideoque hoc docet iste, qui dicit : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Tanquam diceret : Scio quid velis, beatitudinem quæris. Si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt. Sed ubi erit quisque immaculatus, nisi *in via?* In qua via, nisi *in lege*

[1]In Psalm. 118, Conc. 1. — [2]Ibid. — [3]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 14. — [4]Ibid. — [5]In Psalm. 118, conc. 1.

Domini ? Ac per hoc : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, non superfluò nobis dicitur, sed exhortatio necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid enim boni sit ad quod multi pigri sunt, id est, immaculatos ambulare in via, quæ lex est Domini : sic ostenditur, cùm beatos esse qui hoc faciunt, indicatur, ut propter illud quod omnes volunt, etiam hoc fiat quod plurimi nolunt. [1] Errantes igitur et verâ miseriâ falsam beatitudinem requirentes, revocat ad viam, si audiatur vox ista divina : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini ;* tanquam dicens : Quò itis ? Peritis, et nescitis. Non illac itur quà pergitis, quò pervenire desideratis. Nam utique beati esse cupitis : sed misera sunt, et ad majorem miseriam ducunt itinera ista quæ curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viæ perversæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quò perveniendo inquinamini.

Nihil [2] ergo mirum est, quod miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatam vitam. Illud enim cui omnes est, et sine quo ea nemo dignus est, nemoque assequitur, rectè scilicet vivere, non itidem volunt ; [3] quoniam *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*, ut non faciant quod volunt ; *ac per hoc* cadunt in id quod valent, eoque contenti sunt ; quia illud, quod non valent, non tantum volunt (*amore scilicet electivo et morali de quo inferiùs*), quantum sat est ut valeant. [4] Itaque cum dicimus voluntate homines esse miseros, non ideo dicimus, quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam eis invitis miseria sequatur necesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quod volunt omnes beati esse, nec possunt : non enim volunt omnes rectè vivere, cui uni voluntati vita beata debetur. *Unde* [5] illi qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, non propterea sunt beati, quia beatè vivere voluerunt ; nam et hoc volunt etiam mali.

[1] In Psalm. 118, conc. 1. — [2] L. 1, de Lib. arb., cap. 14. — [3] Lib. 10 Confess., c. 23. — [4] Lib. 1, de Lib. arb., c. 14. — [5] Ibid.

Sive [1] malè viventes, sive benè viventes, beati esse volunt: et non contingit omnibus quod omnes esse volunt. Omnes enim beati esse volunt, non autem erunt nisi illi qui justi esse voluerint. [2] Beatus *enim* populus, cujus non voluptas carnis, cujus non virtus propria ; sed, *beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.* Hæc est patria beatitudinis, quam omnes volunt, sed non omnes rectè quærunt. [3] Beatos *enim* esse se velle, omnium hominum est : nec tamen omnium est fides *aut bona vita*, qua cor mundante ad beatitudinem pervenitur. Ita fit ut per istam quam non omnes volunt, ad illam tendendum sit, quam nemo potest esse qui nolit.

Hanc [4] *verè beatam* vitam volunt omnes ; sed ad tam magnam possessionem , et ad tam grandem felicitatem quà itur ? Instruxerunt sibi vias erroris philosophi *et iniqui omnes.* Alii dixerunt : Hàc ; alii : Non hàc, sed hàc. Latuit eos via, quia *Deus resistit superbis.* [5] Beatus enim non est, *ut supra jam ostendimus*, nisi qui et habet omnia quæ vult, et nihil vult malè.

CAPUT XXIII.

VOLUNTATEM, QUA IPSI ETIAM MALI MALÈ OPERANDO BEATITUDINEM APPETUNT, UTPOTE IPSIS A DEO NATURALITER INDITAM, BONAM ESSE SCILICET PHYSICÈ, NON AUTEM MALAM SEU PHYSICÈ SEU ETIAM MORALITER ; CUM NE MORALIS QUIDEM, SED NATURALIS OMNINO SIT : MALAM TAMEN ESSE MORALITER ELECTIVAM ILLAM VOLUNTATEM, QUA MALUM ELIGUNT.

Semper tamen quisque [6] beatus vult esse, etiam non sic vivendo ut possit esse. [7] Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus. [8] Beati *enim* esse volumus, et id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constrictione naturæ , *ut supra jam*

[1] In Psalm. 32. — [2] Tract. de Epicur. et Stoic., cap. 8. — [3] Lib. 13, de Trinit., c. 20. — [4] Tract. de Epicur. et Stoic., cap. 8. — [5] Lib. 13, de Trinit., cap. 5. — [6] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 4. — [7] Enchirid. ad Laur., c. 105. — [8] Lib. de Nat. et Grat., cap. 46.

diximus. [1] Si *autem* hoc modo illum motum habet anima, profecto etiam ipse naturalis est ([2] est enim similis illi motui, quo naturaliter movetur lapis); [3] nec ex eo quod naturaliter movetur, recte vituperari potest. [4] Si *enim* ita data est voluntas libera, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad *hoc* convertitur : neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. *Ac proinde* [5] si naturâ vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest. [6] Nego enim culpandam esse voluntatem, si ejus natura talis est, ut eo necessariò moveatur. Nam [7] quomòdo non Creatori deputandum est quicquid in ejus creatura fieri necesse est. [8] Deus *autem* naturarum auctor *est*, non vitiorum, *ut supra jam diximus.*

Beatitudinem [9] *itaque* recto proposito intellectualis natura desiderat. [10] Ista *enim* præclara et magna laude prædicanda voluntas est, qua summum appetitur bonum. [11] Peccat tamen anima, et peccando fit mala, si consensionem dilectionis, quam superiori Deo debet, inferiori adjungat. [12] Peccatum *enim est* quod fit voluntate *seu electione* animæ, cum diligit pro ipso Creatore creaturam. [13] Deserto *enim* Creatore bono, vivere secundum creatum bonum, non est bonum : sive quisque secundum carnem, sive secundum animam, sive secundum totum hominem, qui constat ex anima et carne, eligat vivere.

CAPUT XXIV.

EX DICTIS COLLIGITUR MALOS ERRARE, NON IN QUANTUM BEATITUDINEM APPETUNT, CUM REM BONAM QUÆRANT; SED IN QUANTUM EAM, QUÆ DUCIT AD BEATITUDINEM, VITÆ VIAM NON TENENT, CREATURAS SCILICET PERVERSÈ DILIGENDO ; IN QUIBUS FINEM ULTIMUM ET BEATITUDINEM SUAM CONSTITUERE IDCIRCO DICUNTUR, QUONIAM IPSORUM NON QUIDEM NATURALIS INSTINCTUS, SED AMOR TAMEN ELECTIVUS, IN IIS ITA QUIESCIT UT EX SEIPSO ULTERIUS NON TENDAT.

In [14] quantum *igitur* omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet

[1] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid., c. 5. — [8] Lib. 13, de Civit. Dei, c. 14. — [9] L. 11, de Civit. Dei, c. 13. — [10] L. de Duab. anim., c. 12. — [11] L. Contra Secund., c. 16. — [12] Ib., c. 18. — [13] L. 14, de Civit. Dei, c. 5. — [14] L. 2, de Lib. arb., c. 9.

vitæ viam quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur et profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, intantum errat. Error est enim cùm sequimur aliud, quod non ad id ducit, quò volumus pervenire. *Quapropter*[1] in eo impudens est *malus* et errat, *ut jam dictum est superiùs*, quia de malo vult beatus fieri. Bonum est enim omnibus beatum esse. Unde ergo ille perversus? Quia bonum quærit et malum facit.

Beatus[2] vis esse? [3]Bonam rem quæris. Sed terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam. Sed non est hìc. Aurum si quæreres in illo loco ubi non est, ille qui novit quia non est ibi, nonne diceret tibi: Quid fodis? quid terram sollicitas? Fossam facis quò descendas, non ubi aliquid invenias. Quid es responsurus admonenti te? Aurum quæro. Et ille: Non dico tibi: Nihil est quod quæris: sed: Non est ibi quod quæris. Sic et tu quando dicis: Beatus esse volo; bonam rem quæris: sed non est hìc. [4]Quærite quod quæritis: sed ibi non est ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis. Non est illic. [5]Omnes vultis beatè vivere: sed unde homo beatè vivit, hoc non vultis quærere. [6]Ecce nescio quis, ut male faciat, beatus vult esse. Unde? Ex pecunia, ex argento et auro, ex prædiis, fundis, domibus, mancipiis, pompa seculi, honore volatico et perituro. Habendo aliquid volunt beati esse. Quære ergo quid habeas, ut beatus sis. Cùm enim beatus fueris, melior utique eris, quam cum miser es. Fieri autem non potest ut res deterior te faciat meliorem. [7]Utquid ergo temporalium rerum amore detinemini? utquid tanquam prima, externa sectamini; quod est vanitas et mendacium, *ut supra jam dictum est, dum scilicet* [8]anima consensionem dilectionis, quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungit? [9]Utquid vultis esse beati de infimis? [10]Quod enim propter se diligendum est in eo constituitur vita beata: *cum*

[1]Tract., de Epic. et Stoic., c. 3. — [2]Serm. 141, de Tempore. — [3]Ibid. — [4]Lib. 4, Confess., cap. 12. — [5]Serm. 141, de Temp. — [6]In Psalm. 32. — [7]In Psalm. 4. — [8]Lib. Contra Secund., c. 16. — [9]In Psalm. 4. — [10]Lib. 1, de Doct. Christ., cap. 22.

nempe aliquibus [1] fruimur, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit.

Ibi [2] tibi finis est; alibi via est. Noli hærere in via, et non pervenire ad finem. Ad quicquid aliud veneris, transi usquequo pervenias. [3] Intendite. Pecuniam aliquis quærit; non sit tibi finis; transi tanquam peregrinus. Quære ubi transeas, non ubi remaneas. Si autem amas, per avaritiam implicatus es. Erit tibi avaritia catena pedum; ultra progredi non potes.

Transi ergo et hoc; quære finem. [4] Non est ibi finis; quia propter aliud quæritur. Quicquid propter aliud quæritur, non est ibi finis. Quicquid propter se et gratis quæritur, ibi est finis. [5] Quæris laudem? Si Dei quæris, bene facis : si tuam quæris, malè facis. Remanes in via. [6] Sermonem aliquem bonum dicis, et laudatur sermo tuus? Non laudetur quasi tuus, non est ibi finis. Si ibi ponis finem, finiris; sed non finiris quasi perficiaris, sed finiris ut consumaris.

CAPUT XXV.

DE BEATITUDINE FORMALI SEU BEATIFICA POSSESSIONE DEI : QUAM IN DELECTATIONE FORMALITER CONSTITUI PROBATUR PRIMO EX EO QUOD OMNES DUM SE CUPIUNT ESSE BEATOS, GAUDERE VOLUNT, IPSUMQUE GAUDIUM VITAM BEATAM UNO PLANÈ CONSENSU VOCANT.

Secutio [7] itaque Dei, beatitatis appetitus est : consecutio autem, ipsa beatitas est. At eum sequimur diligendo : consequimur verò, cum [8] est plenum gaudium nostrum, quo amplius non est. [9] Ita enim se omnes beatos esse velle consonant, quemadmodum consonarent, si hoc interrogarentur, se velle gaudere, atque ipsum gaudium vitam beatam vocant. Quod etsi alius hinc, alius illinc assequitur, unum

[1] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [2] Tract. 10, in Epist. Joann. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Lib. de Mor. Eccles., cap. 11. — [8] Lib. 1, de Trinit., cap. 8. — [9] Lib. 10, Confess., cap. 21.

est tamen quò pervenire omnes nituntur ut gaudeant. [1]Gaudium de veritate omnes volunt, *ut supra jam ostendimus.*

Beatè [2] igitur vivere, est veris bonis certisque gaudere. [3]Beata vita est gaudium de veritate : hoc est gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea, salus faciei meæ, Deus meus. [4]Hanc vitam beatam omnes volunt , quæ sola beata vita est, [5]cum amant beatam vitam, quod [6] non est aliud quam de veritate gaudium. Beatus *enim* erit *animus*, si nulla interpellante molestia, de ipsa per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit.

CAPUT XXVI.

IDEM PROBATUR SECUNDO EX EO QUOD PERFECTÈ NON HABEATUR SEU POSSIDEATUR SUMMUM BONUM NISI PER FRUITIONEM, QUÆ QUIDEM IPSA DELECTATIO EST, QUA NEMPÈ VELUTI GUSTATUR DEUS, ET ITA QUANTUM SIT BONUM, SENSU QUODAM INTIMO PERCIPITUR.

Nemo *certè* [7] beatus est, qui eo quod amat non fruitur. Nam et ipsi qui res non amandas amant, non se beatos esse amando putant, sed fruendo. [8]Quis enim potest nosse quantum sit bonum, quo non fruitur? Gustate, *inquit scriptura*, [9] et videte quoniam suavis est Dominus. *Hincque est, quod* [10] bonum, quod non amatur, nemo potest perfectè habere vel nosse. Non *enim* fruitur, si non amat, *ac proinde* nec habet quod amandum est, qui non amat : *quoniam* [11] quicquid mente habetur, noscendo habetur ; nullumque bonum perfectè noscitur, quod non perfectè amatur.

Illud igitur [12] restat, ut video, ubi beata vita inveniri potest, *scilicet* cum id, quod est hominis optimum, et amatur et habetur, *id est, fruendo possidetur.* [13]Neque enim quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis

[1] Lib. 10, Confess., cap. 23. — Lib. 1, de Lib. arb., cap. 13. — [3] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., cap. 23. — [7] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 8. — [8] Lib. 83 qq., q. 35. — [9] In Psalm. — [10] Lib. 83 qq., q. 35. — [11] Ibid. — [12] Lib. de Mor. Eccles., cap. 3. — [13] Ibid.

optimum ; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. *Hæc vera* [1] beatitudo, quæ est propria fruentis et intelligentis. [2] Quisquis enim fruitur eo quod amat, verumque et summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat ?

Ipsum autem verum ac summum bonum *diximus* Deum. [3] Deo ergo perfrui beatè vivere est. [4] Unde utique colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiæ, cum Deo frui cœperit. *Sicque* [5] vult *Plato* philosophum esse amatorem Dei, ut, quoniam philosophia ad beatitudinem tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amaverit. [6] Deus autem veritas est, *ut diximus superiùs. An igitur* [7] nos in amplexu, *sive fruitione* veritatis beatos esse dubitabimus? [8] Amplectere illam si potes, et fruere illa, et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate? [9] Beatus quippe qui fruitur summo bono : [10] et in veritate cognoscitur et tenetur summum bonum. [11] Frui autem dicimur ea re, de qua capimus voluptatem : [12] hoc *enim inter fruitionem et usum* interesse videtur, quod ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per seipsam delectat : uti vero ea re quam propter aliud quærimus : *quandoquidem* [13] utimur eis, quæ ad illud referimus quo fruendum est, *seu* [14] quibus tendentes ad beatitudinem adjuvamur et quasi adminiculamur, ut ad illa quæ nos beatos faciunt, pervenire atque his inhærere possimus. [15] Fruimur itaque cognitis, in quibus voluntas propter se delectata conquiescit.

[1] Epist. 56. — [2] Lib. 8, de Civ. Dei, c. 8. — [3] Lib. 1, de Doct. Christ., cap. 9. — [4] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 8. — [5] Ibid. — [6] Lib. 8, de Trin., c. 2. — [7] Lib. 2, de Lib. arb., c. 13. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Lib. 83 qq., q. 30. — [12] Lib. 11, de Civit. Dei, c. 25. — [13] Lib. 10, de Trinit., cap. 10. — [14] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 3. — [15] Lib. 10, de Trinit., cap. 10.

CAPUT XXVII.

IDEM PROBATUR TERTIO, QUONIAM FRUITIO SEU DELECTATIO, SICUT ET IPSA BEATITUDO, EST FINIS AD QUEM CÆTERA OMNIA REFERT, ET ULTRA QUEM EXCURRERE NON POTEST VOLUNTAS, CUM IPSA SIT VOLUNTATIS QUIES, PROINDEQUE PAX, QUAM OMNIA VELUT FINEM APPETUNT.

Unde *etiam* [1] colligitur tunc fore beatum hominem, cum Deo frui cœperit. [2] Id enim est beatum esse, ad tale bonum pervenisse, quo amplius non potest. [3] Quod enim beatum facit, ipse est finis boni : et [4] illud est finis boni, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum. [5] Animæ *autem* ad ea, quæ amant, propterea nituntur, ut perveniendo requiescant ; [6] cumque Deo delectatur, *seu fruitur, anima*, ibi veram certamque invenit requiem. *Ipsius enim* [7] quies purum gaudium est.

Quoniam igitur [8] pax animæ, *est* ordinata requies appetitionum, *sicut* [9] pax omnium rerum, tranquillitas ordinis : *ideo* [10] finis civitatis cœlestis, in quo summum habebit bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace, dicendus est, ut facilius ab omnibus possit intelligi. [11] Ipsa est beatitudo finalis, ipse perfectionis finis, qui consumentem non habet finem. *Unde et* hìc dicimur beati, quando pacem habemus, quantulacumque hìc haberi potest in vita bona (*quanquam tamen* hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus, beatitudini comparata, prorsus miseria reperitur). [12] Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inveniri. [13] Propter ipsam *ergò* dulcedinem pacis, quæ omnibus cara est, possumus dicere finem bonorum nostrorum esse pa-

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, cap. 6. — [2] Lib. de Mor. Eccles., c. 3. — [3] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 1. — [4] Ibid. — [5] Epist. 119, cap. 10. — [6] Ibid. — [7] Lib. 4, de Genesi ad litt., cap. 4. — [8] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 13. — [9] Ibid. — [10] Ibid., c. 11. — [11] Ibid., c. 10. — [12] Ibid., cap. 11. — [13] Ibid.

cem, præsertim quia ipsi civitati Dei in sancto dicitur Psalmo : *Qui posuit fines tuos pacem ; ideoque* [1] victoriæ præmium æternam pacem, quam nullus adversarius inquietet.

Pax [2] *autem* beatitudinis gaudium : quoniam *ut modo diximus*, [3] pax omnium rerum, tranquillitas *est* ordinis ; *gaudium vero*, seu [4] delectatio ordinat animam. Delectatio quippe quasi pondus est animæ.

CAPUT XXVIII.

IDEM PROBATUR QUARTO EX EO QUOD INFELICITAS SEU MISERIA, CUI OPPOSITA EST BEATITUDO, IN DOLORE SEU CRUCIATU FORMALITER POSITA EST.

Deinde vero, [5] quoniam ita miseria beatitudini, *sicut* bellum paci videtur esse contrarium, [6] erit è contrario *beatitudinis* miseria sempiterna. *Unde* [7] merito hîc quæritur, quod vel quale *malum* in finibus malorum è contrario possit intelligi.

Verum qui hoc quærit, [8] summum malum dolere sine ulla, ut opinor, falsitate, *intelligit*, *id est* [9] pœnas ipsas *experiri*, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, *seu quibus* [10] punit eos Deus, qui leges prætereunt, ad id quod elegerunt eos expellens, ad complendam summam miseriarum.

Ibi profecto [11] miser est *animus*, *quatenus* sentit, quia scit se nolente consumi propter quod cætera et quod præ cæteris, *appetitu nempe naturali* diligit. Sic enim beatitudo [12] nolentem deserendo miserum facit, *dum* [13] quid amiserit sentit, cui de bono amisso fuerit malè. [14] Sensus *quippe* relinquitur *naturæ rationali*, quo sit misera; *unde et* [15] præs-

[1] Lib. 19 , de Civit Dei, c. 28. — [2] Ibid., c. 27. — [3] Ibid., cap. 13. — [4] Lib. 6, de Musica, cap. 11. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Lib. 1, Sol., c. 12. — [9] Lib. 4, de Baptismo, c. 19. — [10] In Psalm. 5. — [11] Lib. 13, de Trinit., c. 8. — [12] Ibid. — [13] Lib. 8, de Genesi ad lit., c. 14. — [14] Lib. 13, de Trinit., cap. 8. — [15] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 1.

tantior est etiam misera, quam illa quæ rationis vel sensus est expers, et ideo in eam non cadit miseria, *sicut, verbi gratia,* [1] lapis, qui dolere nullo modo potest, et [2] cætera in hac creaturæ universitate, *quæ* misera esse non possunt : *quanquam* [3] et qui omnino malum desertionis suæ majore stupore superbiæ *in hac vita* non sentiunt, aliis qui hæc discernere noverunt, miseriores apparent, etiam dum [4] gaudent in mortiferis voluptatibus. [5] Illis lætitia cæcitas est, et summa, *in hoc scilicet mundo,* miseria. Ipsa enim magis implicat animas et ad majora tormenta perducit ; quoniam [6] in futurum judicium servatur ad manifestationem atque ad acerrimum sensum miseriæ, quicquid nunc *per stuporem et cæcitatem* occultissimè vindicatur, *ut jam suprà diximus. At per hoc* [7] ipsa quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus est timenda quam miseria : quandoquidem miseria plerumque affert ex tribulatione fructum bonum ; felicitas autem corrumpit animum perversa securitate, et dat locum diabolo tentatori.

Id profectò [8] æterna lex incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit ; in beatitudine autem et miseria præmium atque supplicium, *quemadmodum in superioribus jam animadvertimus. Ac proindè, sicut* [9] felicitas virtutis est præmium, *ita* [10] malorum digna et summa infelicitas *in eo* apparebit, *quod* [11] peccati pœna est et supplicium nominatur : *quoniam ita* [12] meritum pœnæ peccatum est, *sicut* meritum præmii rectè factum est. *Hinc* [13] peccantes in suppliciis ordinantur, quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est ; sed quia culpæ competit, ideo justitia est. *Ita enim ex peccato* [14] per justitiam Dei cruciatus consequitur ; *sicque* [15] intelligimus unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti. [16] Quisquis malus est, malè secum est ; torqueatur necesse

[1] Lib. 12 de Civit Dei, cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Lib. 11, de Genesi ad litt., cap. 5. — [4] Ibid. — [5] Lib. de Agone Christ., cap. 7. — [6] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 15. — [7] In Psalm. 68. — [8] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 14. — [9] Lib. 4, de Civit. Dei, cap. 24. — [10] Ibid., lib. 20, cap. 1. — [11] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 18. — [12] Lib. 83 qq., q. 24. — [13] Lib. de Natur. boni., c. 7. — [14] Lib. 12, de Civit. Dei, c. 1. — [15] In Psalm. 7. — [16] In Psalm., c. 36.

est sibi seipso tormento. Ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua.

Ab [1] illa *igitur* beatitudine, quam Deus dat sanctis suis, per supplicium *anima* separatur. [2] De *quo* sempiterno supplicio damnatorum, per suum prophetam Deus dixit : Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : *quorum* [3] propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animam *nonnulli retulerunt* : [4] quod credibilius esse videtur ; quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum ; *vel si* [5] ad corpus dicatur utrumque pertinere, tantum *tamen* in illis divinæ Scripturæ verbis animi dolorem *existimo* : quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia crucietur, quando et [6] spiritus torquetur apud inferos, *cum* jacet corpus involutum linteis *in sepulchro. Ibi profectò est* [7] animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, dissensio *scilicet* ab iis rebus, quæ nobis nolentibus accidunt ([8] cum *enim* dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est), *ut proindè* [9] bellum in finibus malorum *meritò* possit intelligi. *Si quis autem* [10] attendat quid in bello noxium perniciosumque sit, et videbit nihil aliud esse, quàm inter se rerum adversitatem atque conflictum. Quod igitur bellum gravius et amarius cogitari potest, quàm ubi voluntas sic adversa est passioni, et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiæ finiantur ; et ubi sic confligit cum ipsa natura corporis [11] vis doloris, ut neutrum alteri cedat? [12] Ibi *enim* et dolor permanet, ut affligat ; et natura perdurat, ut sentiat : quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat. *Sic enim* [13] sensus, *ut supra dictum est*, *naturæ rationali* relinquitur, quo sit misera.

Et [14] miseriæ *quidem* istius causa ex eo est intelligenda, quod est, non adhærere Deo. *Unde* [15] cum quæritur cur

[1] Tract. 89, in Joann. — [2] Lib. 21, de Civit. Dei, c. 9. — [3] Ibid., lib. 20, cap. 22. — [4] Ibid., cap. 21, — [5] Ibid. — [6] In Psalm. 48. — [7] Lib. 14, de Civit. Dei, cap. 15. — [8] Ibid., cap. 6. — [9] Ibid., lib. 19, c. 28. — [10] Ibid. — [11] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 28. — [12] Ibid. — [13] Lib. 13, de Trin., c. 8. — [14] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 1. — [15] Ibid.

mali sint miseri, rectè respondetur, quia non adhærent Deo, [1] quo *scilicet* amisso, *creatura intellectualis* misera est, *cum* [2] nec expleat indigentiam suam, nisi utique beata sit ; eique explendæ non sufficiat nisi Deus ; *cui* [3] cum homo non vult adhærere, privat se bono ; et hoc malum est ei, unde per justitiam Dei cruciatus consequitur.

Ita [4] cum causa miseriæ malorum angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quod ab illo qui summè est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt, [5] et qui magis essent, si ei qui summè est, adhærerent. Hic primus defectus et prima inopia primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata est, ut nec summè esset, et tamen ad beatitudinem habendam, eo qui summè est, frui posset, à quo aversa, non quidem nulla, sed tamen minus esset, atque ob hoc misera fieret.

CAPUT XXIX.

DOCTRINAM ISTAM, QUA BEATITUDO FORMALIS IN DEI FRUITIONE SEU DELECTATIONE CONSTITUITUR, AB EPICUREORUM ERRORE LONGE DIFFERRE, QUI BEATITUDINEM IN VOLUPTATE CORPORIS CONSTITUUNT.

Absit *tamen*, [6] Domine, absit a corde servi tui, qui confitetur tibi : absit ut, *sicut dixi superius*, quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te ; ipsa est et non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. [7] Est *enim* gaudium de turpitudine, de decore, de deformitate. De iis gaudet sæculum. [8] Luxurientur homines, fornicentur, in spectaculis nugentur, ebriositate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur et videte

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 12, de Civit. Dei, cap. 6. — [5] Ibid. — [6] Lib. 10, Confess., cap. 22. — [7] Serm. 37, de Verb. Domini. — [8] Ibid.

sæculi gaudium. [1] Jucunditas *illa* quæ est secundum sæculum, non est vera jucunditas. Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Gaudere quod vocant impii, non est gaudere. [2] Gaudere propriè est bonorum. [3] Insana *hæc* gaudia non sunt gaudia. Tamen qualiacumque sint, quantumcumque *animum* delectet jactantia divitiarum, et tumor honorum, et vorago popinarum, et bella theatrorum, et immunditia fornicationum, et prurigo thermarum; aufert omnia ista una febricula, et adhuc viventibus totam falsam beatitudinem subtrahit : remanet inanis et saucia conscientia, Dominum sensura judicem, quem noluit habere custodem. [4] Si gaudere vis in argento, aut argentum perit, aut tu; et nemo scit quid prius, *ut alibi jam supra monuimus.* [5] De quocumque tali bono gaudeas, certe transitorium est. Si autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem Scripturam : *Delectare in Domino.* Tanto firmiùs gaudebis, quanto est ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem. Si autem gaudes de Deo, quid times? Ne tibi quisquam auferat Deum? Deum nemo tibi auferet, si tu eum non dimiseris. [6] Delicias istas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. [7] Gaudium *itaque* nostrum est de spiritalibus rebus, non de terrenis bonis.

Simul [8] *etiam* oportet, ut *pariter* dictum est superius, cernat animus esse *Deum* supra suam naturam, ejusque participatione atque illustratione se uberiùs certiùsque gaudere, quam seipso; [9] cum nempe seipso sibi quasi suo bono gaudet; *proindeque* [10] non suo bono beatum esse, cum beatus est. [11] Verum *enim* gaudium omnes homines habere volunt, *cum* [12] omnes esse beati volunt.

Hoc [13] est plenum gaudium, quo amplius non est, frui, *scilicet veritate* Dei. [14] Bonum *autem* hominis in voluptate carnis posuerunt *Epicurei* : *Stoici verò* [15] tantam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum

[1] In Psalm. 96. — [2] Lib. 14, de Civit. Dei, c. 8. — [3] Lib. de Catech. rud., cap. 16. — [4] In Psalm. 84. — [5] In Psalm. 144. — [6] In Psalm. 84. — [7] In Psalm. 137. — [8] Epist. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Serm. 8. — [12] Lib. 10, Confess., cap. 23. — [13] Lib. 1, de Trinit., cap. 8. — [14] Serm. 13, de Verb. Apost. — [15] Ibid.

bonum in virtute suâ. [1] Dicebat Epicureus : Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus : Mihi frui mea mente bonum est. [2] Dicebat Epicureus : Beatus cui est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus : Imò beatus cujus est in fructu virtus animæ ejus. [3] Errat Epicureus. Falsum est enim, esse hominem beatum, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur et Stoicus ; falsum est enim, et omnino mendosissimum, beatum esse hominem cujus est in fructu virtus animi ejus. *Beatus* ergo *cujus est nomen Domini spes ejus.* [4] Beata quippe vita, est gaudium de veritate; *quia* [5] verum gaudium non est nisi regnum cœlorum, quod quidem *ipsa Dei veritas* est.

Cedant [6] igitur omnes illis philosophis, qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo : non sicut corpore vel seipso animus, aut sicut amicus amico, sed sicut luce oculus.

CAPUT XXX.

CREATURAM INTELLECTUALEM PLENÈ PERFECTÈQUE BEATAM DICI NON POSSE, NISI DE SUÆ BEATITUDINIS ÆTERNITATE OMNINO SIT SECURA.

Porro, [7] quamvis non quicquid æternum continuò beatum sit (dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus) : tamen verè perfectèque beata vita non nisi æterna est. *Unde fit, ut* [8] non *esset* talis, *id est*, *verè perfectèque beata*, istorum beata vita, *in quibus* quandoque desitura, et propterea non æterna *foret,* sive id scirent, sive nescientes aliud putarent : quia scientes timor, nescientes error beatos esse utique non *sineret.* Si autem hoc *ita* nescirent, ut falsis incertisve non fiderent, sed utrum sempiternum, an quandoque finem habiturum esset bonum suum, in neutram partem firma assensione ferrentur, ipsa de tanta felicitate cunctatio eam beatæ vitæ plenitudinem, quam in sanctis Angelis esse

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. 10, Confess., cap. 22. — [5] Sermo 8. — [6] Lib. 8, de Civ. Dei, cap. 1. — [7] Lib. 11, de Civit. Dei, 11. — [8] Ibid.

credimus, non *haberet.* [1]Hanc *enim* excellentiam sapientis beatæque vitæ, quæ proculdubio non nisi æterna, æternitatisque suæ est certa atque secura, habere Angelos lucis pia fide credimus, *qui nimirum* [2] ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt: [3] hanc *verò* nec antequam caderent, habuisse angelos peccatores, qui sua pravitate illa luce privati sunt, consequenti ratione colligimus, *ut supra jam dictum est.*

Cum [4] ergo beati esse omnes homines velint, si verè volunt, profecto et esse immortales velint; aliter enim beati esse non possunt. *Unde* et de immortalitate interrogati sicut et de beatitudine, omnes eam se velle respondent, sine qua *nempe* vera beatitudo esse non potest. [5]Ille quippè beatè vivit, quod jam superiùs diximus, et astruendo satis fiximus, qui vivit ut vult, nec malè aliquid vult. Nemo autem malè vult immortalitatem, si ejus humana capax est Deo donante natura: cujus si capax non est, nec beatitudinis capax est. Ut enim homo beatè vivat, oportet ut vivat. Quem porrò morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere qui potest? Cum autem deserit, aut nolentem deserit procul dubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem, quomodo beata vita est, quæ ita est in voluntate, ut non sit in potestate? Cumque beatus nemo sit aliquid volendo nec habendo, quanto minus est beatus qui non honore, non possessione, non qualibet alia re, sed ipsa beata vita nolens deseritur, quando ei nulla vita erit? Unde etsi nullus sensus relinquitur, quo sit misera, propterea enim beata vita discedit, quoniam tota vita discedit: miser est tamen, quamdiu sentit, quia scit se nolente consumi propter quod cætera et quod præ cæteris diligit. Non igitur potest vita et beata esse, et nolentem deserere; quia beatus nolens nemo fit: ac per hoc quanto magis nolentem deserendo miserum facit, quæ si nolenti præsto esset, miserum faceret. Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata erat, quam perire voluit qui habebat? Restat

[1] Ibid. — [2] Ibid., lib. 12, cap. 9. — [3] Ibid., lib. 11, cap. 13. — [4] Lib. 13, de Trin., cap. 8. — [5] Ibid.

ut dicant neutrum esse in animo beati; id est, eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle, ad utrumque enim parato et æquo corde consistere. Sed nec ista beata est vita, quæ talis est, ut quem beatum facit, amore ejus indigna sit. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat, indifferenter accipitur? Nisi forte virtutes quas propter solam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam propter quam solam istas amavimus, non amamus. Deinde quomodo erit vera tam illa perspecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, beatos esse omnes homines velle, si ipsi qui jam beati sunt, beati esse nec nolunt, nec volunt? Aut si volunt, ut veritas clamat, ut natura compellit, cui summè bonus et immutabiliter beatus Creator, *ut alibi jam diximus*, indidit hoc: Si volunt, inquam, beati esse qui beati sunt, beati utique non esse nolunt. Si autem beati non esse nolunt, procul dubio nolunt consumi et perire quòd beati sunt; nec nisi viventes beati esse possunt. Nolunt igitur perire quod vivunt. Immortales ergo esse volunt, quicumque verè beati vel sunt vel esse cupiunt. Non autem vivit beatè, cui non adest quod vult. Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.

CAPUT XXXI.

NEMINEM IN HAC VITA MISERIIS PLENA BEATUM ESSE POSSE; UNDE ET PHILOSOPHI REFELLUNTUR, QUI MALA IPSA FORTITER TOLERANDO, HIC SIBI CONANTUR BEATITUDINEM FABRICARE.

Illi [1] *tamen*, qui in ista vita fines bonorum et malorum esse putaverunt, sive in corpore, sive in animo, sive in utroque ponentes summum bonum; atque ut id explicatius eloquar, sive in voluptate, sive in virtute, sive in

[1] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 4.

utraque ; sive in quiete, sive in voluptate simul et quiete, sive in virtute, sive in utrisque ; sive in primis naturæ ([1]quæ *scilicet* homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quæ virtus dicitur et proculdubio discitur, velut naturaliter appetunt, *et* [2]in quibus et hæc [3]voluptas, quies utrumque sunt et alia), [4]sive in virtute, sive in utrisque : hic beati esse, et à seipsis beati fieri mirâ vanitate voluerunt. Irrisit hos Veritas per prophetam dicentem : *Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* ; vel sicut hoc testimonium posuit apostolus Paulus : *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* Quis enim sufficit, quantovis eloquentiæ flumine, vitæ hujus miserias explicare ? Quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiæ, sicut potuit ? Sed quantum est quod potuit ? Ea quippe quæ dicuntur prima naturæ, quando, ubi, quomodo tam bene se habere in hac vita possunt, ut non sub incertis casibus fluctuent? Quis enim dolor contrarius voluptati, quæ inquietudo contraria quieti, in corpus cadere sapientis non potest ? Membrorum certè amputatio vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas sanitatem, vires lassitudo, mobilitatem torpor, aut tarditas. Ecquid horum est, quod nequeat in carnem sapientis irruere? Status quoque corporis atque motus, cum decentes atque congruentes sunt, inter naturæ prima numerantur. Sed quid si aliqua mala valetudo membra tremore concutiat ? Quid si usque ad ponendas in terram manus, dorsi spina curvetur, et hominem quodammodo quadrupedem faciat? Nonne omnem statuendi corporis, et movendi speciem decusque pervertet ? Quid ipsius animi primigenia, quæ appellantur bona, ubi duo prima ponunt propter comprehensionem perceptionemque veritatis, sensum et intellectum? Sed qualis quantusque remanet sensus, si, ut alia taceam, fiat homo surdus et cæcus? Ratio vera et intelligentia quo recedet, ubi sopietur, si aliquo morbo efficiatur insanus ? Phrenetici

[1] Ibid., cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 4.

multa absurda cum dicunt, vel faciunt, plerumque à bono suo proposito, et moribus aliena, imo suo bono proposito moribusque contraria, sive illa cogitemus, sive videamus, si dignè consideremus, lacrymas tenere vix possumus. Quid dicam de his, qui dæmonum patiuntur incursus? Ubi habent absconditam vel obrutam intelligentiam suam, quando secundum suam voluntatem, et anima eorum et corpore malignus utitur spiritus? Et quis confidit hoc malum in hac vita evenire non posse sapienti? Deinde perceptio veritatis in hac carne qualis aut quanta est, quando, sicut legimus in veraci libro Sapientiæ: *Corpus corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem?* Impetus porrò, vel actionis appetitus, si hoc modo rectè latine appellatur, ea quam Græci vocant ὁρμὴν, quia et ipsam primis naturæ deputant bonis : nonne ipse est, quo geruntur etiam insanorum illi miserabiles motus, et facta quæ horremus, quando pervertitur sensus, ratioque sopitur? Porro ipsa virtus, quæ non est inter prima naturæ, quoniam eis postea doctrinâ introducente supervenit, cùm sibi bonorum culmen vindicet humanorum, quid hìc agit, nisi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, sed interioribus: nec alienis, sed plane nostris, et propriis.

Quanta [1] *igitur* est vanitas, quanta insania, quantum mendacium, hominem mortalem, ærumnosam vitam mutabili et spiritu et carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium in seipso fidere ut beatus sit? [2] Beatitudinem *enim*, quæ in futuro erit sæculo, *gentiles* philosophi, quoniam non videntes nolunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare quantò superbiore, tantò mendaciore virtute.

Nunc [3] *ergo* fecerunt quidam sibi philosophi, sicut eorum cuique placuit, vitas beatas suas, ut quasi proprià virtute possent, quod communi mortalium conditione non poterant, sic scilicet vivere ut vellent. Sentiebant enim aliter beatum esse neminem posse, nisi habendo quod vellet, et nihil patiendo quod nollet. Quis autem non qualemcumque

[1] Epist. 52. — [2] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 4. — [3] Lib. 13, de Trinit., c. 7.

vitam quâ delectatur, et ideò beatam vocat, vellet sic esse in sua potestate ut eam posset habere perpetuam? Et tamen quis ita est? Quis vult pati molestias quas fortiter toleret, quamvis eas velit, possitque tolerare si patitur? Quis velit in tormentis vivere, etiam qui potest in eis per patientiam tenendo justitiam laudabiliter vivere? Transitura cogitaverunt hæc mala qui ea pertulerunt, vel cupiendo habere, vel timendo amittere quod amabant, sive nequiter sive laudabiliter. Nam multi per transitoria mala, ad bona permansura fortiter tetenderunt. Qui profectò spe beati sunt, etiam cùm sunt in transitoriis malis, per quæ ad bona non transitura perveniunt. Sed qui sic spe beatus est, nondum beatus est. Exspectat namque per patientiam beatitudinem quam nondum tenet. Qui verò sine ulla spe tali, sine ulla tali mercede cruciatur, quantamlibet adhibeat tolerantiam, non est beatus veraciter, sed miser fortiter. Neque enim propterea miser non est, quia miserior esset, si etiam impatienter miseriam sustineret. Porrò si ista non patitur, quæ nollet pati in suo corpore, nec tunc quidem beatus habendus est, quoniam non vivit ut vult. Ut enim alia omittam, quæ corpore illæso ad animi pertinent offensiones, sine quibus vivere vellemus, et sunt innumerabilia ; vellet utique si posset ita salvum atque incolume habere corpus, et nullas ex eo pati molestias, ut id haberet in potestate, aut in ipsius incorruptione corporis : quod quia non habet, ac pendet in incerto, profecto non vivit ut vult. Quamvis enim per fortitudinem sit paratus excipere, et æquo ferre animo quidquid adversitatis acciderit ; mavult tamen ut non accidat, et si possit, facit ; atque ita paratus est in utrumque, ut quantum in ipso est alterum optet, alterum vitet, et si quod vitat, incurrerit, ideo volens ferat, quia fieri non potuit quod volebat. Ne opprimatur ergo sustinet : sed premi nollet. Quomodo ergo vivit ut vult. An quia volens fortis est ad ferenda quæ nollet illata ? Ideo igitur id vult quod potest, quoniam quod vult, non potest. Hæc est tota, utrum ridenda, an potiùs miseranda, superborum beatitudo mortalium, gloriantium se vivere ut volunt, quia volentes patienter ferunt quæ accidere sibi nolunt. Hoc enim, aiunt, quod sapienter dixit

Terentius : « Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis. » Commodè hoc dictum esse, quis negat? Sed consilium est datum misero, ne esset miserior. Beato autem, quales se esse omnes volunt, non recte nec verè dicitur : Non potest fieri quod vis. Si enim beatus est, quicquid vult fieri potest.

Vita [1] igitur, quæ istorum tam magnorum tamque gravium malorum aut premitur oneribus, aut subjacet casibus, nullomodo beata diceretur, si homines, qui hoc dicunt, sicut victi malis ingravescentibus, cum sibi ingerunt mortem, cedunt infelicitati : ita victi certis rationibus, cùm quærunt beatam vitam, dignarentur cedere veritati, et non sibi putarent in ista mortalitate fine summi boni esse gaudendum : ubi virtutes ipsæ, quibus hic certè nihil melius atque utilius in homine reperitur, quanto majora sunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum, tanto fideliora testimonia miseriarum. Si enim veræ virtutes sunt, quæ nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt : non se profitentur hoc posse, ut nullas miserias patiantur homines, in quibus sunt. Neque enim mendaces sunt veræ virtutes, ut hoc profiteantur : sed ut vita humana, quæ tot et tantis hujus seculi malis esse cogitur misera, spe futuri seculi sit beata, sicut et salva.

CAPUT XXXII.

BEATITUDINEM, QUÆ HIC INVENIRI NON POTEST, IN FUTURA VITA ESSE NOBIS EXSPECTANDAM, IN QUA SEMPITERNA ERUNT BONA, NON ANIMÆ SOLUM SED ETIAM CORPORIS, QUOD IDEM PLANÈ RESURRECTURUM FIDES CHRISTIANA DOCET.

Cum [2] autem ex hac vita ab eo, qui in his miseriis fidelis et bonus est, ventum fuerit ad beatam, tunc erit verè quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat quomodo vult. Non enim volet malè vivere in illa felicitate, aut volet

[1] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 4. — [2] Lib. 13, de Trinit., cap. 7.

aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit. Quicquid amabitur, aderit : nec desirabitur quod non aderit : omne quod ibi erit bonum erit, atque ad fruendum amantibus præsto erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit.

Ibi [1] erunt naturæ munera, hoc est, qûæ naturæ nostræ ab omnium creaturarum Creatore donantur, non solum bona, verum etiam sempiterna : non solùm in animo qui sanatur per sapientiam : verum etiam in corpore, quod resurrectione renovabitur. Hæc [2] *enim* visibilis caro, quæ naturaliter est caro, [3] hæc ergo visibilis, quæ caro propriè dicitur, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus apostolus eam tanquam digito suo ostendere, cùm dicit : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Cùm enim dicit, *hoc*, in eam quasi digitum intendit.

CAPUT XXXIII.

DEO, QUI POTUIT FACERE QUOD NUNQUAM FUIT, NON ESSE IMPOSSIBILE CORPUS, QUOD ALIQUANDO FUIT, EX CINERIBUS, UBICUMQUE DELITESCANT, REPARARE.

Absit [4] autem ut ad resuscitanda corpora vitæque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia revocare, quæ vel bestiæ, vel ignis absumpsit, vel in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit ut sinus ullus secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem.

Unde [5] jam etiam quæstio illa solvenda est, quæ difficilior videtur cæteris : ubi quæritur, cum caro mortui hominis etiam alterius fit viventis (*a quo nempe comesta est*) caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur. [6] Quicquid enim carnium exhausit fames, utique in auras est

[1] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 10. — [2] Lib. de Fide et Symb., cap. 10. — [3] Ibid. — [4] Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 20. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

exhalatum : unde diximus omnipotentem Deum posse revocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitùs cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta deputanda est : quæ sicut æs alienum, ei reddenda est, unde sumpta est. Sua verò illi, quem fames exinanierat, ab eo qui potest etiam exhalata revocare, reddetur. Quamvis etsi omnibus perisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturæ latebris remansisset, unde vellet, eam repararet Omnipotens. Sed propter sententiam Veritatis, quâ dictum est : *Capillus capitis vestri non peribit* ; absurdum est, ut putemus, cùm capillus hominis perire non possit, tantas carnes fame depastas atque consumptas perire potuisse.

CAPUT XXXIV.

UT BEATÆ SINT ANIMÆ, NON CORPUS OMNE FUGIENDUM, UT VOLUERE PLATONICI ; SED CORPUS INCORRUPTIBILE RECIPIENDUM, QUALE POST RESURRECTIONEM FUTURUM EST CORPUS NOSTRUM, QUOD ET SPIRITALE MERITO DICI POTERIT, QUIA SPIRITUI PERFECTÈ SERVIET.

Verùm [1] de animi *quidem* bonis, quibus post hanc vitam beatissimus perfruitur, non à nobis dissentiunt philosophi nobiles, *nempe Platonici ;* sed de carnis resurrectione contendunt. Hanc quantum possunt negant, [2] quia videlicet *animæ* perfectam beatitudinem tunc illi fieri existimant, cùm omni prorsus corpore exuta ad Deum simplex, et sola, et quodammodo nuda redierit. Ubi si nihil, quo ista refelleretur opinio, in eorum litteris invenirem, operosiùs mihi disputandum esset, quo demonstrarem non corpus esse animæ, sed corruptibile corpus onerosum. Unde illud est quod de Scripturis nostris in superiori libro commemoravimus : *Corpus enim corruptibile aggravat animam.*

Sed [3] cum apertissimè Plato Deos à summo Deo factos habere immortalia corpora prædicet, eisque ipsum Deum,

[1] Ibid., cap. 25. — [2] Ibid., lib. 13, cap. 16. — [3] Ibid.

à quo facti sunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quòd in æternum cum suis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte solventur : quid est quod isti ad exagitandam Christianam fidem, fingunt se nescire quod sciunt : aut etiam sibi repugnantes adversum seipsos dicere malunt, dum nobis non desinant contradicere ? [1]Si animæ, ut beata sit, corpus est omne fugiendum, fugiant dii eorum de globis siderum, fugiat Jupiter de cœlo et terra : aut si non possunt, miseri judicentur.

Cum [2]*itaque* incorruptibilia prorsus immortalia, nihiloque animæ contemplationem, quà in Deum figitur, impedientia prædicentur ; vosque etiam dicatis esse in cœlestibus immortalia corpora immortaliter beatorum : quid est quod ut beati simus omne corpus fugiendum esse opinamini ? [3]Non *igitur*, ut beatæ sint animæ, corpus est omne fugiendum, sed corpus incorruptibile recipiendum.

Non [4]ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora; sed corruptibilia, molesta, gravia, moribunda; non qualia [5]sanctos *dicimus* in resurrectione habituros ipsa, in quibus hìc laboraverunt, corpora, ut nec eorum ea carni aliquid corruptionis vel difficultatis, nec eorum beatitudini aliquid doloris et infelicitatis possit accidere ; [6]in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc *corpus animale* dicitur, quod tamen corpus, non anima est : ita tunc *spiritale corpus erit*, corpus tamen, non spiritus erit. [7]Sicut *ergo* spiritus carni serviens non incongruè carnalis, ita caro spiritui serviens rectè appellabitur spiritalis, non quia in spiritum convertetur, sicut nonnulli putant, eò quòd scriptum est : *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale ;* sed quia spiritui summâ et mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate detractâ.

[1]Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 17. — [2]Ibid., lib. 10, cap. 29. — [3]Ibid., lib. 22, 26. — [4]Ibid., lib. 13, c. 17. — [5]Ibid., lib. 13, c. 19. — [6]Enchir. ad Laurent., cap. 91. — [7]Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 20.

CAPUT XXXV.

DEFUNCTORUM SPIRITIBUS, UT PERFECTÈ PLENÈQUE BEATI SINT, NON SOLUM NON OBESSE, SED ETIAM NECESSARIA ESSE CORPORA, CUM EA NATURALITER APPETANT, EOQUE IPSORUM, CUM ABSUNT, APPETITU, A PERFFCTA, QUAM SANCTI ANGELI HABENT, DEI VISIONE, QUODAMMODO RETARDENTUR; SICQUE PERFECTUM NATURÆ SUÆ MODUM SINT IN SUIS DUNTAXAT CORPORIBUS HABITURI.

Si quem [1] verò movet, [2] quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potes eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi: difficilior quidem quæstio est, quàm ut perfectè possit hoc sermone finiri. Sed tamen minimè dubitandum est, et raptam hominis à carnis sensibus mentem humanam, et post mortem ipsa carne deposita, et transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident: sive alia latentiore causa, sive ideò quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum Cœlum, *id est*, *in Deum ipsum*, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat: *quamvis* [2] si tale sit corpus, cujus sit difficilis et gravis administratio, sicut hæc caro quæ *corrumpitur*, *et aggravat animam*, de propagine transgressionis existens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi cœli.

Nunc [3] *quidem* sanctorum animæ defunctorum ideo non habent gravem mortem, quà separatæ sunt à corporibus suis, quia caro eorum requiescit in spe, quaslibet sine ullo jam sensu contumelias accepisse videatur. Non enim, sicut Platoni visum est, corporum oblivionem desiderant: sed potius, quia meminerunt quid sibi ab eo sit promissum, qui neminem fallit, qui eis etiam de capillorum suorum integritate securitatem dedit, resurrectionem corporum, in quibus

[1] Lib. 12, de Genesi ad litt., cap. 35. — [2] Ibid. — [3] Lib. 13, de Civit. Dei, cap. 20.

multa dura perpessi sunt, nihil in eis ulterius tale sensuri, desiderabiliter et patienter exspectant. Si enim carnem suam non oderant, quando eam suæ menti infirmitate resistentem, spirituali jure coercebant, quanto magis eam diligunt etiam ipsam spiritalem futuram? [1] Licet enim justorum ac piorum animæ defunctorum, quòd in requie vivant, dubitare fas non sit, usque adeò tamen eis melius esset cum suis corporibus bene valentibus vivere, ut etiam illi qui omni modo esse sine corpore beatissimum existimant, hanc opinionem suâ sententiâ repugnante convincant. Neque enim quisquam audebit illorum sapientes homines, sive morituros, sive jam mortuos, id est, aut carentes corporibus, aut corpora relicturos, diis immortalibus anteponere, quibus Deus summus apud Platonem munus ingens, indissolubilem scilicet vitam, id est, æternum cum suis corporibus consortium, pollicetur.

Proinde [2] *anima* cum hoc corpus jam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili suavitate, ut sit illi gloriæ quod sarcinæ fuit.

CAPUT XXXVI.

AD BEATITUDINEM ACQUIRENDAM, VITANDAMQUE MISERIAM, DE QUIBUS HACTENUS DISPUTATUM EST, RECTÈ VIVENDUM ESSE, ID EST, DEUM SUPER OMNIA DILIGENDUM; QUO SOLO, NON AUTEM ULLA PLANÈ CREATURA FRUI LICET.

Non [3] arbitror, cum de moribus ac vita fit quæstio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit ratione nihil aliud quam ipsum Deum; [4] cujus contemplatione perfruentes, eique penitus adhærentes procul dubio beati sumus. [5] Æterna *enim* vita est ipsa cognitio veritatis,

[1] Lib. de Civit. Dei, cap. 19. — [2] Lib. 12, de Genesi ad litt., c. 35. — [3] Lib. de Mor. Eccles., cap. 14. — [4] Ibid., cap. 19. — [5] Ibid., cap. 29.

quatenus scilicet [1] impetrat *anima*, ut veritatis sinceritate perfruatur, *ut alibi fuse probatum est.* [2] Vita *autem* æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus : nec præmium potest præcedere merita, et prius homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo? Non *itaque* debemus poscere præmium antequam mereamur accipere.

Si [3] ergo quæratur a nobis de finibus bonorum malorumque quid *civitas Dei* sentiat, respondebit æternam vitam esse summum bonum, æternam vero mortem esse summum malum : proinde ad illam adipiscendam, istamque vitandam, rectè nobis esse vivendum.

Si [4] *autem* quærimus quid sit bene vivere, id est, ad beatitudinem bene vivendo tendere, id erit profectò amare Virtutem, amare Sapientiam, amare Veritatem, et amare *ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente*; Virtutem, quæ inviolabilis et invicta est, Sapientiam cui stultitia non succedit, Veritatem quæ converti atque aliter quam semper est sese habere non novit, *id est, Deum ipsum, ut ex dictis patet.* [5] Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non *possumus*, sequitur profectò, quoniam summum bonum appetere, est bene vivere : ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. [6] Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. [7] Amor illuc attollit nos. [8] Corpus pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. [9] Pondus autem meum amor meus; eò feror quocumque feror. [10] Ad eum ergo qui ubique præsens est, et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt

[1] Ibid. — [2] Ibid. — [3] Lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4. — [4] Lib. de Mor. Eccles., cap. 13. — [5] Ibid., cap. 25. — [6] Epist. 52. — [7] Lib. 13, Confess., c. 9. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Epist. 52.

bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo nostra, à rectitudine Dei longè sumus. Unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus.

Sed et[1] videamus quemadmodum ipse dominus in Evangelio, nobis præceperit esse vivendum. [2]Audiamus quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas; nec dubium est quin is erit finis, quo nos summo amore tendere jubes : *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Dic mihi etiam, quæso te, qui sit diligendi modus: vereor enim ne plus minusve quàm oportet, inflammer desiderio et amore Domini mei. *Ex toto*, inquit, *corde tuo.* Non est satis. *Ex tota anima tua.* Ne id quidem satis est. *Ex tota mente tua.* Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius. *Unde jam*[3] negent si possunt, *qui voluerint*, et dicant non oportere Deum diligi. [4]Quæ si dicunt, non solùm illis cum Christianis, sed nec cum hominibus quidem ratio est. [5]Maximum ergo, quod ad beatam vitam ducit, primumque mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, [6]et anima et mente; ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait : Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut aliâ re velit frui ; sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit? [7]Frui *siquidem* est amore inhærere alicui rei propter seipsam; *sicut* uti, quod in usum venerit ad id, quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. [8]Quod *autem* propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata, *seu finis boni.* [9]Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter seipsum. *Ac proinde* [10] in omnibus rebus illæ tantum sunt, quibus fruendum est, quas æternas et incommutabiles

[1]Lib. de Mor. Eccles., cap. 8. — [2]Ibid. — [3]Lib. de Mor. Eccles., cap, 28. [4]Ibid. — [5]Ibid., cap. 11. — [6]Lib. 1, de Doctr. Christ., c. 22. — [7]Ibid., cap. 4. — [8]Ibid., cap. 22. — [9]Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 1. — [10]Lib. 1, de Doct. Christ., c. 22.

dicimus. Cæteris autem utendum est, ut ad illarum perfuitionem pervenire possimus.

Ita [1] res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur et utuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, et quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos verò qui fruimur et utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, et aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti. [2] Quomodo ergo, si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri, et miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam, quâ fruendum erat, pervenire valeremus; quòd si amœnitates itineris, et ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, et conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, et perversâ suavitate implicati alienaremur à patria, cujus suavitas faceret beatos : sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc modo, non fruendum; ut *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur*, hoc est, ut de corporalibusque rebus æterna et spiritalia capiamus.

CAPUT XXXVII.

EX DICTIS INFERTUR VIRTUTEM, QUA SCILICET AD BEATITUDINEM TENDIMUS, IPSISQUE JUSTITIÆ AC HONESTI REGULIS INHÆREMUS, AB AMORE DEI CASTO ET SINCERO NON DISTINGUI.

Quod [3] si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei, *ad quem scilicet* [4] imus, non ambulando, sed amando.

[1] Lib. 1, de Doctr. Christ., c. 3. — [2] Ibid., c. 4. — [3] Lib. de Mor. Eccles., c. 15. — [4] Epist. 52

Nemo [1] *certè* dubitaverit, quin virtus animam facit optimam. [2] Tunc autem est optimus homo, cum totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam, *id est*, *Deum*, et toto affectu inhæret illi.

Rursus [3] procul dubio aliquid anima sequitur, ut virtutem assequatur. Id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si seipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur : stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur, assequatur. Aut igitur optabit non assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius et perversius dici potest : aut cum se sequitur stulta, eamdem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens, [4] rectissimè quæri potest utrum ista virtus etiam per se, an nisi in anima esse non possit. *Ubi certè* [5] oboritur iterum altissima, et longissimi sermonis indigens quæstio ; sed hoc bene utar fortasse compendio : spero Deum adfuturum, ut quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modò dilucide, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per se esse possit virtus sine anima, sive nisi animæ inesse non possit. *Si enim* [6] nisi in anima esse non possit [7] quomodo sequitur *anima* id quod non est? aut quomodò assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam, *virtus scilicet objectiva, quam ab ipso Deo non distingui ex iis, quæ jam alibi dicta sunt, perspicua ratione inferius ostendetur*; aut, si non placet vocare virtutem, nisi habitum ipsum et quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur anima, ut ei virtus possit innasci : quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo petest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est, aut Deus. Sed suprà dictum est, tale

[1] Lib. de Mor. Eccles , c. 6. — [2] Lib. 1, de Doct. Christ., c. 22. — [3] Lib. de Mor. Eccles., cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

quiddam esse debere quod inviti amittere nequeamus. Quis verò cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modò recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat, quem si sequimur, benè : si assequimur, non tantum bene, sed etiam beatè vivimus. [1]Veritatem enim atque sapientia, quæ, communis est omnibus, omnes sapientes et beati fiunt, inhærendo illi. Beatitudine autem *vel sapientia* alterius hominis non fit alter beatus *vel sapiens;* quia et cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus *vel sapiens* fieri, unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate, *de qua superius disputatum.* Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiâ, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur : sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.

Deinde [2]in nullo est vera virtus, nisi fuerit justus. [3]Jam *vero* justus est, qui perfecte novit, perfectèque amat justitiam, [4]lumen justitiæ, [5]honestum quod *nempe* propter se appetendum, [6]lumen honestatis et gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, et videtur ex intimo ([7]ita *enim* constituti sumus, ut et per carnem voluptate affici, et per spiritum honestate possimus); [8]qui vult justè vivere, id est, secundum justitiam, [9]ut secundùm eam actus suos dirigat, quia nisi secundum justitiæ regulas direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingit.

Quapropter [10] ut sit justus qui nondum est, vult utique justus esse. Ut autem velit, diligit justum. Diligit ergo justum et qui nondum justus est. Diligere autem justum non potest, si quid sit justus, ignorat. Proinde novit quid

[1]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 19. — [2]Lib. 4, Contra Julian., cap. 3. — [3]L. 9, de Trinit., c. 9. — [4]Serm. 44, de Divers. — [5]Lib. 83 qq., q. 30. — [6]Lib. 6, Confess., cap. 16. — [7]Lib. de Duabus animabus, cap. 13. — [8]Serm. 44, de Divers. — [9]Ibid.

sit justus, etiam qui nondum est. [1]Ubi ergo novit quid sit justus, qui nondum est, atque ut sit diligit justum? [2]Ubi novimus quid sit justus, etiam cum justi nondum sumus? [3]In nobis *profectò* novimus quid sit justus. Non enim alibi hoc invenio, cum quæro ut hoc eloquar, nisi apud meipsum. [4]Cum enim dico et sciens dico : Justus est animus qui scientia atque ratione in vita et moribus sua cuique distribuit; non aliquam rem absentem cogito; [5]sed præsens quiddam cerno, et cerno apud me, etsi non sum ipse quod cerno. [6]Et quisquis me audit, atque scienter approbat, apud se et ipse hoc idem cernit, etiamsi non sit et ipse quod cernit. [7]An illud quod videt, veritas est interior præsens animo, qui eam valet intueri? Neque omnes valent; et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere quid sit justus animus. Quòd unde esse poterunt, nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur et sint justi animi; non tantum cernentes et dicentes justum esse animum qui scientiâ, atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi juste vivant justeque morati sint, sua cuique distribuendo, ut *nemini quicquam debeant*, nisi *ut invicem diligant.* Et unde inhæretur illi formæ, nisi amando?

In [8] Deo *autem* conspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundum quam hominem vivere oportere judicamus, *ut jam a nobis multoties inculcatum. Cum enim* [9]etiam impii multa rectè reprehendunt recteque laudant in hominum moribus; quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum proculdubiò mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat, quisquis in eis et hoc videre potuerit: nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes verò eorum constet esse injustas.

[1] Lib. 8, de Trinit., c. 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid. — [8] Ibid., cap. 9. — [9] Ibid., lib. 14, cap. 15.

Unde jam intelligitur [1]altissima illa, *ut supra dicebamus*, et longissimi sermonis indigens quæstio, [2]utrum *scilicet* virtus etiam per se, an nisi in anima esse non possit. [3]Satis enim est, *ut intelligatur*, quod istas tanquam regulas, et quædam lumina virtutum, et vera et incommutabilia, et sive singula, sive omnia communiter adèsse ad contemplandum eis, qui hæc valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariterque mecum vides, certissimumque esse concedis. [4]Conamini, *quæso*, cogitare lumen justitiæ : præsens est enim cogitanti. [5]Peccat aliquis. Deserit justitiam : diminuta est? Conversus est ad justitiam : quid? Aucta est? Deserit eam, integram reliquit : convertitur ad eam, integram illam invenit. [6]Sic justitia, sic sapientia, sic veritas, sic castitas. [7]Aliud *enim* est castitas, aliud castum. *Et* horum *quidem* duorum, *primum illud puto* esse præstantius. [8]Non enim casto castitas, sed castitate fit castum. [9]Quid *etiam*? cum castus aliquis moritur, *censemus* mori castitatem? nullo modo. [10]Cum *enim* fit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quò se autem convertat ut fiat bonus animus, nisi ad bonum, cum hoc amat et appetit, et adipiscitur? Unde si rursus se avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quòd se avertit à bono, nisi maneat in se illud bonum unde se avertit, non est quò se iterum, si voluerit emendare, convertat.

Quid igitur [11]omnes, quas regulas diximus et lumina virtutum? [12]Quid est lumen justitiæ? [13]Ubinam sunt regulæ istæ scriptæ, ubi quid sit justum et injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? unde omnis lex justa describitur, et in cor hominis qui operatur justitiam non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo et in ceram transit, et annulum non relinquit.

[1]Lib. de Mor. Eccles., cap. 6. — [2]Ibid. — [3]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [4]Serm. 44, de Divers. — [5]Ibid. — [6]Ibid. — [7]Lib. 1, Soliloq., c. ultim. — [8]Ibid. — [9]Ibid. — [10]Lib. 8, de Trinit., cap. 3. — [11]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 10. — [12]Serm. 44, de Divers. — [13]Lib. 14, de Trinit., c. 15.

Ipsa [1] *autem* veritas Deus est. [2]Nec *enim*, *ut supra jam diximus*, illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, esse Deum, [3]cujus *proindè* unius anima intellectualis, incorporeo, si dici potest, amplexu veris impletur, fecundaturque virtutibus. [4]Deus *enim* incommutabilis est, anima mutabilis. Quando capit anima ex Deo unde sit bona, participando fit bona : quomodo tuus oculus participando videt. Nam lumine subtracto non videt, cujus particeps factus videt. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet cujus erat particeps bona. Bonitatis enim cujusdam particeps facta est, cùm bona esset : quâ mutatâ in pejus, integra bonitas permanet. Si recedat anima et mala fiat, non minuitur bonitas : si revertatur et bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis hujus, et vides : clausus est? hanc lucem non minuisti : apertus est? hanc lucem non auxisti. Hac datâ similitudine, fratres, intelligite quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus fit particeps anima : si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima : si bona est anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima : si est verax anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima. Cujus particeps si non fuerit anima, *omnis homo mendax*. *Sicque* [5]ad hoc se animus convertit ut bonus sit, a quo habet ut animus sit; *quia nimirum ut ex dictis patet* [6]in Deo conspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundum quam hominem vivere oportere judicamus.

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 15. — [2] Lib. de Vera Relig., c. 31. — [3] Lib. 10, de Civit. Dei, cap. 4. — [4] Tract. 39, in Joann. — [5] Lib. 8, de Trinit., c. 3. — [6] Ibid., cap. 9.

CAPUT XXXVIII.

VIRTUTEM NON ESSE NISI DEI AMOREM, EX EO ETIAM OSTENDITUR, QUOD VIRTUS SIT BONUS EORUM USUS, QUIBUS ETIAM MALE UTI POSSUMUS; NEC BONUS ESSE POSSIT EORUM USUS, NISI AD FINEM LEGITIMUM, ID EST, AD DEUM IPSUM PER AMOREM REFERANTUR.

Sed [1] *ad virtutem jam redeamus.* Voluntas ergo, quæ medium bonum est, cum inhæret incommutabili bono eique communi non proprio, sicuti est illa, de qua multum *supra* locuti sumus, et nihil dignè diximus, veritas, [2] impetrat prima et magna hominis bona, *id est* [3] virtutes omnes, quibus malè uti nemo potest, *qualem* [4] intueris justitiam, qua nemo malè utitur. Hæc *enim* inter summa bona quæ in ipso sunt homine numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa recta vita et honesta constat. Nam neque prudentiâ, neque fortitudine, neque temperantiâ malè quis utitur : in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Rectâ autem ratione malè uti nemo potest. Ista ergo magna, bona sunt : sed meminisse te oportet, non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est, Deo. Id enim superior disputatio persuasit, cui toties tamque lætus assensus es. Virtutes igitur quibus rectè vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè vivi potest, minima bona sunt : potentiæ verò animæ sine quibus rectè vivi non potest, media bona sunt; *quia nempe* virtutibus nemo malè utitur : cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solùm benè, sed etiam malè quisque uti potest. Et ideo virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus. Nemo autem benè utendo malè utitur.

Tunc [5] ergo est vera virtus, quando et omnia bona, quibus

[1] Lib. 2, de Lib. arb., cap. 19. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 18. — [5] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 10.

bene utitur, et quicquid in bono usu bonorum et malorum facit, et seipsum ad eum finem, *amore scilicet illius ipsius finis*, refert, ubi nobis talis et tanta pax erit, qua melior et major esse non possit. [1]Quod cum facimus, ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem et veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est ab eis, qui dixerunt : Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus.

CAPUT XXXIX.

IDEM RURSUS EX EO PROBATUR, QUOD PER VIRTUTEM HOMO RECTUS, JUSTUS ET ORDINATISSIMUS EFFICIATUR ; NEC ID ASSEQUI POSSIT, NISI QUATENUS DEO VELUT SUPERIORI PER AMOREM SUBJICITUR.

Deinde non [2]est in aliquo vera virtus, *ut supra dictum est*, nisi fuerit justus. [3]Quid *enim*? recti corde possunt *homines* esse sine justitia? Recognosco *certe* isto nomine crebrius significari justitiam. Et quid admonet aliud propheta, cum canit : Et justitiam tuam his, qui recto sunt corde? [4]Ipsa *profecto est* hominis ordinatio.

Age [5] nunc videamus, homo ipse quomodo in seipso sit ordinatissimus. [6]Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio; sicque [7]non ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur : [8]neque esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent.

Quantum [9] *autem* ad hominis naturam attinet, nihil est in eo melius, quam mens et ratio. *Sicque* [10]hoc quicquid est, quo pecoribus homo præponitur, sive mens, sive spiritus, sive utrumque rectius appellatur, nam utrumque in divinis

[1]Lib. 4, Contr. Julian., cap. 3. — [2]Ibid. — [3]Lib. 6, de Musica, cap. 16. — [4]Ibid., cap. 15. — [5]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 7. — [6]Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 13. — [7]Lib. 1, de Lib. arb., c. 8. — [8]Ibid., cap. 10. — [9]Lib. 1, Retract., cap. 5. — [10]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8.

Libris invenimus, si dominetur atque imperet cæteris quibuscumque homo constat, tunc *dico* esse hominem ordinatissimum. [1]Ratio *enim* ista, vel mens, vel spiritus, cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, [2]qua justum est ut omnia sint ordinatissima.

Illud [3] jam restat ut respondeas, si potes, utrum tibi videatur rationali et spiritali mente quicquam esse præstantius. Nihil *certe* præter Deum arbitror. *Proinde* [4]ordinatus homo dicendus est, [5]cum ita constitutus atque ordinatus est, [6]ut rationi obedienti Deus imperet unus et summus, [7]et per hoc [8]animus etiam corpori, atque ratio vitiis, ordine legitimo fideliter imperet. [9]Ipsa *est hominis* ordinatio, qua nulli servit nisi uni Deo, nulli æquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit nisi naturæ bestiali atque incorporeæ. [10]Unum *est enim* quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est. *Sicque* [11]in quadam medietate posita est *anima rationalis*, infra se habens corporalem creaturam, supra se animi sui et corporis Creatorem. [12]Tenet *igitur* ordinem *anima*, seipsa tota diligens quod supra se est, id est Deum; socias autem animas tanquam seipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus ordinatur. [13]Non ergo inhæreamus inferioribus, quàm nos sumus; nosque ipsos inter illa quæ infra nos sunt, et illa quæ supra nos sunt, ita Deo et Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Delectatio quippe quasi pondus est animæ. Delectatio ergo ordinat animam.

[1] Lib. 1, de Lib. arb., cap. 8. — [2] Ibid., cap. 6. — [3] Ibid., cap. 10. — [4] Ibid., c. 8. — [5] Ibid. — [6] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 23. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] Lib. 6, de Musica, cap. 15. — [10] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 23. — [11] Epist. 120. — [12] Lib. 6, de Musica, cap. 14. — [13] Ibid., c. 11.

CAPUT XL.

IDEM DENIQUE PROBATUR EX EO QUOD VIRTUS SIT ORDO AMORIS, QUO NEMPE DILIGITUR QUOD EST DILIGENDUM.

Quapropter, [1] ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. [2] Virtus *enim* est ars regendæ vitæ. [3] Virtus est, qua vivitur bene. [4] Ars quippe ipsa bene recteque vivendi, virtus a veteribus definita est. Et [5] ille *quidem* justè et sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum. [6] Unde mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis : Ordo est amoris : propter quod in sancto Cantico Canticorum cantat sponsa Christi, civitas Dei : *Ordinate in me charitatem* ; *sicque* [7] virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. [8] Amandus *autem* solus Deus est. Nihil *enim* [9] aliud est amare quam propter se appetere; *ideoque* [10] quod non propter se amatur, non amatur. [11] Illud *autem* est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera, ipsum autem propter se ipsum; *et* quod [12] beatum facit, *id est, Deus solus*, ipse est finis boni.

Ita [13] omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, est fruendis frui, et utendis uti ; *sicut* omnis humana perversio, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. [14] Fruendum autem est honestis, utendum verò utilibus est. Honestum *quippe* dicitur, quod propter seipsum expetendum est, utile autem, quod ad aliud aliquid referen-

[1] Epist. 29. — [2] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 3. — [3] Ibid., lib. 15, cap. 22. — [4] Ibid., lib. 4, c. 21. — [5] Lib. 1, de Doctr. Christ., cap. 27. — [6] Lib. 15, de Civit. Dei, cap. 22. — [7] Epist. 52. — [8] Lib. de Mor. Eccles., cap. 20. — [9] Lib. 83 qq., q. 35. — [10] Lib. 1, Soliloq., c. 13. — [11] Lib. 19, de Civit. Dei, c. 1. — [12] Ibid. — [13] Lib. 83 qq., q. 30. — [14] Ibid.

dum est. [1]Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritalem nos propriè dicimus. Oportet ergo frui pulchris, invisibilibus, id est, honestis : utilibus autem utendum est omnibus, ut quoquo eorum opus est.

CAPUT XLI.

SICUT DEI AMOR VIRTUS EST INTELLECTUALIS ANIMÆ, ITA VITIUM IPSIUS ESSE AMOREM CREATURÆ, PER QUEM SCILICET AB EO, QUOD SUMMÈ EST AD ID QUOD MINUS EST VERGIT ; ET AB ORDINE SUO NATURALI DECLINAT, QUEM LEX ÆTERNA CONSERVARI JUBET, PERTURBARI VETAT.

Porrò, [2] *sicut* nihil omnino esse virtutem *affirmavimus*, nisi summum amorem Dei ; *sic* [3] animum peccati arguimus, cum eum convincimus superioribus desertis ad fruendum inferiora præponere, *seu* [4] cum avertitur a communi atque incommutabili bono, et ad propria vel aliena vel infima, atque omnia commutabilia convertitur bona, *id est*, [5] cum fruendi voluntatem ad creaturam a Creatore convertit. [6] Deficit quippe *tunc anima* minusque jam esse, ac propterea minus valere incipit, tantò utique deterior, quantò ab eo, quod summè est, ad id quod minus est vergit, ut etiam ipsa minus sit. [7] Si *enim* rationis *æternæ, id est, divinæ substantiæ*, vis ipsa sua conjunctione afficit animum, ita profecto afficit, ut ei esse tribuat. Est enim maxime ipsa ratio, ubi summa etiam incommutabilitas intelligitur. [8] Aversio *autem* ipsa a ratione, per quam stultitia contingit animo, sine defectu ejus fieri non potest : si enim magis est ad rationem conversus, eique inhærens, ideo quòd inhæret incommutabili rei quæ est veritas, quæ et maximè et primitùs est ; cum ab ea est aversus, idipsum esse minus habet, quod est deficere.

Deficitur [9] *autem* non ad mala, sed malè ; id est, non ad

[1] Lib. 83 qq., q. 30. — [2] L. de Mor. Eccl., c. 15. — [3] Lib. 3, de Lib. arb., c. 1. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. Cont. Secund. Manich., cap. 15. — [7] Lib. de Immort. anim., cap. 6. — [8] Ibid., cap. 7. — [9] Lib. 12, de Civ. Dei, c. 8.

malas naturas ; sed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summè est, ad id quod minus est. [1]De superioribus *enim*, in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum : quoniam [2]illa quæ *sic* declinant deficiunt, et minus esse incipiunt quam erant. *Sicque* [3]voluntas aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. *Et* [4]motus ille aversionis, quoniam defectivus motus est, [5]motus *scilicet* voluntatis a te, *Domine*, qui es, ad id quod minus est ; talis motus delictum atque peccatum est.

Est [6]*sane* vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi quæ vetat summa et intima veritas, *seu* [7]illa lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, *et* [8]qua justum est ut omnia sint ordinatissima, [9]ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Jubet [10]*autem* æterna lex avertere amorem a temporalibus, [11]et eum mundatum convertere ad æterna. Propterea *ergo creaturas* diligendo peccamus, quia spiritalia, *scilicet æterna et incommutabilia*, diligere et justitiâ jubemur, et naturâ possumus, et tunc in nostro genere optimi et beatissimi sumus. [12]*Sicque corpus*, *verbi gratia*, si diligit anima rationalis, peccat ; quia infra illam ordinatum est. [13]Cum enim sit anima ipsa corpore superior, Deumque habeat se superiorem, quamvis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima et peccando fit mala, si consensionem dilectionis, quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungat. [14]Perversique animi est et inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum ducendis potius divino ordine ac jure prælatus est. *Ita enim* [15]quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna constituit.

[1]Lib. 1, de Serm. Dom. in Monte, c. 12. — [2]Lib. Contr. Secund. Manich., cap. 10. — [3]Lib. 2, de Lib. arb., cap. 19. — [4]Ibid., cap. 20. — [5] L. 12, Confess., cap. 11. — [6]Lib. de Vera Relig., cap. 20. — [7]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 6. — [8]Ibid. — [9]Lib. 22, Contr. Faust., cap. 27. — [10]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 15. — [11]Lib. de Duabus animabus, cap. 13. — [12]Lib. de Vera Relig., cap. 20. — [13]Lib. Contr. Secund. Manich., cap. 16. — [14]Lib. 1, de Lib. arb., cap. 16. — [15]Lib. 22, Contr. Faust., cap. 28.

CAPUT XLII.

AFFECTUS ANIMI, QUOS ETIAM PASSIONES VULGO DICIMUS, AUT RECTOS, AUT PRAVOS HABERI ; PROUT AMOR VOLUNTATIS UNDE FLUUNT, AUT BONUS, AUT MALUS EST.

De [1]his *autem* animi motibus, quos nostri, *id est Latini*, quidam, sicut Cicero perturbationes, quidam affectiones, vel affectus, quidam sicut iste de græco expressiùs, passiones vocant ; *Virgilius autem illo ipso tam usitato versu* [2]summa brevitate complexus est : Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. [3]Interest qualis sit voluntas hominis : quia si perversa est, perversos habebit hos motus : si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt. Voluntas est quippe in omnibus : imò omnes nihil aliud, quàm voluntates sunt. *Et* [4]omnino pro varietate rerum, quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel illos affectus mutatur et vertitur : [5]unde et omnes affectus istos vita recta rectos habet, perversa perversos.

CAPUT LXIII.

EX SUPERIORI DOCTRINA INFERTUR AFFECTIONES ANIMI NON ESSE PER SE MALAS ; SICQUE POSSE IN IPSIS ETIAM SAPIENTIBUS REPERIRI : DE QUO STOICORUM AB ALIIS PHILOSOPHIS DISSENSIO AD NOMEN POTIUS, QUAM AD REM IPSAM, VIDETUR PERTINERE.

Proinde [6]non est nunc necesse copiose ac diligenter ostendere, quid de ipsis passionibus doceat Scriptura divina, quâ christiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipsam mentem subjicit regendam et juvandam, mentique passiones

[1] Lib. 9, de Civit. Dei, cap. 4. — [2] Ibid., lib. 14, cap. 8. — [3] Ibid., cap. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. 9. — [6] Ibid., lib. 9, c. 5.

ita moderandas atque frenandas, ut in usus justitiæ convertantur. Denique in disciplina nostra non tam quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur : nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis : nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur : contristari pro afflicto, ut liberetur : timere periclitanti, ne pereat : nescio utrum quisquam sanâ consideratione reprehendat. [1] Apud nos *itaque* justa Scripturas sacras, sanamque doctrinam, cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam : dolent in re, quia ipsi in semetipsis adhuc *ingemiscunt, adoptionem exspectantes redemptionem corporis sui ;* gaudent in spe, quia fiet sermo, qui scriptus est : *Absorpta est mors in victoriam.* Item metuunt peccare, (non [2] *enim* ex carne tantùm afficitur anima, ut cupiat, metuat, lætetur et tristetur : verum etiam ex seipsa his potest motibus agitari), [3] cupiunt perseverare : dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. [4] Non solum autem propter semetipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos, quos liberari cupiunt, et ne pereant metuunt et dolent si pereant, et gaudent si liberentur.

Hi [5] motus, hi affectus de amore boni et de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ verè vitia sunt, virtutes vocentur. Sed cùm rectam rationem sequantur istæ affectiones, quando ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere ?

Has [6] ergo perturbationes, sive affectiones, sive passiones quidam Philosophi dicunt etiam in sapientem cadere, sed moderatas rationique subjectas, ut eis leges quodammodo, quibus ad necessarium redigantur modum, dominatio mentis imponat. Hoc qui sentiunt, Platonici sunt sive Aristotelici, cum Aristoteles discipulus Platonis fuerit, qui

[1] Ibid., lib. 14, cap. 9. — [2] Ibid., cap. 5. — [3] Ibid., cap. 9. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid., lib. 9, cap. 4.

sectam Peripateticam condidit. Aliis autem, sicut Stoicis, cadere ullas omnino hujuscemodi passiones in sapientem non placet. [1] Verum et ipsos nihil hinc aliud quam Platonicos et Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum sonum. [2] Utrique enim mentem rationemque sapientis ab eorum dominatione defendunt. Et ideo fortasse dicunt eas in sapientem non cadere Stoici, quia nequaquam ejus sapientiam, qua utique sapiens est, ullo errore obnubilant, aut labe subvertunt. Accidant autem animo sapientis, salva serenitate sapientiæ, propter illa, quæ commoda vel incommoda appellant, quamvis ea nolint dicere bona vel mala. [3] Stoici *quippe* nolunt bona appellare, sed commoda corporis et externa; eo quod nullum bonum volunt esse hominis præter virtutem, tanquam artem bene vivendi, quæ non nisi in animo est. [4] Quod etiam verborum certamini, non rerum examini deputandum est. Quid enim interest, utrum aptius bona vocentur, an commoda : dum tamen ne his privetur, non minus Stoicus, quam Peripateticus pavescat et palleat : ea non æqualiter appellando, sed æqualiter æstimando? *Quoniam igitur Stoici*, ut [5] in libro se legisse dicit Gellius [6] Epicteti nobilissimi Stoici, ex decretis Zenonis et Chrysippi, qui hujus sectæ primas partes habuerunt, hujusmodi passiones in animum sapientis admittunt, quem vitiis omnibus liberum esse volunt. Unde fit consequens, ut hæc ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, ut contra virtutem mentis rationemque nihil possint, et una sit eademque sententia Peripateticorum, vel etiam Platonicorum, et ipsorum Stoicorum. Sed, ut ait Tullius, verbi controversia jam diu torquet homines Græculos contentionis cupidiores quam veritatis.

[1] Lib. 9, de Civit. Dei, cap. 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid., cap. 5. — [6] Ibid.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

CAPUT XLIV.

A VITIIS VIRTUTES, NON OFFICIIS SED FINIBUS, DISCERNI ; PROINDEQUE NON VIRTUTES, SED VITIA ESSE JUDICANDA, QUÆ AD FINEM IPSUM HOMINIS, HOC EST AD DEUM NON REFERUNTUR.

Noveris [1] itaque, non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur : quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cujus dominam reperis avaritiam ? Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitiæ : sed cùm quæritur, quare fiat, et respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat : quomodo jam hoc factum veræ poterit esse justitiæ, cùm serviat avaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent vel tenendam. Absit autem ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum cui dicimus : *Deus virtutum, converte nos.* Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis et emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt : quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus : Deo serviunt in Angelis, à quo donantur et Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. *Unde* [2] licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter

[1] Lib. 4, Contr. Julian., c. 3. — [2] Lib. 19, de Civit. Dei, cap. 25.

aliud expetuntur ; etiam tunc inflatæ aut superbæ sunt ; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.

Possunt [1] ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti : sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit : quia non bonum facit, quod non bonâ voluntate facit. Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa : non in Domino gloriatur. Nec esse fructum ejus à quo fit bonum, nisi bonâ factum fuerit voluntate : sed Dei opus bonum, à quo etiam per malos fit bonum : ac per hoc nec fructus iste dicendus est, quando arbor mala bonos fructus facere non possit. *Arbor enim mala bonos fructus non facit*, sed potius bonum opus est illius, qui etiam per malos bene facit.

CAPUT XLV.

DE DIVISIONE VIRTUTIS IN TEMPERANTIAM, FORTITUDINEM, JUSTITIAM, ET PRUDENTIAM : QUÆ QUIDEM SICUT IN BEATA, SIC ETIAM IN PRÆSENTI VITA, NIHIL ALIUD ESSE, NISI DEI AMOR, CENSENDÆ SUNT.

Virtutes [2] autem agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur a multis, et in Scriptura inveniuntur. *Et* [3] illud *quidem*, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem : ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur : fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter quod amatur : justitia, amor soli amato serviens, et propterea rectè dominans : prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis à quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem :

[1] L. 4, Contr. Julian., c. 3. — [2] In Psalm. 83. — [3] L. de Mor. Eccles., c. 15.

fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem : justitiam amorem Deo tantùm servientem, et ob hoc benè imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt : prudentiam, amorem benè discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

Una [1] *profectò in beata vita* erit virtus præmiumque virtutis, quod dicit in sanctis eloquiis homo qui hoc amat : *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Hæc ibi erit plena et sempiterna sapientia, eademque veraciter vita jam beata. Perventio quippe est ad æternum ac summum bonum, cui adhærere in æternum est finis nostri boni. Dicatur hæc et prudentia, quia prospectissimè adhærebit bono quod non amittatur : et fortitudo, quia firmissimè adhærebit bono unde non avellatur : et temperantia, quia castissimè adhærebit bono ubi jam non corrumpatur : et justitia, quia rectissimè adhærebit bono cui meritò subjiciatur. *Sic igitur* [2] in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est : nullis inde averti molestiis, fortitudo est : nullis illecebris, temperantia est : nulla superbia, justitia est. [3] Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est : qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est : qui nulla alia delectatione, temperans est : qui nulla elatione, justus est. [4] Hìc enim sunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu ; hìc in opere, ibi in mercede : hìc in officio, ibi in fine. *Unde* [5] nec in illa esse beatitudine *Justitia* desinet ; sed talis et tanta erit, ut perfectior et major esse non possit. *Sic* et aliæ tres virtutes, Prudentia sine ullo jam periculo erroris, Fortitudo sine molestiâ tolerandorum malorum, Temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate : ut Prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere vel æquare ; Fortitudinis, ei firmissimè cohærere ; Temperantiæ, nullo defectu noxio delectari ; *ei denique* [6] regenti esse subditum, justitiæ? [7] Nunc *tamen* quod agit Justitia in subveniendo miseris, quod Prudentia in præcavendis insidiis, quod Fortitudo in perferendis molestiis, quod Temperantia in coer-

[1] Epist. 52. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] L. 14, de Trinit., cap. 9. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

cendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit : ac per hoc ista virtutum opera, quæ huic mortali vitæ sunt necessaria, [1] in præteritis habebuntur.

CAPUT XLVI.

LICET VIRTUTES OMNES NIHIL ALIUD, NISI DEI AMOR, CENSENDÆ SINT : NON TAMEN INDE SEQUI, QUOD QUI UNAM HABET VIRTUTEM, HABEAT OMNES ; VEL QUI UNAM NON HABET, NULLAM HABEAT : SICUT NEC QUOD OMNIA INTER SE PECCATA PARIA SINT : QUORUM UTRUMQUE HIC REFELLITUR.

Quod [2] *itaque* quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, *sicut superius ostensum est*, *meritò* dicitur.

Ideone [3] *vero* qui unam virtutem habet, omnes habet; et qui unam non habet, nullam habet? [4] Hæc utrum ita se habeant, diligentius inquirendum est. [5]

Certè hinc *aliqui* persuadent, qui unam virtutem habuerit habere omnes, et omnes deesse, cui una defuerit : quod prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse. Nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si et fortis, et justa, et temperans sit, profectò ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic temperantia necesse est, ut prudens, fortis, et justa sit : sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis, et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliæ similiter sunt : ubi autem aliæ desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur. [6] Hominibus hoc visum est multum quidem ingeniosis, sed tamen hominibus. Ego verò nescio quemadmodum dicam, non dico virum, à quo denominata dicitur virtus, sed etiam mulierem, quæ viro suo servat tori fidem, si hoc faciat propter præceptum et promissum Dei, eique primitus sit fidelis, non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam vel parvam esse virtutem; sic et maritum qui hoc idem servat uxori : et tamen sunt

[1] Lib. 14, de Trinit., c. 9. — Lib. de Mor. Eccles., c. 15. — [3] Epist. 29. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

plurimi tales, quorum sine aliquo peccato esse neminem dixerim; et utique illud qualecumque peccatum ex aliquo vitio venit. Unde pudicitia conjugalis in viris feminisque religiosis cum procul dubio virtus sit, non enim aut nihil, aut vitium est, non tamen secum habet omnes virtutes. Nam si omnes ibi essent, nullum esset vitium; si nullum vitium, nullo omnino peccatum : quis autem sine aliquo peccato? quis ergo sine aliquo vitio, id est formite quodam, vel quasi sine radice peccati, cum clamet qui supra pectus Domini recumbebat : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?*

Absit [1] autem, ut quisquam fidelis existimet tot millia servorum Christi, qui veraciter dicunt se habere peccatum, ne seipsos decipiant, et veritas in eis non sit, nullam habere virtutem, cum virtus magna sit sapientia. Dixit autem ipsa sapientia homini : *Ecce pietas est sapientia.* Absit ergo ut dicamus tot ac tantos fideles et pios homines Dei non habere pietatem. [2] Quid autem est pietas, nisi Dei cultus? et unde ille colitur, nisi charitate? *Charitas igitur de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta,* magna et vera virtus est, quia ipsa est et finis præcepti. *Quæ* [3] merito dicta est fortis sicut mors ; quia sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus.

Cur [4] ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes; cum *plenitudo legis sit charitas?* An quanto magis est in homine, tantò magis est virtute præditus : quantò autem minus, tantò minus inest ei virtus; quia ipsa est virtus : et quantò minus inest virtus, tantò magis est vitium? Ubi ergo illa plena et perfecta erit, nihil ex vitio remanebit. Proinde mihi videntur Stoici falli, quia proficientem hominem in sapientia nolunt omnino habere sapientiam ; sed tunc habere, cùm in ea omnino perfectus fuerit, non quia illum provectum negant; sed nisi ex profundo quodam emergendo, repentè emicet in auras sapientiæ liberas, nulla ex parte esse sapientem. Sicut enim nihil interest ad hominem præfocandum, utrum aquam stadiis multis

[1] Epist. 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

super se habeat altam, aut uno palmo, aut digito : sic illos qui tendunt ad sapientiam, proficere quidem dicunt, tanquam ab imo gurgitis surgentes in aerem ; sed nisi totam stultitiam velut opprimentem aquam, proficiendo velut emergendo evaserint, non habere virtutem, nec esse sapientes. Ubi autem evaserint, mox habere totam, nec quicquam stultitiæ remanere, unde omnino ullum peccatum possit existere. Hæc similitudo, ubi stultitia velut aqua, et sapientia velut aer ponitur, ut animus à præfocatione stultitiæ tanquam emergens, in sapientia repentè respiret, non nihil videtur satis accommodata nostrarum Scripturarum auctoritati. Sed illa potiùs, ut vitium vel stultitia tenebris, luci autem virtus vel sapientia comparetur, quantum ista similia de corporalibus ad intelligibilia duci possunt. Non itaque sicut de aquis in aerem surgens, ubi earum summum transierit, repentè quantum sufficit inspiratur ; sed sicut de tenebris in lucem procedens, paulatim progrediendo, illuminatur. Quod donec plenissimè fiat, jam eum tamen dicimus tanquam de abditissima spelunca egredientem, vicinia lucis afflatum, tanto magis, quanto magis propinquat egressui : ut illud quod in eo lucet, sit utique ex lumine quo progreditur ; illud autem quod adhuc obscurum est, sit ex tenebris unde egreditur. Itaque et *non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens* : et tamen *justus ex fide vivit.* Et induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus : et nemo hìc vivit sine peccato, et hoc alius magis, alius minus : optimus autem est, qui minimum.

Si [1] ergo, quod puto esse verius, sacrisque Litteris congruentius, ita sunt animæ intentiones, ut corporis membra : non quod videantur locis, sed quòd sentiantur affectibus ; et aliud illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, et tenebroso inumbratur obstaculo : profectò, ita ut quisque illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil : sic potest dici habere aliam, et aliam non habere, aliam magis, aliam minus habere virtutem. Nam et : Major est in isto charitas, quàm in illo, rectè possumus dicere ; et : Aliqua in

[1] Epist. 29.

isto, nulla in illo, quantum pertinet ad charitatem, quæ pietas est : et in ipso uno homine quod majorem habeat pudicitiam quam patientiam, et majorem hodie quam heri, si proficit : et adhuc non habeat continentiam, et habeat non parvam misericordiam. Et ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur : hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò quæ jam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, est in nemine : quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio *non est justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.*

Quæ [1] si ita esse habent, unde fiet omnis reus, *sicut* [2] in Epistola Jacobi apostoli scriptum est, [3] *si in uno offendat, qui totam legem servaverit*? An forte, quia *plenitudo legis charitas est* (qua Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis *tota lex pendet et Prophetæ*), merito fit reus omnium, qui contra illam facit, in qua pendent omnia? Nemo autem peccat, nisi adversus illam faciendo. [4] Ac per hoc *qui legem totam servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus*; quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua pendent omnia. Cur ergo non dicantur paria peccata? An fortè quia magis facit contra charitatem, qui graviùs peccat; minus, qui leviùs? Et hoc ipso quod admittit, fit quidem omnium reus : sed graviùs peccans, vel in pluribus peccans, magis reus : leviùs autem vel in paucioribus peccans, minùs reus : tanto majore scilicet reatu, quanto amplius ; tanto minore, quanto minus peccaverit : tamen etiamsi in uno offenderit, reus omnium est, quia contra eam facit, in qua pendent omnia? Quæ si vera sunt, eo modo et illud absolvitur, quod ait homo etiam apostolicæ gratiæ : *In multis enim offendimus omnes.* Omnes enim offendimus, sed unus graviùs, alius leviùs, quanto quisque graviùs leviùsve peccaverit; tanto in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo et proximo minor. Et rursus,

[1] Epist. 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

tanto minor in peccati perpetratione, quanto major in Dei et proximi dilectione. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis. Et tunc perfecti sumus in charitate, quando nihil restat ex infirmitate.

Dicantur [1] *itaque* alia magna, alia parva esse peccata; quia verum est. Nec auscultandum Stoicis, qui omnia paria esse contendunt. *Constat enim* [2] non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potius, quæ per eos locuta est, Veritati, omnia paria est peccata. *Sed et* [3] hoc de parilitate peccatorum, soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani.

Nihil [4] quidem *in quolibet peccato* rectum est : nec tamen ideo non pravo pravius, distortoque distortius, *ut proinde* [5] non ideo cogamur fateri æqualitatem omnium peccatorum.

CAPUT XLVII.

LIBERTATEM ET AD VIRTUTEM SEU RECTÈ FACTUM, ET AD PECCATUM OMNINO REQUIRI : VOLUNTATEMQUE SEU VOLITIONEM OMNEM LIBERAM ESSE LIBERTATE A COACTIONE ; CUM IPSA SIT IN POTESTATE NOSTRA, ID EST, IPSAM FACIAMUS, CUM VOLUMUS, IMO ET HOC IPSO, QUO VOLUMUS.

Porro [6] peccatum est retinendi voluntas vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. [7] Est igitur et peccatum et rectè factum in libero voluntatis arbitrio : *Sicque* [8] nec peccatum nec rectè factum imputari cuiquam rectè potest, qui nihil fecerit propria voluntate.

Semper [9] est autem in nobis voluntas, *seu volitio*, libera, *libertate scilicet a coactione*, *quatenus* voluntas est animi motus cogente nullo. [10] Nihil *quippe* tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus præsto est. Non *autem* posses aliud sen-

[1] Lib. Cont. mendac., c. 15. — [2] Epist. 29. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Lib. de Duabus anim., c. 11. — [7] Lib. 83 qq., q. 24. — [8] Ibid. — [9] Lib. de Grat. et lib. arb., cap. 15. — [10] Lib. 3, de lib. arbit., cap. 3.

tire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus præsto est. [1] Voluntas *itaque* nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis.

CAPUT XLVIII.

EX DICTIS CONTRA STOICOS INFERTUR ADMISSA PRÆSCIENTIA DIVINA NON TOLLI VOLUNTATEM, IDEOQUE NEC LIBERTATEM A COACTIONE; SICQUE PER IPSAM NON INDUCI FATUM, QUOD NOS COGAT, SEU CONTRA VOLUNTATEM NOSTRAM IMPELLAT AD AGENDUM, ET EX EO CAPITE, UT VOLEBANT STOICI, SEU LIBERUM HOMINIS ARBITRIUM, SEU LEGUM AC EXHORTATIONUM UTILITATEM, IMPEDIAT.

Nec [2] *igitur* timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. Quod Cicero timuit, ut oppugnaret præscientiam. [3] Quid est ergo quod Cicero timuit in præscientia futurorum, ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur? Videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sunt: et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo: et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum. Non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa præcesserit. Si autem certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit: «fato, inquit, fiunt omnia quæ fiunt.» Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis (ea [4] *enim* fatalia *dicit*, quæ præter, *id est*, *contra* Dei et hominum voluntatem cujusdam ordinis necessitate contingunt). « [5] Quod si concedimus, inquit, omnis humana vita subvertitur: frustrà leges dantur: frustrà objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque ulla justitiâ bonis præmia, et malis supplicia

[1] Lib. 3, de lib. arb., cap. 3. — [2] Lib. 5, de Civit. Dei., c. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 1. — [5] Ibid., cap. 9.

constituta sunt. » Hæc ergo ne consequantur indigna, et absurda, et perniciosa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum : atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus : aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum : quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli : si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus et doctus, et vitæ humanæ plurimùm ac peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum : atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat. Quomodo, inquit? Nam si est præscientia futurorum, sequentur illa omnia, quæ connexa sunt, donec eò perveniatur, ut nihil sit in nostra voluntate. Porrò si est aliquid in nostra voluntate, eisdem recursis gradibus eò pervenitur, ut non sit præscientia futurorum. [1]Nos adversus istos sacrilegos ausus atque impios, et Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere, quicquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus et novimus. [2]Non est *enim* consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe voluntates, *ut supra jam diximus*, in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque præscientiâ continetur; quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. Nam et illud quod idem Cicero concedit, nihil fieri si causa efficiens non præcedat, satis est ad eum in hac quæstione redarguendum. [3]Quomodo *enim* ordo causarum, qui præscienti certus est Deo, id efficit, ut nihil sit in nostra voluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates?

[1] Lib. 5, de Civ. Dei., cap. 9. — [2]Ibid. — [3]Ibid.

[1]Non ergo propterea nihil est in notra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porro si ille, qui præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit : profectò et illo præsciente est aliquid in nostra voluntate. [2]Non *itaque* propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit. Attende enim, quæso, quantâ cæcitate dicatur : Si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quàm præscivit, necesse est ut velim quod ille præscivit : si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate, *nempe coactionis*, id me velle fatendum est. O stultitiam singularem ! Quomodo ergo non potest aliud fieri quàm præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciverit ? *Profecto*, [3]cum sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius.

Sed et, [4]nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset. Non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientiâ tuâ noveris, quod alius suâ voluntate facturus est; ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, *verbi gratia*, qui propria voluntate peccabunt. *Ac* [5]proinde non frustra sunt, *ex isto nimirum capite, quasi coactionis necessitatem inducat præscientia*, leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes, *ut vult Cicero.*

[1] Lib. 5, de Civit. Dei, cap. 10. — [2] Lib. 3, de Lib. arb., cap. 3. — [3] Ibid. — [4] Ibid., cap. 4. — [5] Lib. 5, de Civit. Dei, cap. 10.

CAPUT XLIX

PECCATUM, EADEMQUE RATIONE BONAM MORALITER, CENSERI NON POSSE ACTIONEM, QUÆ FIT NECESSITATE NATURÆ (QUALIS EST, EXEMPLI CAUSA, VOLUNTAS, QUA IPSI ETIAM INFIDELES BEATITUDINEM INSTINCTU NATURALI APPETUNT), SED EAM TANTUM, QUÆ VOLUNTARIA EST, PROUT NEMPE VOLUNTARIUM AB EO, QUOD FIT NATURÆ NECESSITATE, DISTINGUITUR : PROINDEQUE AD ACTIONEM MORALEM NECESSARIO REQUIRI LIBERTATEM INDIFFERENTIÆ, SEU POTESTATEM ABSTINENDI AB EADEM ACTIONE ; SINE QUA POTESTATE VIS ELECTIVA, IDEOQUE LIBERUM VOLUNTATIS ARBITRIUM, NON POTEST INTELLIGI.

Animæ [1] *tamen* quicquid faciunt, si naturâ, *seu motu naturali*, non voluntate (*quæ scilicet a natura seu motu naturali sit distincta*) faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla, *etiam radicalis et remota*, conceditur : peccatum earum, *vel ullum prorsus meritum*, tenere non possumus. Sicque [2] in quantum omnes homines appetunt beatam vitam, non errant. [3] Neque enim culpanda, *eademque ratione tanquam bona moraliter laudanda*, est voluntas, aut voluntas non est, quâ beati esse sic volumus, ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.

Eo [4] *tamen* motu animam moveri non *idcirco* nego ; *sicut nec* [5] motum, quo movetur lapis ([6] non illum dico motum, quo eum nos movemus, vel aliquâ vi aliena movetur, veluti cum in cœlum jacitur, sed eum quo ad terram nutu suo vergit, et cadit), [7] motum esse lapidis. [8] Non *enim* nego motum, quo ita, ut *diximus*, inclinatur *lapis*, et ima petit, motum esse lapidis, sed naturalem. Si autem hoc modo etiam illum motum, *quo, verbi gratia, omnes homines beatitudinem appetunt*, habet anima, profecto etiam ipse naturalis est. [9] Est enim similis illi motui, quo naturaliter movetur lapis : [10] quia *scilicet* id nolle non possumus, nescio quâ et bonâ *physicè* constrictione naturæ, *ut supra*

[1] Lib. 1, Retrac., cap. 15. — [2] Lib. 2, de lib. arbit., cap. 9. — [3] Enchir. ad Laurent., cap. 105. — [4] Lib. 3, de lib. arb., cap. 1. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibib. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Lib. de Nat. et grat., cap. 46.

jam monuimus. [1] Nec ex eo quod naturaliter movetur *anima*, rectè vituperari potest, *aut aliquid promereri* : quia, etiamsi tunc ipsa movetur, naturæ tamen suæ necessitate compellitur. [2] Hinc*que* est, quod lapidem si quis dicat peccare, quod pondere suo tendit in infima, non dicam, ipso lapide stolidior, sed profectò demens judicatur.

Proinde [3] si quis motus culpæ deputatur, non est utique naturalis, *id est*, ex ipsis naturæ principiis ita necessariò fluens, ut cohiberi non possit (*quale scilicet illud est*, [4] quod beati esse volumus : quia, *ut supra jam dictum est*, id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constrictione naturæ, *sicut et* [5] *infelicitatem* velle omnino non possumus. Quis enim, *ut pariter dictum superius*, ullo modo velle esse possit infelix?), [6] sed voluntarius, (id est, ex voluntate fluens, non ut natura, sed ut voluntas est; quatenus aliquid vult quod nolle potest, non quatenus agit ex necessitate naturalis inclinationis, quæ cohiberi non possit); in eoque similis est illi motui quo deorsum versus lapis fertur, quòd sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi : verumtamen in eo dissimilis, quòd in potestate non habet lapis cohibere motum quo fertur inferiùs ; animus verò dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat; et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. [7] Animæ *quippe*, *ut jam dixi superius*, quicquid faciunt, si naturâ non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi careat, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. [8] Peccatum *enim* est voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est, *radicali saltem et remota potestate,* abstinere. Quanquam si liberum (*ab eo nempe, quod agitur, abstinere*) non sit, non est voluntas, *quatenus nimirum voluntas, sicut jam observatum est, a motu naturali distinguitur.*

Peccat [9] igitur *anima*, et peccando fit mala, si consensionem dilectionis quam superiori Deo debet (*cujus proinde*

[1] Lib. 3, de lib. arb., cap. 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Lib. de Nat. et grat., cap. 46. — [5] Ibid., cap. 49. — [6] Lib. 3, de lib. arb., cap. 1. — [7] Lib. 1, Retract., c. 15. — [8] L. de Duab. anim., c. 11. — [9] L. Cont. Secund., c. 16.

diligendi secundum naturam suam capax est), inferiori adjungat, *et secundum illud* [1]eligat vivere, *quo* [2]potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam : *sicut e contrà in moribus suis laudandus est*, qui [3]contempsit malum, ut eligeret bonum.

Quomodo [4]autem eligit *homo*, [5]nisi quia *intellectuales* creaturas tales fecit Deus, quibus potestatem utrum vellent dedit. [6]Qui enim dicit : Mallem hoc quam illud (*quod nimirum et velle posse supponendum est*) eligit aliquid, [7]ut *scilicet* unum eligat ex duobus.

Unde [8]*igitur* ista electio, vel qualis electio, [9]si natura necessitasque (*omnem prorsus, etiam remotam et radicalem, aliud agendi potestatem excludens*) dominatur, *puta* si *voluntatis* natura talis est, ut eo motu necessario moveatur, *sicut, verbi gratia, cum* [10]beati esse volumus, quia id omnino nolle, *secundum potentiam etiam radicalem et remotam*, non possumus, nescio qua et bona, *ut jam multoties repetitum*, constrictione naturæ, *quæ nempe naturaliter voluntatis capacitatem ad unum determinat* : aut cum [11]nolle infelicitatem *dicimur? An enim* [12]possumus eam et nolle et velle ? Eam profecto velle omnino non possumus. Quis enim, *ut jam a nobis dictum superius*, ullo modo, *etiam remota et radicali potentia*, velle esse possit infelix, etiamsi aliud vult, ubi eum et nolentem infelicitas consequatur ?

CAPUT ULTIMUM.

TOTIUS OPERIS CONCLUSIO.

Cum [13]hæc ergo ita sint, non putavi apud te silendum esse, *Lector amicissime*, quid mihi de invenienda ac retinenda veritate videatur ; cujus ab ineunte adolescentia magno amore flagravimus : sed res est longè remota à *multorum* hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia

[1] Lib. 14, de Civ. Dei, cap. 5. — [2] Lib. 10, de Genesi ad litt., cap. 14. — [3] Ibid., lib. 8, c. 14. — [4] Ibid. — [5] Lib. 3, de lib. arb., cap. 5. — [6] Ibid., cap. 8. — [7] Lib. 5, de Civ. Dei, cap. 5. — [8] Lib. 1, ad Simpl., q. 2. — [9] Lib. 3, de lib. arb., cap. 1. — [10] Lib. de Nat. et grat., cap. 46. — [11] Ibid., cap. 49. — [12] Ibid. — [13] Lib. de Utilit. cred., c. 1.

progressi atque lapsi, nihil aliud *cogitari posse* putant, quàm quod istis quinque notissimis nuntiis corporis sentiunt; et quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere a sensibus; et ex earum mortifera et fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis rectissimè se metiri putant, [1]asseverantes animum a corporis sensibus concipere notiones quas appellant Ἐννοίας, earum rerum scilicet quas definiendo explicant; hinc propagari atque connecti totam discendi docendique rationem. Ubi ego multùm mirari soleo, cum pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem viderint, qualibus oculis carnis formam sapientiæ decusque conspexerint. [2]Nihil est facilius, mi charissime, quàm non solùm se dicere, sed etiam opinari verum invenisse : sed quàm reipsa difficillimum sit, agnosces, ut confido, his litteris meis. Quæ ut tibi prosint, aut certè nihil obsint, omnibusque omnino quorum in manus fortè devenerint, et rogavi Deum et rogo; et spero ita fore, si bene mihi conscius sum, quòd ad hunc stylum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis accessi. [3]Opto autem ac spero te hoc animo accepturum, quo a me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone malitiosè agere; sed ut existimo accipiendum esse, veri probandi causa : cui uni rei vivere jam diu statuimus, et incredibili sollicitudine; ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum *ad veritatis cognitionem* tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed præsumo quòd et in hac spe, qua spero vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille, cui sacratus sum : quem dies noctesque intueri conor: et quoniam propter peccata mea, propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum sauciatum oculum animæ gerens, invalidum me esse cognosco, sæpe rogo cum lacrymis. Et quemadmodum post longam cæcitatem ac tenebras luminibus vix apertis, et adhuc lucem palpitando atque aversando, quam tamen desiderant, recusantibus, præsertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere:

[1] Lib. 8, de Civit. Dei, c. 7. — [2] Lib. de Util. cred., c. 1. — [3] Ibid., cap. 2.

ita mihi nunc evenit, non neganti esse ineffabile quiddam et singulare animæ bonum quod mente videatur; et me ad contemplandum esse idoneum cum fletu et gemitu confitenti. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo. [1] Unum *autem* verum Deum omnipotentem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, et rogavi et rogo, ut in refellenda et revincenda *opinione* vestra [2] det mihi mentem pacatam atque tranquillam. [3] Nostrum *enim* fuit eligere et optare meliora, ut ad *veritatem aperiendam* aditum haberemus, non in contentione et æmulatione et persecutionibus; sed mansuetè *agendo*, benevolè hortando, leniter disputando, sicut scriptum est : *Servum autem domini non oportet litigare; sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia refellentem diversa sentientes.* Nostrum ergo fuit velle has partes expetere : Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est.

Illi [4] in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficilè caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quàm rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum : non istum, quem vos *videtis* cœlesti corpore, oculis carneis et hominum et pecorum fulgentem ac radiantem; sed illum de quo scriptum est per prophetam : *Ortus est mihi justitiæ sol;* et de quo dictum est in Evangelio : *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremò, illi in vos sæviant, qui *nulla tali opinione implicati* sunt, quali vos *implicatos* vident. [5] Ego autem qui diu multumque jactatus tandem respicere potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur; qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus erroribusque collectas vix miser merui, Domino opitulante, convincere; qui me ad detergendam caliginem mentis, tam tardè clementissimo medico vocanti blandientique subjeci; qui diu flevi, ut

[1] L. cont. Epist. fund., c. 1. — [2] Ib. — [3] Ib. — [4] Ibid. cap. 2. — [5] Ib., c. 3.

incommutabilis et immaculabilis substantia concinentibus divinis Libris sese mihi persuadere intrinsecùs dignaretur; qui denique omnia illa figmenta, quæ vos diuturna consuetudine implicatos et constrictos tenent, et quæsivi curiosè, et attentè audivi, et temerè credidi, et instanter quibus potui persuasi, et adversùs alios pertinaciter animoseque defendi; sævire in vos omnino non possum, quos sicut me ipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, et tantâ patientiâ vobiscum agere, quantâ mecum egerunt proximi mei, cum in vestra *opinione versarer*. Ut autem faciliùs mitescatis, et non inimico animo vobisque pernicioso mihi adversemini, quovis judice me impetrare à vobis oportet, ut ex utraque parte omnis arrogantia deponatur. Nemo nostrûm dicat se invenisse veritatem : sic eam quæramus, quasi ab utriusque nesciatur. Ita enim diligenter et concorditer quæri poterit, si nullâ temerariâ præsumptione inventa et cognita esse credatur. Aut si et hoc à vobis impetrare non possumus, saltem illud concedite, ut vos tanquam incognitos, nunc primùm audiam, nunc primùm discutiam. Justum puto esse quod postulo, hâc sanè lege servatâ, ut vobiscum non *sentiam*, si non mihi de omnibus rebus *ad cognitionem veritatis* pertinentibus sine ullâ caligine rationem perspicuam dederitis.

Ita [1] enim jam sum affectus, ut quid sit verum non credendo solùm, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem. [2] *Idque verè* confirmo mihi istam mentem Deum dedisse, ut inveniendæ veritati nihil omnino præponam, nihil aliud velim, nihil cogitem, nihil amem. [3] Ego *enim* solam propter se amo sapientiam, cætera verò vel adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam ; vitam, quietem, amicos. Quem modum autem potest habere illius pulchritudinis amor, in qua non solùm non invideo cæteris, sed etiam plurimos quæro qui mecum appetant, mecum inhient , mecum teneant , mecumque perfruantur ; tantò mihi amiciores futuri, quantò erit nobis amata communior.

Serò [4] *tamen* te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova ! serò te *cognovi* ! [5] Jam *enim* mortua erat adolescentia

[1] Lib. 3, contra Acad., cap. 20. — [2] Lib. 2, de Ord., cap. 20. — [3] Lib. 1, Soliloq., c. 13. — [4] Lib. 10, Confess., cap. 27. — [5] Ibid., lib. 7, cap. 1.

mea, et ibam in juventutem : quantò ætate major, tantò vanitate turpior. Qui cogitare aliquid substantiæ nisi tale non poteram, quale per hos oculos videri solet; non te cogitabam, Deus, in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cœpi; semper hoc fugi; et gaudebam me hoc reperisse in fide spiritualis matris nostræ Catholicæ tuæ. Sed quid te aliud cogitarem non occurrebat. Et conabar cogitare te homo , et talis homo, summum et solum et verum Deum: et te incorruptibilem, et inviolabilem, et incommutabilem, totis medullis credebam; quia, nesciens unde et quomodo, planè tamen videbam, et certus eram, id quod corrumpi potest, deterius esse quàm id quod non potest; et quod violari non potest , incunctanter præponebam violabili; et quod nullam patitur mutationem, melius esse, quàm id quod mutari potest. Clamabat violenter, cor meum adversus omnia phantasmata mea, et hoc uno ictu conabar abigere cirumvolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ; et vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rursus aderat et irruebat in aspectum meum, et obnubilabat eum : ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spatia locorum, sive infusum mundo, sive etiam extra mundum per infinita diffusum , etiam ipsum incorruptibile et inviolabile et incommutabile, quod corruptibili et violabili et commutabili præponebam. Quoniam quicquid privabam spatiis talibus, nihil mihi esse videbatur. [1]Sed nondum illumina- veras tenebras meas. [2]Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quærebam; et in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscati, splenduisti, et fugasti cæcitatem meam. Fragrasti et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.

[1] Ibid. — [2] Lib. 10, Conf. cap. 27.

FINIS.

INDEX

CAPITUM QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

PARS PRIMA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS DE PHILOSOPHIA UNIVERSIM.

CAPUT I. De Etymologia et origine nominis Philosophiæ..... 1

CAPUT II. Philosophiæ finem esse beatam vitam..... 2

CAPUT III. Ex dictis colligitur nihil in Philosophia spectari, nisi per ordinem ad sapientiam seu beatitudinem, quam Philosophiæ finem esse probatum est..... 4

CAPUT IV. Philosophiæ objectum esse Deum, quatenus ratione cognoscitur, et sincerè diligitur; proindequè Philosophiam Dei cognitionem, et amorem rectè posse definiri..... 10

CAPUT V. Sapientiam subjectivam seu Philosophiam auxilio divino objectivo essentialiter seu naturaliter indigere..... 14

CAPUT VI. Sapientiam christianam seu religionem christianam naturales intellectualis creaturæ vires superare; ipsamque sapientiam naturalem, in hoc statu, non sine aliquo divinæ gratiæ adjutorio, in philosophorum mentibus sese explicare et perfectionem obtinere.. 17

CAPUT VII. De variis Philosophorum sectis; et primò quidem de duobus Philosophorum generibus, id est, Italico et Ionico, eorumque sectatoribus..... 24

CAPUT VIII. De Socratica disciplina..... 26

CAPUT IX. Quomodò ducentas octoginta et octo sectas esse Marcus Varro perspexerit..... 27

CAPUT X. Quomodò remotis omnibus differentiis quæ non sectæ, sed quæstiones sunt, ad tripertitam summi boni definitionem Varro perveniat, quarum tamen una sit eligenda..... 30

CAPUT XI. De tribus sectis summum hominis bonum quærentibus quam eligendam Varro definiat, sequens veteris Academiæ, Antiocho auctore, sententiam..... 33

CAPUT XII. Quænam Academicorum novorum sententia fuerit : et quod à veterum Platonicorum doctrina non dissentiat..... 35

CAPUT XIII. Platonicos esse aliis gentium Philosophis longè præferendos. 44

CAPUT XIV. Religionem christianam Philosophiæ platonicæ, quantumcumque cæteris omnibus præstet, esse præponendam..... 51

CAPUT XV. De magnis Platonicorum erroribus contra quos christiana doctrina defendenda est : quorum primus est, quod scholas habuerint dissentientes ab aliis, et templa communia..... 51

Caput XVI. Secundus Platonicorum error, quod diis plurimis esse sacra facienda putaverint..... 53
Caput XVII. Tertius Platonicorum error, quod nullus homini miscetur Deus..... 54
Caput XVIII, Quartus Platonicorum error, quod anima semper fuit... 55
Caput XIX. Quintus Platonicorum error, quod omnia, quæ jam præterita sunt, eadem omninò perpetua seculorum revolutione, semper sint repetenda..... 57
Caput XX. Sextus Platonicorum error, quod alibi vixerint aliquando extra corpus animæ, priusquam in ista, quæ modo gerunt, corpora mitterentur..... 59
Caput XXI. Septimus Platonicorum error, quod Metempsychosim admiserint..... 59
Caput XXII. Octavus Platonicorum error, quod animæ ad perfectam ipsius beatitudinem omne corpus est fugiendum..... 60
Caput XXIII. Nonus Platonicorum error, quod unio animæ cum corpore non sit nisi peccati jam antè commissi pœna..... 62
Caput XXIV. Decimus Platonicorum error, quod in carnem velut in causam omnia prorsus animæ vitia refundant..... 62
Caput XXV. Undecimus Platonicorum error, quod à diis minoribus, id est angelis, animantia cuncta mortalia fuisse creata existiment.. 64
Caput XXVI. Christianam religionem in hoc etiam platonicæ philosophiæ multum præstare, quod tam variæ fuerint opinionum inter profanos dissentiones, cum adeo mira sit canonicarum apud Ecclesiam Scripturarum concordia..... 65
Caput XXVII. Christianæ duntaxat Religioni, non autem platonicæ Philosophiæ, divinam auctoritatem adfuisse, qua populis credenda persuaderentur, quibus intelligendis nondum essent idonei..... 66
Caput XXVIII. Perfectam et absolutam ad veritatem viam, quæ Christus est, in christiana tantum, non autem platonica philosophia reperiri..... 72
Caput XXIX. Ex dictis ostenditur, non esse philosophum perfectum et absolutum nisi christianum : cum soli christiano sapientiam amare, sine ullo errore nosse, potenterque suadere sit concessum. 79
Caput XXX. Eximia Religionis Christianæ commendatio..... 85
Caput XXXI. Quæ Philosophi maximè Platonici vera dixerunt, ab eis tanquam injustis possessoribus in Religionis christianæ usum esse vindicanda..... 88
Caput XXXII. Doctrinam longè copiosiorem et puriorem in sacris Christianorum Scripturis quàm in omnibus profanorum Philosophorum libris, reperiri..... 89
Caput XXXIII. Parum esse curandum quænam variæ profanorum opiniones fuerint, modò veritas innotescat : cum ipsa cognitio veritatis omnia falsa, si modò proferantur, dijudicare et subvertere sit idonea..... 91

Caput XXXIV. Non de Platonicorum libris Christianos, sed potius de litteris nostris habuisse Platonicos quæcumque bona et vera dixisse comperiuntur..... 97

Caput XXXV. Quod sapientia Prophetarum, a quibus christiani doctrinam suam acceperunt, omni origine gentilis Philosophiæ inveniatur antiquior..... 99

Caput XXXVI. Philosophiam in tres partes, Rationalem, Naturalem et Moralem adæquatè dividi, secundum tres diversas rationes, quibus spectari potest Deus, ut ratio intelligendi, causa subsistendi, et ordo vivendi..... 102

PARS SECUNDA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS DE EXISTENTIA ET VERITATE DEI.

Caput I. Deum esse, si qua sit natura simpliciter immutabilis, æterna, increata, per se verissima, immensa, infinita, et creatura qualibet intellectuali præstantior..... 105

Caput II. Veritatem, quam immediatè conspicimus, cum regulas æternæ veritatis intuemur, esse incommutabilem; idque tum ex ratione numerorum, tum ex sapientiæ regulis demonstrari..... 106

Caput III. Æternam esse veritatem..... 108

Caput IV. Increatam esse veritatem, cum sequentes rationes ipsam nec ab hominibus, nec ab ullo alio factam esse convincant..... 110

Caput V. Veritatem non fieri cum discitur, sed in seipsa jam existentem inveniri præsentem animo..... 111

Caput VI. Scientiam non quidem Platonis, sed alio quodam sensu ideo reminiscentiam esse, quia veritas etiam antequam discatur jam menti præsto est, ut cogitatione possit intelligi..... 112

Caput VII. Veritatem, licet animo semper præsentem, in memoria tamen propriè seu reflexè non esse, nisi postquam eam didicimus; ipsamque de novo in disciplinam trajici, quatenus memoriæ commendatur, non per aliquas sui species, quia nullas habet, sed per intellectionum præteritarum vestigia quædam, quibus et nos intellexisse, et modi, quo intelleximus veritatem recordamur, ut ad eam facilè liceat recurrere..... 117

Caput VIII. Immensam esse veritatem, quam increatam esse jam ostendimus..... 122

Caput IX. Veritatem esse infinitam, ut patet ex veritate numerorum.. 130

Caput X. Veritatem per se sic veram esse, ut verius nihil habeat, quod imitetur ut vera sit..... 130

Caput XI. Veritatem esse bonum ipsum sine participatione bonum..... 132

Caput XII. Veritatem esse creatura qualibet intellectuali præstantiorem, idque probatur primò, quia immutabilis est veritas; secundò, quia creatura quælibet intellectualis judicat secundum illam, nec de illa judicat..... 133

Caput XIII. Probatur tertiò veritatem esse quâlibet intellectuali creaturâ præstantiorem, quia ipsam perficit secundum intellectum, quem increata sua luce formaliter illustrat..... 141

Caput XIV. Veritatem, et quidem solam docere nos, ex dictis ostenditur, cum ipsa sit et sola quidem, quam intus mens nostra consulit cum apud semetipsam, utrum verum sit aliquid, an falsum, attentè considerat; homines autem esse tantùm monitores..... 145

Caput XV. Probatur quartò veritatem esse creaturâ quâlibet intellectuali præstantiorem, quia ipsam perficit secundum voluntatem; cum creatura intellectualis bona, justa, sapiens, ac beata non fiat, nisi virtutibus increatis inhærendo, quæ in æterna veritate fulgent. 148

Caput XVI. Probatur quintò, veritatem esse quâlibet intellectuali creaturâ prestantiorem, quia creatura quælibet intellectualis fit pulchra summam et perfectam pulchritudinem diligendo, quæ in ipsa conspicitur, et ex cujus amore movemur ad homines, quos justos esse credimus, diligendos; licet plerumque corpore sint deformes..... 154

Caput XVII. Ejusdem argumenti continuatio..... 159

Caput XVIII. Ex dictis Deum existere colligitur, et ipsum a veritate non distingui, quam quidem non esse nihil, sed verè ac summè esse demonstratur..... 171

Caput XIX. Refellitur responsio, qua fortè responderi posset, veritatem, de qua loquimur, non esse naturam per se subsistentem, sed sensibilium duntaxat imagines per sensus attractas in animam.. 176

Caput XX. Iis tantùm, qui simpliciter incommutabilis naturæ quanta sit majestas non attendunt, viliorem videri veritatem, quam ut increata Sapientia, hoc est, ipse Deus esse credatur..... 182

Caput XXI. Eorum objectio refellitur, qui justitiam, hoc est, justitiæ, seu veritatis ac sapientiæ regulas immutabiles non esse viventes, ideoque nec esse Deum objiciunt..... 184

Caput XXII. Illam seu Sapientiam seu Veritatem, quam immutabilem esse conspicimus, esse quidem a Deo, sed ita ut æqualis ipsi genita sit..... 186

Caput XXIII. Ista Sapientiæ cum suo Principio ex Scripturis sacris demonstratur æqualitas; et omnibus aliis rebus ipsa præfertur, quoniam lux ejus clarissima, quæ mentibus nostris, ut videatur, est intimè præsens, inextinguibilis seu prorsus immutabilis est..... 189

Caput XXIV. Falsum esse quod velut indubitatum vulgò supponitur, in hoc scilicet viæ statu, nihil nisi corporeum et per corporum similitudines intelligi, ideoque nec increatam veritatem, nec aliam quamlibet naturam intelligibilem in se percipi..... 191

Caput XXV. Explicatur ille scripturæ locus, non videbit me homo et vivet..... 195

Caput XXVI. Alius iste scripturæ locus exponitur, Deum nemo vidit unquam..... 198

Caput XXVII. Nullam veritatem immutabilem posse intelligi, nisi Deo adjuvante atque donante; ac proindè non posse Deum ab intellectu creato conspici nisi per lucem increatam formaliter illustrato, cum intellectui creato per seipsam immediatè lux increata necessariò lucere, ideoque intellectum creatum illustrare debeat, ut ei per seipsam clara sit ac manifesta : nec ullam dari speciem vel imaginem quæ Deum repræsentet..... 202

Caput XXVIII. Deo, non autem menti nostræ tribuendum esse verum omne quod loquimur..... 204

Caput XXIX. Magistrum nostrum esse Deum solum, non hominem.... 204

Caput XXX. Peccatum superbiæ, propter quod in desideria cordis gentiles Philosophi traditi sunt, in eo fuisse positum, quod Dei cognitionem se fuisse absque auxilio aliquo divino assecutos arbitrarentur 208

Caput XXXI. Aliis Philosophis Platonici præferuntur, quod ad intelligendam veritatem intellectum nostrum divinitus adjuvandum esse docuerint..... 209

Caput XXXII. Auxilium illud divinum ac naturale, quo nostra mens ad immutabilem aliquam veritatem intelligendam indiget, esse lucem veritatis ipsius increatam, qua formaliter illustrari debet ut ipsam conspiciat..... 211

Caput XXXIII. Veritatem immutabilem, ut intellectu conspiciatur, non solùm per modum lucis, sed etiam per modum speciei debere mentibus nostris immediatè seipsa imprimi..... 214

Caput XXXIV. Ipsam veritatis æternæ lucem, licèt omnibus ubique præsentem, a pluribus tamen reflexè non percipi, quoniam intentionem animi convertunt ad alia.. 217

Caput XXXV. Veritatis lucem in nobis propriè non crescere, sed ea mentem nostram magis ac magis illustrari, cum in ejus cognitione proficimus : ipsumque Deum, quamvis ubiquè totum, magis tamen et minus a creaturis capi posse. 220

Caput XXXVI. Quantumcumque veritatem incommutabilem conspiciamus in hac vita, nos tamen beatos hìc non effici, quoniam ex parte tantum, non autem plenè veritatem conspicimus; ideoque per speculum in ænigmate videre dicimur, quia magis per fidem ambulamus, quam per speciem, cum longè pauciora sint, quæ de Deo jam intelligimus, quam ea quæ credimus tantùm. 222

Caput XXXVII. Divinam Trinitatem a nobis nondùm conspici, licèt naturam veritatis incommutabilem seu bonum incommutabile videamus : sicque in Deo esse quod intelligendo conspiciamus, esse etiam quod non conspectum credamus. 223

Caput XXXVIII. Nec ipsam veritatis incommutabilis naturam a nobis hìc degentibus ita cerni, ut omnem veritatem, in hac vita, possimus cognoscere. 228

Caput XXXIX. Licèt intellectu conspiciamus incommutabilem substantiam, creaturas tamen, ideoque contextum seculorum ordinem a nobis in ea non videri, sicut in ipsa cernuntur a beatis. 230

Caput XL. Hujus vitæ visionem esse tantùm inchoatam; sicque nos in via semper esse, donec in altera vita peragatur, quod agitur in ista; et ibi perficiatur quod hìc jam inchoatum est. 233

Caput XLI. Quantulumcumque illud, quod hìc de Deo cernimus, perstrictìm tantùm et raptim, modo reflexo, perspici; cum patriæ visio æterna persistat. 238

Caput XLIII. In hac vita non videri, modo reflexo, nisi difficillimè veritatem; unde aliud intelligitur discrimen, quo visionem nostram a visione patriæ licet distinguere. 242

Caput XLIV. Istam videndæ veritatis, modo reflexo, difficultatem, magna ex parte, in hoc statu, ex peccato proficisci. 243

Caput XLV. Profundam et horrendam illam ignorantiam, qua fit ut infantium mentes nec seipsas, nec veritatem, hoc est, ipsum Deum reflexè cognoscant, non esse homini naturalem, sed pœnam originalis peccati justissimam. 244

Caput XLVI. Creaturas intellectuales, in primigenio suo statu, reflexè et explicitè, ac etiam supernaturaliter, vidisse Deum; idque ostenditur primò de Angelis, qui statim atque creati sunt, et divinam essentiam, et creaturas in Verbo priusquam in seipsis extra Verbum, sunt intuiti.. 247

Caput XLVII. Primos etiam parentes fuisse creatos in statu beatitudinis, in quo Deum reflexè et explicitè conspicerent, quoniam alias miseri, stulti, tenebrosi et informes ante peccatum extitissent. 252

Caput XLVIII. Humanam sicut et angelicam intellectualem creaturam, in primo creationis statu, per hoc fuisse formatam, quod rationes rerum æternas in Verbo, reflexè et explicitè, conspexerit.. . . . 257

Caput XLIX. Primos parentes in ipsa Dei essentia explicitè cognovisse præcepta non tantùm naturalis, sed fortassis etiam positivi juris, quale illud est, quo primitùs Adamo præceptum fuit, ne ipse de ligno scientiæ boni et mali comederet. 258

Caput L. Hominem ex illa beatitudine lapsum esse per peccatum, et a supernaturali aut etiam ab explicita et reflexa Dei visione, per sensibilium rerum cupiditatem fuisse impeditum.. 260

Caput LI. Adhuc tamen ad ipsam Dei visionem reflexam et explicitam, hominem post lapsum assurgere posse per creaturas a quibus admonetur seu excitatur ad videndum Deum, et in quarum consideratione mentis oculum prius exercet, ut indè sanior factus atque vegetior increatam lucem posteà faciliùs possit conspicere; hunc-que verborum istorum esse sensum, invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.. 262

Caput LII. Ad invisibilia Dei, reflexè et explicitè, mente conspicienda per creaturas, veluti per gradus, ipsos etiam gentiles Philosophos ascendisse.. 268

Caput LIII. Mirum videri non debere quod immutabilis ac æterna Dei veritas, sicut animabus prava cupiditate cæcatis, ita etiam ipsis dæmonibus seipsam manifestando loquatur. 270

Caput LIV. Deum non nisi difficillimè, et a paucis tantùm, in quibus natura nimiùm depravata est, ignorari posse; quamvis tamen animo, cum Deum cogitat, verba desint, quibus illud ineffabile, quod intuetur, propriè possit exprimere. 272

PARS TERTIA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS DE DEO.

Caput I. Ab existentiâ Dei sumendum esse hujusce partis exordium, quæ ut clarè demonstrari possit, primùm declaratur, Dei nomine naturam aliquam intelligi, quæ absolutè immutabilis sit ac æterna. 277

Caput II. Dari naturam aliquam immutabilem ac æternam, ostenditur primò ex immutabilitate et æternitate summæ legis, quâ justum est, ut omnia sint ordinatissima; sicque Deum existere invictissimè conficitur. 278

Caput III. Ex ipsis etiam naturis, quas mutabiles intuemur, et ob mutabilitatem suam sic mutari posse intelligimus ut etiam ipsæ non existant, colligendam esse formæ cujuspiam immutabilis existentiam, a quo existere, conservari, formarique possint, eaque ratione Philosophos ad Dei notitiam pervenisse. 279

Caput IV. Deum esse per se notum, etiam quoad nos, demonstratur primò ex eo, quod Dei nomine nihil aliud intelligatur, nisi natura simpliciter incommutabilis, ac æterna; quam esse per se notam, etiam respectu nostri, constat ex incommutabili æternâque primorum principiorum veritate quæ nobis per seipsam manifesta est, licet ipsa sicut et lux ista visibilis, ab iis videatur non cerni qui ad alia animo attendunt. 284

Caput V. Deum esse per se notum etiam quoad nos, demonstratur secundò, ex instinctu naturali, quo veram beatitudinem, summum bonum, cujus fruitione beati esse possumus, proindèque Deum ipsum, omnes appetimus, quem nisi notum appeti non posse, prorsus evidens est. 287

Caput VI. Hanc esse Dei notionem insitam omnibus, ut nihil Deum esse consentiant, nisi quod cæteris rebus omnibus anteponunt. 290

Caput VII. Deum non esse corpus : tum quia corpore melius aliquid invenitur, ut patet ex anima : tum quia veritas immutabilis ac æterna, quam Deum esse diximus, partibus omninò caret, semperque necessario est; quorum nullum corpori competit. 291

Caput VIII. Ex dictis colligitur, Deum nec esse ullum ex elementis, quibus mundus visibilis constat; nec hominis corpus, quo longè est anima præstantior. 293

Caput IX. Deum, quia corpus non est, spiritum esse seu vitam, quæ non solum est et sentit (mente nimirum non corpore : cùm hæc vita, quæ veritas est, omnibus se frui valentibus communiter præsto sit; non autem corporis ullius propria, cum quo animal aliquod constituat), sed etiam intelligit : cùm eo, quod est, aut vivit seu sentit tantùm, præstantius sit quod simul est, sentit et intelligit.. 294

Caput X. Deum tale aliquid esse, quale ipse rationalis animus est, si nihil ipso sit melius. 296

Caput XI. Deum, cum illud sit quo nihil est superius, non solùm esse quid mente nostra præstantius, sed æternum quidpiam et immutabile, id est, ipsam veritatem, quæ et mente nostra superior, et omninò incommutabilis esse reperitur. 297

Caput XII. Superiorum omnium ratiocinationum summa, quibus ad investigandam Dei naturam, veluti per gradus quosdam, mira prorsus ratione ascenditur.. 298

Caput XIII. Eadem ratione ac methodo platonicos philosophos Deum invenisse, cæteris omnibus idcirco longè præferendos. 301

Caput XIV. Deum esse summum bonum, ipsum bonum, bonum omnis boni, in quo, tanquam in causa, omnes planè creaturarum omnium perfectiones, non quidem formaliter, sed eminenter, continentur: ideoque et unicum esse, cùm clarum sit, summum bonum, seu bonum, quod omnia planè bona complectitur, esse unum. . . . 304

Caput XV. Divinam essentiam esse summè simplicem, quoniam hoc omne quod habet, ipsa est : sicut è contrario quamlibet non solum corpoream, sed etiam intellectualem creaturam, non simplicem sed multiplicem esse demonstratur. 306

Caput XVI. Quamvis attributa divina res prorsus una sint, eorum tamen diversa esse nomina : quatenus scilicet ex parte eorum, quæ sunt extra Deum, diversum aliquid significant.. 310

Caput XVII. Quomodò Spiritus sapientiæ in scripturis sanctis dictus sit muliplex. 311

Caput XVIII. Deum non ideo non simplicem esse quia Trinitas est : cum nec ipsa Trinitas Deo tollat quod ipse sit hoc omne quod habet, excepto quod relativè quæque persona ad alteram dicitur, nec in ea Trinitate majus aliquid sint duæ aut tres personæ quam una : undè nec Deum quoniam Trinitas est, ideo triplicem putandum esse demonstratur.. 312

Caput XIX. Deum ubique præsentem esse; non tamen localiter, seu diffusione locali aut quasi contineatur loco; quia totus est in singulis locis; nec eis indiget, tanquam sine eis esse non possit : quod quidem ex æternæ veritatis ubique præsentis immensitate, mirum in modum, illustratur.. 314

Caput XX. Deum quamvis in spatiis quibusdam extra mundum indefinitis, quæ nonnulli cogitant, non esse, dicendus sit; non tamen hoc mundo claudi, sed in seipso æterna stabilitate manentem,

extra et antè hunc mundum esse; sicut antè omnia tempora, non quidem in aliquo tempore, sed in sua æternitate, semper fuit. . 317

Caput XXI. Deum non posse percipi oculis corporeis, sicut nec alio quolibet sensu corporeo, qui sola corpora, non autem sapientiam, veritatem, justitiam potest attingere.. 318

Caput XXII. Divinitatis plenitudinem a nullo creato intellectu posse comprehendi, id est, ita plenè videri, ut nihil ejus lateat videntem, cum in ea sint immensi quidam atque infiniti rationum intelligibilium thesauri, quorum infinitas potest quidem per infinitam ideoque divinam, non tamen per finitam creaturæ scientiam comprehendi. 319

Caput XXIII. In essentia divina, quantumvis summè simplici, esse aliquid quod conspici possit, alio non conspecto : cum multæ ibi sint rationes intelligibiles singulis rebus propriæ, quarum aliæ sine aliis possunt intelligi. 322

Caput XXIV. Ab iis qui divinam essentiam cernunt non videri necessariò rationes omnes intelligibiles, quæ in ipsa existunt : quoniam alias ab ipsis omnia prorsus etiam possibilia, ibi cognoscerentur, cùm tamen ab iis multa nesciri contingat. 323

Caput XXV. Quod superiori capite dictum est, graviorem eo difficultatem non pati quod necessariò fatendum omnibus, ab aliis scilicet plus, ab aliis minus capi posse Deum; quod etiam facilè suaderi potest tum ex nostro in divinorum cognitione profectu, tum ex inæqualitate visionis qua divinam essentiam, seu beati secundum meritorum diversitatem, seu Deus ipse, quem a se solo comprehendi posse constat, modo sibi uni proprio videt; tum denique ex eo quod in quibus habitat, non æqualiter habitat Deus.. 324

Caput XXVI. Deum licet ubique in seipso totum, non sic tamen esse totum in aliis, ut ab iis totus capiatur. 326

Caput XXVII. De ideis divinis, quarum nomen licet fortè a Platone primò fuerit impositum, rem tamen ipsam antè eumdem Platonem fuisse, negari non debet, aut etiam a prioribus sapientibus esse intellectam.. 327

Caput XXVIII. Ideas esse principales quasdam formas, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles : quas quidem negare nemo potest, nisi Deum irrationabiliter, id est, nescientem, omnia condidisse fateatur. 328

Caput XXIX. Ideas non esse formas quasdam æternas extra Deum, id est, a Deo distinctas; ne fortè Deus ab alio didicisse credatur : sed exemplaria rerum in divina mente viventia; in quibus solum non autem in seipsis, creaturæ ab æterno cognoscuntur; cum ab æterno non in seipsis, sed in Deo solo sint tanquam summa vita, quæ Deus ipse est : ea scilicet ratione, qua species artefacti in artificis mente continetur.. 329

Caput XXX. Ex dictis colligitur creaturas Deo præsentes esse ab æterno, non quatenus sunt in propria natura, cum in ea non existant ab

æterno : sed quatenus in divinis ideis exhibentur ; in quibus tantùm cognosci possunt a Deo, non autem in seipsis : ne Deus cognitionem suam a rebus externis mutuetur. 331

Caput XXXI. Deum quantumvis in seipso creaturas conspiciat, non eas tamen ita cernere, sicut absentia corpora, per eorum phantasias seu imagines animo cernimus : quasi nimirùm aliundè ipsarum ideas, sicut nos corporum imagines, acceperit : hincque fieri, ut creaturæ ineffabili modo apud Deum esse dicantur et cognosci quales nimirùm in seipsis formaliter existunt ; quia sicut vidit eas, ita fecit ; non præter seipsum, sed in seipso videns : quemadmodum et artifex rem faciendam in seipso contuetur. 333

Caput XXXII. Creaturas a Deo in seipso videri ; sicque Dei scientiam, qua creaturas novit, ex earum creatione nec duplicatam fuisse, nec ulla ex parte auctam. 335

Caput XXXIII. Non esse propriè præscientiam in Deo, cui res ipsæ in ideis semper præsentes sunt, nec unquam futuræ ; ne sentiendo, cum præsentia sunt, quæ non sentiebantur sed præsciebantur tantum antequam fierent, scientiæ Dei temporaliter aliquid accedat ; sed scientiam tantùm, una atque æterna cognitione cuncta collustrantem. 336

Caput XXXIII. Scientiam, qua Deus creaturas non quia sunt ideo novit, sed cum potiùs ideo sint quia eas novit, esse scientiam, qua Deus nota fecit, non facta cognovit ; seu qua creaturas, priusquam fierent, in rationibus æternis cognovit : qua quidem sicut et alia qualibet cognitione, posterius esse non potest quidquid per eam cognoscitur. 338

Caput XXXIV. Voluntates quod facturæ sunt, omninò facturas dici, quia ipsas id facturas Deus præscivit ; quoniam scilicet ipsius præscientia falli non potest : non quod illud vi præscientiæ futurum sit, ut ex peccato, et rerum præteritarum memoria potest demonstrari. 339

Caput XXXV. In Deo dari scientiam actionum seu bonarum seu malarum sub aliqua duntaxat conditione futurarum, quæ tamen nunquam futura est, quamvis ex hujusmodi actionibus nemo judicetur, quæ licet conditionatè futuræ sint, nunquam tamen absolutè sunt futuræ. 340

Caput XXXVI. Deum omnipotentem esse, qui etiam secundum Platonem facit impossibilia, quæ nempè nullis naturæ viribus fieri possunt ; hancque verissimam esse rationem omnia sine ulla dubitatione credendi, quæ nobis divinitus revelata sunt, quamvis infidelibus tam incredibilia sint Dei opera. 341

Caput XXXVII. Deum licet omnipotentem, aliqua tamen non posse, quæ nempè, cum planè falsa sint, nec ulla prorsus intelligibilis detur ipsorum ratio, ipse nec intelligere, nec proindè velle potest. . . 343

Caput XXXVIII. Deum aliqua non posse ; quia fieri omninò non potest,

ut idem sit verum simul et falsum; vel eodem tempore sit et non sit; sibique ipsi divina veritas adversetur. 345

Caput XXXIX. Deum non ideo omnipotentem non esse, quod aliqua non posse dicatur, cum non ideo desinat posse quidquid vult (quæ omnipotentiæ verissima ratio est) qui quidquid mali fit, aut nullatenus fieri potest, non vult : imò verò ea potenter non posse, quia est omnipotens; quæ si posset jam non esset omnipotens, quippè qui non posset quidquid vult, et qui esset omnipotens dignus non esset.. 346

Caput XL. Dei omnipotentiam seu potestatem summam, esse ipsam ejus voluntatem : quæ, cum omnia quæ facit, non aliter quam dicendo seu volendo faciat, omnium prima est, et summa causa, qua fiunt.. 348

PARS QUARTA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS DE ANIMA.

Caput I. Animam rectè definiri vitam corporis; quæ nempè corpus formaliter vivificat : ut ex eo patet, quod per corpus ipsa sentit, multaque hujuscemodi per ipsum et de ipso facit, quæ præstare nullatenus posset, nisi per modum formæ molem ejus vitaliter inspiraret.. 349

Caput II. Quod vitam seu animam in seipso existere, quisque nostrûm certissimè nôrit; et interiori quadam conscientia et vivere se, et meminisse, et intelligere, et velle se percipiat. 350

Caput III. Existentiam animæ, sicut in aliis hominibus, ita etiam in brutis ex eo posse a nobis colligi, quod motus, verbi gratia, doloris aut alterius cujuscumque passionis habere deprehendantur, iis omninò similes, quos in nobis, cum dolemus aut alio quocumque modo afficimur, non nisi ab anima proficisci experimur. . 351

Caput IV. Animam sensitivam non esse admittendam in plantis.. . . . 354

Caput V. De anima mundi nonnullorum, præsertim verò Platonicorum, proponitur et explicatur opinio. 355

Caput VI. Opinionem de anima mundi superius explicatam non esse temerè vel affirmandam vel refellendam. 358

Caput VII. Nihil quoque nobis credendum temerè de animabus, quæ sideribus, ut soli et lunæ, sigillatim a quibusdam tribuuntur.. . . . 359

Caput VIII. Inconcussè retinendum mundi hujus animam non esse Deum 361

Caput IX. Non unam omnium animam generalem esse admittendam; sed singulas singulis animalibus esse assignandas : cum alterius propria seu sensatio, seu intellectio nullatenus percipiatur ab altero. 363

Caput X. Unicam in quolibet homine, ideoque in quolibet etiam alio animali animam existere; ita ut eadem prorsus rationalis anima

omnibus plane, cum rationalibus, tum sensitivis operationibus quæ varia ejus officia dicuntur, exercendis abundè sufficiat : nec ex æstuante, modo in bonam, modo in malam partem, deliberatione duplex animæ genus in nobis evinci. 365

Caput XI. Nec plures sibi invicem animas in humano etiam fetu succedere; qui nec magis, quam arbor, anima indiget ante sensum; nec, dum sentire incipit, aliam quam rationalem animam, sed sopitam, qualis in puero infante deprehenditur, habere credendus est; ne belluam quamdam cum humani corporis figura tunc esse fetum, nec aliquando cum aliis resurrecturum, admittamus. . . . 368

Caput XII. Nullam prorsus animam esse corpus, id est, rem quantam, seu in longum, latum, vel profundum extensam. 360

Caput XIII. Prima propositæ capite præcedenti doctrinæ ratio ex eo desumitur, quod anima superior est corpore; quippe quæ vitam ei præbet, quam nullum corpus corpori præstare potest : cùm ipsi nullus, seu motus, seu sensus, sine quibus nulla prorsus vita potest intelligi, sed sola secundum varias dimensiones extensio, per se competat. 361

Caput XIV. Secunda ejusdem doctrinæ ratio ex eo petitur, quod suam seu cogitationem seu substantiam, et quidem totam, anima certissimè videt; nec ullam tamen in iis, vel extensionem, vel figuram, vel colorem, deprehendit. 365

Caput XV. Tertia ejusdem doctrinæ ratio ex eo desumitur, quod anima de se quidem est certissima, quod nempè sentiat aut cogitet; de quo nullus unquam dubitare potuit : nec tamen est certa utrum sit corpus : cum alii quidem aliud, alii aliud corpus animam esse putaverint. 366

Caput XVI. Quarta ejusdem doctrinæ ratio est, quia, si quod anima corpus esset, illud non sicut cætera omnia per imaginale figmentum; sed sicut se ipsam, suamque cogitationem quadam interiore, non simulata, sed vera præsentia, cogitaret. 369

Caput XVII. Quinta ejusdem doctrinæ ratio in eo posita est, quod anima in singulis corporis sui particulis sicut tota sentit, ita etiam tota præsto est; quod nulli prorsus corpori competere manifestum est. 369

Caput XVIII. Sexta ejusdem doctrinæ ratio ex eo deducitur, quod memoriam etiam sensitivam, in qua recipiuntur species seu imagines corporum, quæ non corpora, sed corporum duntaxat similitudines esse demonstrantur, prorsus incorpoream esse necesse sit. . . . 372

Caput XIX. Animam rationalem incorpoream esse ratione speciali demonstratur, quia nempè nec ipsa facultas, qua judicat, nec Sapientia, seu Veritas, quam intuetur ulla prorsus habere corporis lineamenta deprehenduntur. 376

Caput XX. Quamlibet, etiam pecoris, animam spiritalem, seu spiritum, dici posse. 378

CAPUT XXI. Animam in somnis sibi ipsi corpoream apparere, non quod reverà sit corporea; sed propter similitudines seu imagines corporum, quas in seipsâ format.. 379

CAPUT XXII. Membra, quæ animæ a corpore separatæ Scriptura sacra tribuit, sicut et ea, quæ ipsi quoque divinitati assignat, debere metaphoricè tantum intelligi : quamvis et in illo separationis statu anima propter aliquam corporis imaginem corporea possit apparere. 380

CAPUT XXIII. Quo sensu non pecoris solùm, sed omnis prorsus anima, sanguis in Scripturis sacris appelletur. 382

CAPUT XXIV. Quo sensu ad vitandam de nomine controversiam anima possit appellari corpus; quamvis tamen ea nullatenus admittenda sit locutio. 384

CAPUT XXV. Quod non propterea nihil videri esse debeat anima, quia nec longa, nec lata, nec profunda esse dicitur. 385

CAPUT XXVI. Animam per ætatem cum corpore non crescere. 387

CAPUT XXVII. Animam per corpus locali diffusione non porrigi, quoniam in singulis ejus partibus tota reperitur. 390

CAPUT XXVIII. De immortalitate animæ; et quod nulla prorsus anima simpliciter et absolutè sit immortalis quasi non possit a Deo destrui. 391

CAPUT XXIX. Nullam prorsus animam quacumque illarum mutationum interire, quæ sive per corpus, sive per ipsam animam fiunt; cùm nec ulla sui mutatione ad nihilum ducatur corpus, quod anima quacumque longè deterius esse perspicuè constat. 392

CAPUT XXX. Nullam esse creaturam, id est, nullum esse vel corpus, vel animum, etiam potentiorem, a quo ulla possit anima cogi ut intereat. 394

CAPUT XXXI. Nullam prorsus animam eo sensu mori posse, quasi existere sine vita possit; cum nulla prorsus anima se ipsa, quæ vita est, nunquam possit deserere. 396

CAPUT XXXII. Irrationalem animam eatenus mori, quatenus ipsa, sicut lumen aliquid, in corpore penitus exstinguitur. 397

CAPUT XXXIII. Humanam seu rationalem animam ita immortalem esse, ut nunquam ipsa vivere desinat; idque ex naturali beatitudinis appetitu demonstrari.. 397

CAPUT XXXIV. Solvitur objectio contra rationem capite superiori propositam, et ex naturali beatitudinis appetitu desumptam.. 401

CAPUT XXXV. De auctore animæ : ubi et Manichæorum deliria de duobus animarum generibus proferuntur; quorum alterum de ipsa Dei esse substantia, alterum verò nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt. 402

CAPUT XXXVI. Animam non esse divinæ substantiæ particulam.. . . . 405

CAPUT XXXVII. Animam esse Dei creaturam.. 419

CAPUT XXXVIII. Nullam prorsus animam etiam vitiosam et peccatricem, in quantum est anima, existere, cujus non sit conditor Deus.. . 420

Caput XXXIX. Nullam de corporeis elementis animam esse factam; cum nullum omninò corpus converti possit in animam; nisi et ipsam in genere alicujus corporis poni concedatur. 421
Caput XL. Nec de ulla etiam spiritali materia factam esse a Deo animam; quia nec dici potest, quid illa spiritalis materies esse potuerit. . 423
Caput XLI. Nullam animæ rationem seminalem, vel in elementis, vel in Angelis præcessisse; ne animam, vel elementorum, vel Angelorum, filiam cogamur admittere. 424
Caput XLII. Animam, quæ a Deo prima producta est, factam esse de nihilo. 427
Caput XLIII. De cæterarum, quæ in prole dantur, animarum origine, quatuor opiniones proponuntur. 428
Caput XLIV. Utrum in fonte aliquo, seu thesauro quodam, omnes animas mundi ipsius initio Deus condiderit, suo tempore formatis corporibus, vel divino vel proprio earum nutu, deinceps inserendas. . . 429
Caput XLV. Utrum filiorum animas de una quadam prima per semen aliquod spiritale propagari seu traduci, an novas subindè fieri de nihilo censendum sit. 433
Caput XLVI. Novam singularum animarum creationem iis Scripturæ sacræ locis non probari, quæ hanc in rem communiter afferuntur. 433
Caput XLVII. Nihil etiam ex Scriptura sacra proferri, quod animarum propagationem evincat; rationem tamen de nova illarum creatione dubitandi admodum gravem in eo nobis occurrere quod infantium ex Adamo nascentium animas peccatum originale contrahere fides catholica docet; easque damnari a Deo, si antè baptismi perceptionem ex suis corporibus discesserint. 441
Caput XLVIII. Opinionem de nova singularum animarum creatione defendendam esse, modo proposita superiori capite difficultas possit explicari. 449
Caput XLIX. Quamvis non inveniatur, qua ratione solvenda sit superiùs proposita difficultas, nec sic jam temerè in aliam de animarum propagatione sententiam assensionem esse deflectendum, in qua et multa nobis occurrunt, quæ nullo prorsus humano sensu possint comprehendi. 450
Caput L. Ut temeritas in hac quæstione caveatur longè melius in neutram assertionem inclinari assensum, quam ulla ex parte quicquam definiri. 452
Caput LI. Nobis nihil obesse si quæstionem istam ignoremus; cujus tamen intelligentia laudabiliter ad cavendos hæreticorum dolos optari et quæri potest, modo ad ea non pertineat, quæ cum supra nos sint, investigare in Scripturis sacris prohibemur. 455
Caput LII. De animæ potentiis seu facultatibus; et primò de vi animandi seu vivificandi corpus. 457
Caput LIII. De sensu, seu de vi sentiendi; quæ propterea lux quædam esse demonstratur, quod per eam res quæque sensibilis est manifesta. 458

Caput LIV. Lucem illam, quæ sensus dicitur, esse incorpoream; quoniam inest animæ, cujus solius est sentire, non autem corporis; cum sensationem, utpote receptam in anima, spiritalem esse, proindèque in corpore non posse recipi, perspicuè constet..... 459

Caput LV. De sensibus externis, qui propter diversa corporis organa vel officia varia, quæ per eos agit unus et idem animus, id est, propter varias operationes, quinque numerantur..... 461

Caput LVI. Sensibilia, seu quæ sensibus externis percipi possunt, non esse nisi corpora..... 463

Caput LVII. Ex dictis infertur Deum a beatis nec videndum esse, nec videri ullatenus posse, per oculos carnis..... 464

Caput LVIII. Proponitur et explicatur definitio sensus, seu actionis qua sensus exterior sentit..... 469

Caput LIX. De sensuum exteriorum objectis seu sensibilibus, quæ tum singulorum sensuum propria, tum communia, solent appellari... 475

Caput LX. Sensum, seu actionem sentiendi, per ignem, id est per quosdam igneos spiritus, veluti per nuntios, perfici..... 476

Caput LXI. Imaginem in organo formatam a solo corpore imprimi; eamque nihil aliud esse, nisi colorem vel lucem, quia tum ipsa quidem clausis oculis aliquando in organo, tum alia similis in speculis, ipso visu percipitur; undè et animæ frequens contingit illusio, dum rerum similitudines, quas videt, pro rebus ipsis approbat..... 477

Caput LXII. Eo momento, quo similitudo conspecti corporis formatur in organo; in ipsa pariter anima, non eamdem quidem, sed similem aliam imaginem fieri..... 478

Caput LXIII. Rei sensibilis imaginem, quæ producitur in anima, utpotè factam in natura spiritali, quolibet vel excellentissimo corpore meliorem ac præstantiorem esse; sicut et sensationem, quæ proindè non potest, nisi ab anima, fieri..... 479

Caput LXIV. Imaginem illam spiritalem ad sentiendum animæ prorsus necessariam non a corpore, quod nihil spiritale formare potest; sed ab anima tantum posse fieri, quæ ipsam in semetipsa et de semetipsa facit..... 484

Caput LXV. De somno et vigilia, quibus anima vel a sensibus externis cessat, vel ipsis vacat..... 486

Caput LXVI. Præter sensus exteriores admittendum esse quemdam sensum interiorem ab ipsa ratione distinctum, qua nempè sensuum exteriorum operationes etiam bruta percipiunt, dum se sentire sentiunt..... 487

Caput LXVII. Sensum illum interiorem, quamvis ipsa ratione inferiorem, omnibus tamen sensibus externis, de quibus nempè judicat, esse præstantiorem..... 489

Caput LXVIII. Hoc etiam interiore sensu animam quamlibet sentire, proindèque percipere seipsam : cum nec mortem fugiat, nisi quoniam amat, ideoque novit vitam suam; nec seipsam aliquid

sentire percipiat, nisi quoniam et seipsam et sensum suum percipit; nec demùm ei magis quicquam præsto sit quam ipsa sibi.. 491
Caput LXIX. Perceptionem illam, qua ipsæ quoque brutorum animæ seipsas percipiunt, sensum duntaxat appellari posse, non scientiam 492
Caput LXX. De memoria : in qua velut in thesauro quodam invectas de rebus sensis imagines conservari demonstratur..... 493
Caput LXXI Rationem, cur objecta quædam sensibus nostris præsentia non sensisse nobis aliquando videmur, inde petendam esse, quod eorum imagines alia cogitatione occupati memoriæ nostræ non satis firmiter infiximus; ita ut ea nos sensisse posteà non meminerimus..... 494
Caput LXXII. Ex dictis colligitur, cum ipsæ duntaxat rerum sensibilium imagines, non autem res ipsæ intromittantur in memoriam, ea pariter, quæ recordando ipsa memoria cogitamus sive cernimus, non esse res ipsas, sed rerum extra memoriam positarum imagines 495
Caput LXXIII. Memoriam etiam sensitivam, in qua imagines illæ conservantur, esse spiritalem; hincque fieri, quod anima etiam a corpore separata easdem imagines retineat..... 496
Caput LXXIV. Animam non sicut res ipsas intelligibiles, ita et sensibilium imagines habere ex seipsa, sed sensuum duntaxat beneficio eas accipere..... 497
Caput LXXV. Nihil corporale nos meminisse, nisi quod sensibus; hincque fieri ut nulla corporalia, nisi aut ea quæ sensimus, aut ex iis quæ sensimus, a nobis cogitentur..... 500
Caput LXXVI. Aliud esse quod reconditum memoria tenet, et aliud quod indè in cogitatione recordantis exprimitur..... 502
Caput LXXVII. Qua ratione aliquid in memoria remaneat, sensim deleatur, et in cogitationem occasione similium recurrat..... 503
Caput LXXVIII. Affectiones etiam animi, per sui scilicet aliquas notiones et vestigia quædam ab ipsis transeuntibus relicta, in memoria inveniri..... 504
Caput LXXIX. Ipsam memoriam sibi per seipsam adesse, non per imaginem..... 507
Caput LXXX. Quomodo sit oblivio in memoria..... 508
Caput LXXXI. Illud inveniendi seu reminiscendi nec facilitatem nec ipsam quoque voluntatem nobis inesse posse, quod oblivione penitus deletum sit, seu quod è memoria penitus exciderit..... 509
Caput LXXXII. Aliud esse rem aliquam nosse, id est, memoriâ præsentem retinere; aliud verò ipsam cogitare seu actu conspicere.... 512
Caput LXXXIII. Cognitionem, notitiam, seu visionem, qua res memoriæ præsens conspicitur, ipsum esse verbum interius, quod eatenus rei notæ seu in memoriâ positæ propterea simile dicitur, quod per ipsum attingitur seu cognoscitur objectum sicuti est..... 513
Caput LXXXIV. Id quod recordando cogitamus, seu cogitatione, quam diximus verbum, intus apud nos cernimus, cum de aliquo absenti corpore cogitamus, eamdem esse prorsus speciem seu imaginem

visi corporis, quam per corporis sensum acceptam et in memoriâ reconditam anima tenet..... 515

Caput LXXXV. Res intelligibiles, qualis est ipsa Veritas, a nobis ita cogitari, ut nullas sui habeant a se distinctas imagines in anima, quæ tunc cognoscantur; quamvis interim earum verbum, seu cogitatio, qua cernuntur, eorum similitudo proindèque imago ideo possit appellari, quod ea sicuti sunt a nobis intelligendo cernantur 516

Caput LXXXVI. De appetitu sensitivo ejusque variis affectibus, qui et passiones appellari solent, homini cum brutis ipsis communes... 517

Caput LXXXVII. De facultate motrice, qua scilicet anima sensus perceptione supposita, corpus suum, per subtiles quosdam spiritus incorporeæ naturæ viciniores, imperando movet..... 520

Caput LXXXVIII. Undè incipiat ratio, per quam a brutis homo distinguitur; et quæ non corpore solum, sed sensuali etiam vita, longè præstantior censenda est..... 522

Caput LXXXIX. Rationem illam, ad quam nempè res sensibiles et temporales examinandæ, discernendæ, ac definiendæ a sensibus referuntur, intelligentia inferiorem esse, qua res intelligibiles ac æternas contuemur..... 527

Caput XC. Ipsam seu rationem seu mentem immediatè seipsam, et quidem totam, cognoscere, variis rationibus ostenditur..... 531

Caput XCI. Menti, quæ seipsam ita immediatè cognoscit, non esse præceptum ut se cognoscat, nisi ut seipsam cogitet, ab aliis discernat, et secundùm suam dignitatem vivere appetat..... 535

Caput XCII. Esse aliud nosse, et aliud cogitare, sicque mirum non esse, quod infantis mens, licèt non ignorare se potest, se tamen cogitare non possit..... 537

Caput XCIII. Quomodo mens seipsam cogitando in conspectu suo se constituat..... 538

Caput XCIV. Mentem operationes suas, imo et virtutes affectionesque suas, sine ullis rerum corporalium imaginibus immediatè conspicere, quoniam ejus cognitioni seipsis immediatè præsto sunt : alterius autem affectiones credere tantum, non intueri..... 540

Caput XCV. Utrum et quomodo privationes et falsa cognoscantur..... 542

Caput XCVI. De nobilissima mentis humanæ facultate, per quam ipsum Deum, seu veritatem æternam ac immutabilem ab ipso Deo non distinctam, ex parte saltem conspicit : quamvis, cùm lumen illud conatur intueri, aut etiam reflexè et explicitè cognoscere, palpitare deprehendatur..... 544

Caput XCVII. Quomodo Deus in memoria nostra esse dicatur, et ipsius meminisse mens humana possit..... 545

Caput XCVIII. Imaginem Dei non esse in homine, nisi quatenus ipsum Deum meminisse, intelligere ac diligere potest : eamque imaginem, quamvis obsoletam, semper in homine remanere..... 547

Caput XCIX. De variis operationibus animi; quid sint et quid inter se differant videre, credere, et opinari..... 549

Caput C. Visionem dici scientiam; cujus habitus in eo consistit quod sensa et intellecta memoriâ retinemus : quamvis et pluribus aliis acceptionibus scientiæ nomen usurpetur..... 552
Caput CI. Esse aliud res aliquas in ipsa Veritate per intellectum intueri, aliud ipsas vel cognitione historica tenere, vel aliunde conjicere..... 555
Caput CII. De voluntate, quam in nobis dari demonstratur..... 557
Caput CIII. Quid sit, et quid appetat voluntas..... 558
Caput CIV. Voluntatem nihil prorsus ignotum appetere posse..... 559

PARS QUINTA

SEU

SANCTUS AUGUSTINUS DE MORALI PHILOSOPHIA.

Caput I. Ethicam seu moralem philosophiam esse partem philosophiæ, quæ versatur circà Deum, ut est ordo vivendi et bonum ad quod referenda sunt omnia cætera bona, ut beatitudinem assequamur. 565
Caput II. Beatitudinem ab omnibus prorsus hominibus appeti; et ita quidem, ut nihil nisi propter ipsam appetatur, omniumque proindè aliarum voluntatis appetitionum proprii fines ad ipsam referantur..... 566
Caput III. Varii philosophorum errores circà beatitudinem explicantur; quorum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque beatificum bonum in homine esse docuerunt..... 567
Caput IV. Beatum neque illum dici posse, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit : sed eum duntaxat qui hominis optimo fruitur..... 569
Caput V. Hominis optimum, quo fruens homo beatus efficitur non esse aliquid vel homine deterius, vel homini æquale, si quid homine detur excellentius, cujus ipse sit capax et quod invitus non amittat 571
Caput VI. Dari aliquid homine præstantius, cujus ipse capax est, et quod invitus non amittit, ut patet ex veritate prorsus immutabili regularum illarum, quæ dici solent æternæ veritatis; idque nihil aliud esse quam ipsum Deum..... 572
Caput VII. Concluditur summum et beatificum hominis bonum in Deo solo, non autem in ulla re creata, reperiri..... 574
Caput VIII. Ex eo quod beatificum hominis bonum sit Deus solus, a quo multorum hominum voluntas per peccatum avertitur, nullatenus sequi quod non omnes, quæ sit, vel ubi sit, id est, in quo bono reperiatur vera beatitudo, percipiant, vel veram beatitudinem ament..... 580
Caput IX. Instinctu naturali, quo beatitudinem omnes appetimus, Deum ipsum determinatè et immediatè possidendum ab omnibus amari,

clarissimè demonstratur primò, quoniam eo instinctu, summum illud bonum determinatè appetimus, quo adepto beati efficimur... 582

CAPUT X. Idem probatur secundò, quoniam Deus solus est ipsum bonum seu bonum universale, quod omnes naturaliter appetunt..... 583

CAPUT XI. Idem probatur tertiò, quoniam incommutabilis ac æterna veritas, quam a Deo non distingui suprà probavimus, est finis ad quem naturaliter ordinatur intellectus..... 584

CAPUT XII. Idem probatur quartò, quoniam instinctus ille nobis a Deo naturaliter inditus necessariò esset inordinatus, nisi ad Deum ipsum determinatè tenderet..... 585

CAPUT XIII. Quamvis charitas seu amor Dei electivus et supernaturalis, quo primus homo creatus est a Deo moraliter bonus et rectus, ex gratiâ non autem ex ipsis naturæ principiis profluens, per originale peccatum omninò perierit : instinctum tamen illum naturalem, quâ creatura intellectualis in ipsum Deum determinatè fertur ideoque naturaliter bona et recta est, in nobis semper remanere, idque probatur primò, quoniam instinctus ille naturalis est, ideoque ex ipsa natura necessariò fluit..... 586

CAPUT XIV. Probatur secundò eadem doctrina ex eo quod nullam extra Deum requiem invenire potest intellectualis creatura; undè et æternus perseverat in ipsis etiam damnatis ex æterna Dei amissione cruciatus..... 588

CAPUT XV. Stuporem seu cæcitatem, quo quis ex amissione Dei dolorem non sentit, in damnatis quidem non reperiri ; in anima verò, quæ nunc pœnam istam patitur nolens, esse ipsius etiam amoris quo vel tunc veritatis lucem naturaliter amat, argumentum. 593

CAPUT XVI. Probatur tertiò superior de naturali Dei amore doctrina ex æternæ veritatis, quam ab ipso Deo non distingui superiùs ostensum est, amore naturaliter omnibus indito, quo fit ut nemo falli velit, et sicut beati esse, ita etiam de veritate, non autem de falsitate, gaudere omnes velint. 594

CAPUT XVII. Hominem, qui verum prædicat, ideo tantum nobis inimicum fieri, quia sic a nobis amatur veritas, ut cum falli nolimus, ab aliis etiam nolumus quod fallamur convinci.. 595

CAPUT XVIII. Superioris de naturali veritatis amore doctrinæ confirmatio, ex eo quod nihil vel in moribus, vel in artium operibus, vel in rerum quas nosse volumus cognitione, nobis jucundum est, nisi quoniam naturaliter a nobis amatur veritas, cujus imitationem in istis omnibus appetimus.. 596

CAPUT XIX. Quamvis omnes veritatem ament, non omnes tamen beatos esse, quoniam in aliis, quæ potius eos faciunt miseros, aliqui fortius occupantur. 601

CAPUT XX. Quantalibet sit opinionum de ipsa beatitudine diversitas, ipso tamen naturæ sensu, id est, instinctu quodam naturali vitam, quæ sola beata est, velle ac nosse omnes; fierique posse, ut aliud in opinione, et in sensu sit aliud. 602

CAPUT XXI. Ipsos etiam malos malè agendo veram beatitudinem appetere, cum veris bonis malint gaudere, quam falsis. 604

CAPUT XXII. Quamvis veram beatitudinem omnes appetant, nec Scripturam tamen ad ipsam quærendam frustrà nos hortari, nec eam omnes assequi : quia non omnes rectè vivunt, ut ad bonum, quod naturaliter amant, ita possint pervenire. 606

CAPUT XXIII. Voluntatem, qua ipsi etiam mali malè operando beatitudinem appetunt, utpote ipsis a Deo naturaliter inditam, bonam esse scilicet physicè, non autem malam seu physicè seu etiam moraliter; cum ne moralis quidem, sed naturalis omnino sit : malam tamen esse moraliter electivam illam voluntatem, qua malum eligunt. 608

CAPUT XXIV. Ex dictis colligitur malos errare, non in quantum beatitudinem appetunt cum rem bonam quærant; sed in quantum eam, quæ ducit ad beatitudinem, vitæ viam non tenent, creaturas scilicet perversè diligendo; in quibus finem ultimum et beatitudinem suam constituere idcircò dicuntur, quoniam ipsorum non quidem naturalis instinctus, sed amor tamen electivus, in iis ita quiescit ut ex seipso ulterius non tendat. 609

CAPUT XXV. De beatitudine formali seu beatifica possessione Dei : quam in delectatione formaliter constitui probatur primò ex eo quod omnes dum se cupiunt esse beatos, gaudere volunt, ipsumque gaudium vitam beatam uno planè consensu vocant. 611

CAPUT XXVI Idem probatur secundò ex eo quod perfectè non habeatur seu possideatur summum bonum nisi per fruitionem, quæ quidem ipsa delectatio est, qua nempè veluti gustatur Deus, et ita quantùm sit bonum, sensu quodam intimo percipitur. 612

CAPUT XXVII. Idem probatur tertiò, quoniam fruitio seu delectatio, sicut et ipsa beatitudo, est finis ad quem cætera omnia refert, et ultra quem excurrere non potest voluntas, cum ipsa sit voluntatis quies, proindèque pax, quam omnia velut finem appetunt. . . . 614

CAPUT XXVIII. Idem probatur quartò ex eo quod infelicitas seu miseria, cui opposita est beatitudo, in dolore seu cruciatu formaliter posita est. 615

CAPUT XXIX. Doctrinam istam, qua beatitudo formalis in Dei fruitione seu delectatione constituitur, ab Epicureorum errore longè differre, qui beatitudinem in voluptate corporis constituunt. 618

CAPUT XXX. Creaturam intellectualem plenè perfectèque beatam dici non posse, nisi de suæ beatitudinis æternitate omninò sit secura. . . 620

CAPUT XXXI. Neminem in hac vita miseriis plena beatum esse posse; undè et philosophi refelluntur, qui mala ipsa fortiter tolerando, hìc sibi conantur beatitudinem fabricare. 622

CAPUT XXXII. Beatitudinem, quæ hìc inveniri non potest, in futura vita esse nobis exspectandam, in qua sempiterna erunt bona, non animæ solum sed etiam corporis, quod idem planè resurrecturum Fides christiana docet. 626

CAPUT XXXIII. Deo, qui potuit facere quod nunquam fuit, non esse impossibile corpus, quod aliquando fuit, ex cineribus, ubicumque delitescant, reparare.. 627

CAPUT XXXIV. Ut beatæ sint animæ, non corpus omne fugiendum, ut voluere Platonici; sed corpus incorruptibile recipiendum, quale post resurrectionem futurum est corpus nostrum, quod et spiritale meritò dici poterit, quia spiritui perfectè serviet.. 628

CAPUT XXXV. Defunctorum spiritibus, ut perfectè plenèque beati sint, non solum non obesse, sed etiam necessaria esse corpora, cum ea naturaliter appetant, eoque ipsorum, cum absunt, appetitu, a perfecta, quam sancti Angeli habent, Dei visione, quodammodo retardentur; sicque perfectum naturæ suæ modum sint in suis duntaxat corporibus habituri. 630

CAPUT XXXVI. Ad beatitudinem acquirendam, vitandamque miseriam, de quibus hactenus disputatum est, rectè vivendum esse, id est, Deum super omnia diligendum; quo solo, non autem ulla planè creatura frui licet. 631

CAPUT XXXVII. Ex dictis infertur virtutem, qua scilicet ad beatitudinem tendimus, ipsisque justitiæ ac honesti regulis inhæremus, ab amore Dei casto et sincero non distingui.. 634

CAPUT XXXVIII. Virtutem non esse nisi Dei amorem, ex eo etiam ostenditur, quod virtus sit bonus eorum usus, quibus etiam malè uti possumus; nec bonus esse possit eorum usus, nisi ad finem legitimum, id est, ad Deum ipsum per amorem referantur. . . . 640

CAPUT XXXIX. Idem rursus ex eo probatur, quod per virtutem homo rectus, justus et ordinatissimus efficiatur, nec id assequi possit, nisi quatenus Deo velut superiori per amorem subjicitur.. 641

CAPUT XL. Idem denique probatur ex eo quod virtus sit ordo amoris, quo nempè diligitur quod est diligendum. 643

CAPUT XLI. Sicut Dei amor virtus est intellectualis animæ, ita vitium ipsius esse amorem creaturæ, per quem scilicet ab eo, quod summè est ad id quod minus est vergit; et ab ordine suo naturali declinat, quem lex æterna conservari jubet, perturbari vetat. . . . 644

CAPUT XLII. Affectus animi, quos etiam passiones vulgò dicimus, aut rectos, aut pravos haberi; prout amor voluntatis undè fluunt, aut bonus, aut malus est. 646

CAPUT XLIII. Ex superiori doctrina infertur affectiones animi non esse per se malas : sicque posse in ipsis etiam sapientibus reperiri : de quo Stoicorum ab aliis philosophis dissensio ad nomen potiùs, quam ad rem ipsam, videtur pertinere. 646

CAPUT XLIV. A vitiis virtutes, non officiis sed finibus, discerni; proindèque non virtutes, sed vitia esse judicanda, quæ ad finem ipsum hominis, hoc est ad Deum non referuntur. 649

CAPUT XLV. De divisione virtutis in temperantiam, fortitudinem, justitiam, et prudentiam : quæ quidem sicut in beata, sic etiam in præsenti vita, nihil aliud esse, nisi Dei amor, censendæ sunt. . . 650

CAPUT XLVI. Licet virtutes omnes nihil aliud, nisi Dei amor, censendæ sint : non tamen indè sequi, quod qui unam habet virtutem, habeat omnes ; vel qui unam non habet, nullam habeat : sicut nec quod omnia inter se peccata paria sint : quorum utrumque hìc refellitur. 652

CAPUT XLVII. Libertatem et ad virtutem seu rectè factum, et ad peccatum omninò requiri : voluntatemque seu volitionem omnem liberam esse libertate a coactione ; cum ipsa sit in potestate nostra, id est, ipsam faciamus, cum volumus, imò et hoc ipso, quo volumus 656

CAPUT XLVIII. Ex dictis contra Stoicos infertur admissa præscientia divina non tolli voluntatem, ideoque nec libertatem a coactione ; sicque per ipsam non induci fatum, quod nos cogat, seu contra voluntatem nostram impellat ad agendum, et ex eo capite, ut volebant Stoici, seu liberum hominis arbitrium, seu legum ac exhortationum utilitatem, impediat. 657

CAPUT XLIX. Peccatum, eademque ratione bonam moraliter, censeri non posse actionem, quæ fit necessitate naturæ (qualis, exempli causa, voluntas, qua ipsi etiam infideles beatitudinem instinctu naturali appetunt), sed eam tantùm, quæ voluntaria est, prout nempè voluntarium ab eo, quod fit naturæ necessitate, distinguitur : proindèque ad actionem moralem necessariò requiri libertatem indifferentiæ, seu potestatem abstinendi ab eadem actione ; sine qua potestate vis electiva, ideoque liberum voluntatis arbitrium, non potest intelligi. 660

CAPUT ULTIMUM. Totius operis conclusio. 662

Tolosæ. — Typ. BONNAL et GIBRAC.

- Philosophia (Martin & Fabre ed) # 8866

1/15/44	SEP 3 1945
6/2/56	JUN 11 1956
24/3/67	10 days

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA

8866